EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM LIBRI DUODECIM.

ACCEDUNT

AUCTORIS NONDUM DEFUNCTI VITA,

A GREGORIO MAJANSIO

CONSCRIPTA:

NEC NON PRAEFATIO

PETRI WESSELINGII.

TOMUS SECUNDUS.



AMSTELAEDAMI,

Apud J. WETSTENIUM & G. SMITH.

MDCCXXXVIII.



EMMANUELIS MARTINI

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM

LIBER VII.



I. EMMANUEL MARTINUS PHILIPPO BONAROTAE,

Viro integerrimo, totiusque antiquitatis consultissimo,

S. D.

Florentiam.

QUamquam tui simulacrum semper mihi ante oculos obversatum est, ex quo a te digressus, Urbeque rerum domina, in Hispaniam, Laresque nostros remigravi; tibi tamen importune inanibus literis obstrepere, ac praeclara illa studia interpellare, in quae tam gnaviter incumbis, & inurbanum profecto mihi visum est, & putidum. Cum hac ego in sententia perstarem, Carolus Rinuccinus vestras, vir generis splendore juxta atque animi virtutibus illustris, dono mihi dedit *Observationes* tuas *Historicas* in selectiora Numismata maximi moduli Musci Carpinei. Quo equidem studii genere apprime delector. In-

Inflammavit legendi desiderium, suapte natura satis incitatum, commendatio nominis tui; cujus apud me summa fuit semper auctoritas dignitasque. Cum igitur id opus avidissime perlegissem, tantum abfuit ut de te opinio me fefellerit, ut in maximam me traduxerit admirationem emendatissimi atque absolutissimi operis virtus atque praestantia. Quam illud concinne dedolatum! Quam in eo diligenter accurateque perpensa vel minima chronologiae momenta! Quam πολυμαθῶς, quantaque ingenii dexteritate, explanatae enucleataeque res caeteroqui, non obscurissimae modo, sed & caecis extremae antiquitatis involucris ac nexibus implicatissimae! Id sancte dejerare possum, nullius unquam libri lectione majore me affectum voluptate, nec aliunde, jucundiores decerpsisse eruditionis fructus, vel splendidiores eruisse divitias. Igitur Rinuccino bene sit, qui me tali munere beavit. Pro quo, non potest satis pro merito a me illi referri gratia. Ut vero illos Di eradicent, homines inertes (si quidem homines appellare fas est) qui hoc literarum genus, tanquam vanum ac futile, despectui habent atque ludibrio. Nimirum illis nihil pulchrum honestumve, nisi quod aptum ad corradendas pecunias, ac stolidorum bona emungenda. Sed missa faciamus haec monstra, Minervae propudia, ac literarum sordidissima prostibula. Meros stipites, qui neque natare, neque literas. Quod ad nostra attinet, egregium illum Homeri Scholiasten Eustathium jam sexennium Latine vertimus. Quem laborem uti subirem, in primis me perpulerunt duo clarissima Italiae lumina, Raphael Fabrettus, & Laurentius Zaccagna: quorum alterum fatis ereptum, alterum locorum intervallo, memoria colo. Scis quam sit improbae molis id opus; quamque haec tempora lucubrando parum idonea. Nobis praesertim, suspensis semper ac trepidantibus, & ad urbanas grassaturas, & ad πολέμου κλοπάς. Tamen etiam quadrigis nostris, quantumvis strigosis, curriculi jam fere medium tenuimus. Siquidem aetas viresque suppetent, perveniemus ad metam. Nec tamen huic operi ita adhaerescimus, ut non aliquando ad hilariora divertamus, tanquam laxamenta animi fatiscentis. Itaque descriptionem quandam sum elucubratus Saguntini Theatri. Pupugitne te nomen? Atqui, vero tibi ac serio loquor. Exstat hodie Sagunti magnificentissimi cujusdam Theatri pars praestantior. Tota videlicet cavea, cum porticibus, scenaeque vestigiis non contemnendis. In quae ego forte incidi, cum vetustorum monumentorum indagandi eo me deportassem. Obstupui rei novitate perculsus, nec satis miratus sum nostrorum hominum vecordiam, qui res patrias literis consignaverunt; qui rerum antiquarum minus callidi, in Amphitheatrum (si Dis placet) monumentum hocce transformarunt, indignantibus Plauti manibus, totiusque aedificii structura. Quam opinionem ut adstruant, nescio quas ferarum caveas comminiscuntur, aliasque popelli offucias, quibus ignarae plebeculae tenebras offundunt. Quorum ego ineptiis posthabitis, despicatu potius atque derisu,

quam

quam seria confutatione dignis, ne posteri in eumdem errorem impingerent, universam Theatri structuram, ejusque partium modulationem, quarum vestigia in lacero hoc monumento, vel supersunt adhuc, vel deprehenduntur, accurata quadam singulorum descriptione luculenter aperui. Cum in eruendam veritatem aliquot dies insumpsissem, operae autem plurimum. Scripsi statim hac de re ad Fabrettum nostrum, ab se quaerens, num hujusce Theatri mentionem vel fando accepisset unquam, usquamve legisset. Sed (proh dolor!) jam ille eo migraverat, unde negant redire quemquam. Quando autem, te per literas convento, tam bellam nactus sum occasionem; uti re de hac scitiorem me facias, te iterum atque iterum oro atque obtestor. Praeterea, num εἰκόνια illa, sive vitrea sigilla, in lucem edideris, ex quibus Numismatum appendicem adornabas. quod nos monet Fabrettus VIII. suarum *Inscriptionum*. Vel aliud quidpiam procudas, quo eruditorum votis satisfacias. Nam te cessare, vel vitam degere inertem, vix est ut mihi persuadeam. Quod equidem scire eo vehementius aveo, quod abunde sit apud me antiquae supellectilis, qua labores tuos juvare possim. Cujusmodi sunt, Numismata, ad sex millia, signa aenea, lucernae, vasa sepulcralia, urceoli δακρυδόχοι, phyalae unguentariae, vasa sacrificalia, annuli signatorii, claves, fibulae, armillae, strigiles, pondera, acerrae, amuleta, abraxae, donaria, gemmae annulares, & id genus alia. Ex annulis signatoriis qui apud me sunt, nonnullos affert Fabrettus noster in eruditissima sua *Inscriptionum* collectione: sed minus fideliter transscriptos, quod id negotii alienae curae mandasset. Exemplo sit (praeter alia) quem affert cap. VI. pag. 427. ita descriptum: ERENN. CERIN. Quem Fabrettus, exscriptoris errore deceptus, eum fuisse existimat Herennium Cerrinium, qui primus a Paculla Minia Campana matre ad nocturna illa Bacchi sacra initiatus dicitur Livii XXXIX. Cum tamen in annulo, non CERIN. sed CERIAN. legatur. Lusit nimirum tanti viri diligentiam, exscribentis, vel mala fides (quod vix crediderim) vel allucinatio. Si ex me tibi aliquis usus, dabo profecto operam ne quid mihi simile contingat. Sed omnia mea studia, consilia, laborem, industriam, diligenitam, in te conferam. Vale. Mantuae novae in Carpetanis, VII. Kal. Junias, vel (si minus tritum arridet) Fabarias, An. MDCCIX.



II. EMMANUEL MARTINUS JANO GOMEZIO,

Salmanticensi Theologo, & Canonico Mexicano,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

TAndem pervenimus Hispalim A. v. Eid. Septemb. coelo jam advesperascente; incolumes quidem; sed nocturni itineris taedio pene confecti. Aliter enim haec regio per hoc anni tempus impervia est, prae immodico aestu, quo afflatur atque torretur. Cujus rei testimonio sunt indigenarum facies, colore ut plurimum fusco, ac saepius livescente. Praestitutum ergo iter confecimus, praeferente facem Dictynna. Fratrem gemellum quieti ac somno praefecimus. praepostero naturae ordine. Etsi bonam diei partem in oppidis perlustrandis, nummisque veteribus conquirendis, insumpsimus. Quorum nummorum per totam Baeticam incredibilis copia. Ea re, vehementer spero Gazophylacio nostro ex hoc itinere haud parum accessurum dignitatis atque incrementi. Nimirum in hac urbe, tanquam in aliqua specula constitutus, omnia circumspiciam, nullum non movebo lapidem, nulli parcam, nec labori nec sumptui, ut has divitias illotis rupicum stolonumque manibus extorqueam. Quod jam obiter exsequuti sumus Cordubae, Illiturgi, Carmonae, alibi. Brevitati literarum ignosce, & vale, IV. Eid. Septemb. An. MDCCXI. Hispali.



III. EMMANUEL MARTINUS FRANCISCO LAELIO LEVANTO,

Archidiacono Iliplensi, suo

S. D.

Hispalim.

POstridie Nonas Januarias ad Menesthei Portum pervenimus: altera nempe die, quam ab amplexu tuo avulsi sumus. Incolumes quidem, ac athleta quolibet vegetiores. Etsi dimidium itineris asperrima pruina obri-

obriguimus; ego praesertim, qui natura alsiosus, vi frigoris altissime tangor; caetera Jove pluvio obambulavimus. Quin adhuc ὑετοὶ continentes ac perpetes. nec coelo modus. Nam ex quo hanc urbem attigimus, Jupiter (ut cum Aristophane loquar) ὕδωρ ποιεῖ. Nec propterea tamen conquirendorum numismatum curam remisi; sed in eam rem totus incumbo. Quamquam, si quicquam video, vel pusilla alicujus compendii spe, vel nulla: nisi Gadibus mihi fortuna hilarior arriserit. quo trajicere paro. Vale meum mel. & opera nostra (si tanti sumus) utere, abutere. Archidiacono Carmonensi, Siancae, Mont-ocano, a me salutem. Iterum vale. E Menesthei Portu, IV. Eid. Januar. MDCCXII.



IV. EMMANUEL MARTINUS FRANCISCO LAELIO LEVANTO,

Archidiacono Iliplensi, suo

S. D.

Hispalim.

LEgi, imo pellegi, Jani Gamisii ἐ αὐτοσχεδιασμάτων, lepidissima poematia. Nec pellegi tantum, sed exscripsi. Rem incredibilem! inter aerumnosissimi morbi tam acres ac diuturnos cruciatus ea felicitate indulgere genio, tam festive, tam venuste, tam eleganter! Dispeream, si vidi quicquam, quod aurei saeculi nitorem magis exprimat, veteremque Romani sermonis (ut Accii verbo utar) castitudinem. Si has delicias incommodae, imo attritae valetudini, acceptas referimus; vereor profecto ne alicui fortasse optandum videatur. Sed Superi avertant. Jam equidem pro tanti viri incolumitate verbis conceptis vota suscipio. Faxit Deus uti solvam. Tu interim, mi suavissime, his me bonis beare pergito. Et valetudini tuae consule diligenter. Ex hospitio nostro A. V. Kal. April. An. MDCCXIV.



V. EMMANUEL MARTINUS FRANCISCO LAELIO LEVANTO,

Archidiacono Iliplensi, suo,

S. D.

Hispalim.

EUgepae! Laudo diligentiam tuam, & plaudo, mi Laeli. Magna me iterum perfudisti voluptate (absit verbo invidia) Gamisiano Enco-

 mio

mio domus Loiolaeae, & altero Epigrammate paraenetico ad P. Carraram. Utroque me-dius-fidius perlepido, perque eleganti. Quo quidem munere nullum mihi esse potuit neque gratius neque jucundius. Si hisce me copiis locupletare pergis, superabo Crassum divitiis. Tametsi (quae est ista inertia ac supinitas) monumenta isthaec, quae barbariei notam ab exteris fere nostratibus inustam, abolere possent atque detergere, per summum nefas premi ac patriae gloriae subtrahi? Stimulis igitur fodito, mi Laeli, summi viri sive cunctationem, sive ignaviam, telisque adversus Carreram a se jactis, confodito. Et vale. E Musaeo nostro, pridie Kalend. Aprileis, An. MDCCXIV.



VI. EMMANUEL MARTINUS

M. JOACHIMO PARDO & ALCARAZIO,

Ocello & amoenitati suae, S. optat.

Complutum.

Recte atque ordine abs te factum, quod me per literas tibi placandum statuisti. Nam tacito illo tuo discessu ita eram subiratus, ut parum abfuerit quin tibi nuncium remiserim. O fidem, fidem! Tune hinc, adeo nulla mei habita ratione, ut ne illud me rogaveris (quod vel leviter noti solent.) Numquid Complutum vellem? Praesertim cum eo tempore me lectus teneret, quod ex capite laborarem, eoque te convenire non possem. Quo gravior tui culpa, & amori adversus te nostro acerbior. Quam tamen abunde eluisti epistola tua, plena officii, studii, benivolentiae, & amoris testificatione insigni. Sed adeo lurida ac squalida moeroris tui notis, ut me quoque illa in maximam aegritudinem conjecerit. Nam etsi illa tua capitis ἀλγήματα non est cur valde pertimescam, cum sine febri minime saluti sint infensa; terret me tamen quod scribis, te esse vehementer θυμαλγῆ. Quae quidem tabes ubi acrius incubuit, ita artus nostros depascitur, animique vigorem ac robur enervat atque debilitat ut lente plerumque impellat ad exitium. Sed quoniam valde me angit cura salutis tuae, nec est mihi quicquam incolumitate tua nec potius nec antiquius; per mihi facies gratum, si animi tui vulnera retexeris. Quamquam, ut naturam, ut ingenium tuum habeo perspectum, satis mihi videor callere aegritudinis tuae caussas. Nempe moleste fers eripi tibi hoc tempus importunissimis istis scholarum tricis, cujus hercule temporis est πολυτελέστατον ἀνάλωμα. Quod tu mavelles, & operam & studium amoenioribus

ribus iis literis impendere, quae genium tuum ſcalpunt. Sed, heus tu, parumne tibi videtur habere venuſtatis Juriſprudentia, quam vocat merito Tullius, *ſenectutis ornamentum?* Nulla me-dius-fidius ſcientiarum tam excolit animos, & antiquitatis cognitione nos inſtruit, nulla locupletior, ornatior, ſplendidior, liberalior. Ad haec, ita viſum eſt patri tuo, viro optimo, jureque conſultiſſimo: cui ut alacriter morem geras, jus & aequum poſtulant. At te conficiunt amantiſſimae parentis, natuque maximo, lacrymae, quas tui deſiderium exprimere, ferre non potes. Atqui feres, ſi quidem cogites, quam proxime abſis ab ejus complexu, quamque frequenter eam per literas ſolari poſſis. Quod ut & ſaepe faceres, & ſtudioſe, monerem te, niſi ſponte tua ſatis eſſes concitatus, tum ad hoc pietatis officium, tum ad reliqua honeſtatis virtutiſque ornamenta. Ergo erige, amabo te, animum iſtum dejectum, & vir eſto. Quod ego per hanc te dexteram oro, & genium tuum, perque ea quae tibi dulciſſima ſunt in vita. Quod ad me attinet, & matri tuae & ſorori in nulla re deero. Summae enim mihi curae ſunt, & tui, & tua. Sororis tuae ὑστερικὰ πάθη aliquantulum remiſere. Felix Palatinus, amicus ille noſter Salmanticenſis, ſalutem tibi plurimam adſcribit. Nam dies fere nullus eſt, quin domum meam ventitet. Multum te amamus. Vale, VIII. Kal. Februarias, An. MDCCVIII. In Urbe Hiſpaniarum domina.

Sub Lupercalia te exſpectamus. Tu promiſſa fac ut patres. Scito Mignanae noſtro magnam intercedere neceſſitudinem cum Sala, ornatiſſimo illo juvene, & praeceptore tuo ἐν τῷ περιπάτῳ. Iterum vale.



VII. EMMANUEL MARTINUS JOACHIMO ALCARAZIO,

Ornatiſſimo Juveni

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

INunc, & veterum morum licentiam accuſa, noſtrorum verecundiam lauda. Noſti ſaltationem illam Gaditanam, obſcoenitate ſua per omne aevum famoſam. Atqui hodie ipſammet per omnia hujus Urbis compita, per omnia cubicula, cum incredibili adſtantium plauſu, ſaltari videas. Nec inter Aethiopas tantum & obſcuros homines, ſed inter honeſtiſſimas feminas, ac nobili loco natas. Saltationis modus hoc ritu peragitur. Saltant vir & femina, vel bini, vel plures. Corpora ad muſicos modos per omnia libidinum irritamenta verſantur. Mem-

Membrorum in ea mollissimi flexus, clunium motationes, micationes femorum, salacium insultuum imagines. Omnia denique turgentis lasciviae solertissimo studio expressa simulacra. Videas cevere virum, & cum quodam gannitu crissare feminam, eo lepore ac venustate; ut ineptae profecto ac rusticae tibi viderentur tremulae nates Photidos Appulejanae. Denique, talem peragunt saltationem, qualem verisimile est suum Herculem cum Omphale saltasse. Interea omnia constrepunt cachinnis & ronchis. Quin spectatores ipsi, satyricae Attellanaeque ὀρχήσεως furore correpti, in ipso simulatae libidinis campo, leni quodam gestu nutuque, velitantur, ac fluctuant. En Gaditanas delicias, prae quibus, Phrygiam illam κόρδακα quid aliud existimabis praeter meras nugas? Quod ad urbem spectat, habes me-hercules emporium utriusque orbis commercio & opibus florentissimum, ingenioque loci, situque, peropportunum. Nihilne (dices) de Letheo flumine? de Elysiis? Illud quidem trajeci, nec tui oblitus sum. In his versor, nec ideo me beatum judico, nisi te denuo amplectar, cujus desiderio contabesco. Vale iterum atque iterum. Ex Herculis stelis, & extremo mundo, Gadibus, XVI. Kal. Februarias, MDCCXII.

De reditu nostro ad vos, nihildum certi. Cras ad Menesthei Portum trajicere paro, inde Hispalim me conferam. Vale.



VIII. EMMANUEL MARTINUS POLYCARPO GAZINO *suo*, *S. D.*

Mantuam Carpetanorum.

LEgi perlibenter Syntagma Petri Mussardi *de Diis fatidicis*, *Vatibus*, *Sibyllis*, *Phoebadibus*, *&c. apud priscos illustribus*, Hispanice abs te conversum, quem manu exaratum, & quidem ἰδιοχειρί, proximis hisce diebus ad me misisti, ut tu quidem modeste indicabas, uti ego illud pro arbitratu meo, vel, si ita videretur, etiam libidine; aut emendarem, aut abolerem. Quo ego insigni adversus nos observantiae testimonio, etsi majorem in modum delectatus sum; habet me tamen subiratulum, tam abjecta opinio industriae tuae, tamque acris saevitiae nostrae. Percurri equidem totum opus, mi Polycarpe, nostratia verba, sensus, dictionem, cum Latinis componens: nec quicquam reperi, quod non vehementer probarem, praeter paucula isthaec, quae una cum Syntagmate ad te mitto; non tam splendidae illius personae caussa, quam mihi imposuisti, quam mutui officii nostri. Quid quaeris? Perbelle omnia. Perge ut coepisti.

pisti. Nam, ut scite Isocrates, ἐὰν ᾖς φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. Quid igitur restat? gnaviter currenti applaudere. Quod facio animo libenti hoc Epigrammatio.

Fandi Roma potens, & amoenae Graecia linguae
Cedite jam, Hispanus vicit utramque lepos.
Augur, & extispex, divinus, Phoebas, Haruspex,
Quaeque artem infandam nomina multa sonant,
Sermonem in patrium Polycarpi industria vertit,
Et dedit Hesperios reddere verba sonos.
Tamque aptas promit voces, ut credere possis,
Hinc Latium & Grajos surripuisse suas.
Ergo novos profer Polycarpe subinde labores,
Et fructus varios. Sic Polycarpus eris.

Idem Graece.

Ἡδυεπὴς Ῥώμη, ϗ εὐςόμου Ἑλλάδος αὐγὴ,
Σιγᾶθ'. ἡμεῖς μὲν νίκαμεν ἀμφοτέρην.
Μάντις οἰωνοπόλος, χρησμῳδὸς, θέσπις, ἔνολμος,
Ὅσσατε πανφοβερῶς ὀνόματ' ἄλλα ψοφεῖ,
Τόσσ' εἰς ἔγχωρον κοινὴν τε μετέφρασε γλώτταν,
Ἥρμοσεν ἡμετέρῃ ϗ Πολύκαρπος ὁμῶς.
Ταῖς δ' ἱκανοῖς χρᾶται τοῖς ῥήμασιν, ὥς κε δοκοίεν
Ἐντεῦθεν Ῥώμην χ' Ἑλλάδα ταῦτα λαβεῖν.
Σύ δ' ἄρα ὦ Πολύκαρπε δίδυ συγγράμματα πολλὰ,
Καὶ πολλοὺς καρποὺς, ϗ ΠΟΛΥΚΑΡΠΟΣ ἔσῃ.

Vale, nostra mihi vita dulcior Polycarpe, & nos redama. Ex Museo nostro, Postridie Nonas Decembris, An. MDCCXV.

IX. EMMANUEL MARTINUS PETRO VERDUGO ALBORNOZIO,

Comiti de Torrepalma.
S. D.

Senticam.

QUo fueris in me animo, Vir illustrissime, jam dudum nos monuerunt jocundissimae illae tuae in literis ad Ayalam nostrum, amoris erga nos ac benivolentiae significationes. quae mihi haerent in me-

dullis. Qualis autem eruditio tua atque doctrina; ex prima Dissertatione Syntagmatis *de Poetica*, nuperrime abs te scripta, plane perspectum habemus. Legi enim illam perjocunde, perque libenter. Quidni? cum singularis in eo opere industria, exquisita diligentia, subactumque judicium, statim in oculos incurrerent, atque in animum cum incredibili voluptate illaberentur? Introspexisti, me hercules, Poetices naturam, ejusque abstrusa adyta, penitissimosque pervagatus recessus; ea sapienter enunciasti; quae non nisi mentibus obversari possunt vere καθαραῖς καὶ εὐθείαις. nedum sordidis ingeniis & βεβήλοις, qui ἄβατα illa penetralia calcare audent ἀνίπτοις ποσί. Nihil verius quam Poetices animam esse vim quandam facultatemque, veritatis, sive (quod perinde est) naturae ipsius imitatricem, quam Graeci vocant δύναμιν μιμητικήν. Dicerem ego: naturam personatam. Idque est, quod scitissime illi appellant τὸ πρέπον. Quo sine, tota res perit; tam in dramatica Poesi, quam in epica, nec non in Lyrica. Illi subserviunt, tanquam satellites & administri, τὸ καλὸν καὶ τὸ ἡδύ, gratissimumque illud μεταβολῆς lenocinium, quae in omnibus rebus jucundissima est. Unde illud: ἡ μεταβολὴ παντὸς ἔργου χρῆμα ἡδύ, ut est apud Dionysium Halicarnassеum. Di te fortunent, Vir clarissime, qui acri tuo judicio illam Graecis artibus tribuis gloriam atque praestantiam, quam novaturiens hoc saeculum vel non agnoscit, vel fateri detrectat. Multorum praesertim insania. Quos ego non pluris facio, *quam ancillam meam, quae latrinam lavat*. Aemulatione vigere artes, laudibusque excitari ingenia; contemptione vero squalere ac pessumdari; utinam non haberemus compertum, literarum apud nos interitu. Cujus mali unica radix. studiorum ludibrium. Sed quid manus admovemus Chironio vulneri? Idcirco, ut ne ego contemptissimo cuique in hac Urbe despectui sim, Alonam migraturus mihi videor jam jamque. Diu enim est cum abiturio. Ad quos tamen dies profecturus sim, scribam ad te enucleatim, adjecta illa formula: NUM QUID VIS? Decollavit enim spes mea. Et amicorum erga me officia nil nisi ἄψυχα κάρυα. Id unum me torquebit in secessu nostro & latebris; amor & desiderium tui & Ajalae. Quae duo lumina (solem hunc testor) in oculis gero. Sed pene praeterieram, quod meminisse maxime oportebat. Numismata nempe illa Hispanica, de quibus Janus noster ad te alias. Si quid habes quo studia nostra juvare possis, mittito obsecro. Vel aurem tibi vellam. Neque enim te praeterit quam in ea studia sim devexus. Ero igitur in hac re pervicacior. Nam, ut scite Aristophanes.

Τὸ γὰρ ἀποστῆναι χαλεπὸν,
Φύσεως ἣν ἔχει τις ἀεί.

Janum nostrum unice colo, nec ullo prorsus plus homine delector. Cum ob insignem ejus eruditionem ac doctrinam, qua caeteris praestat; tum ob singularem animi candorem ac fidem. Quod in hoc saeculo, vere luteo, por-

portenti instar. Multus de te sermo in congressibus nostris, & acrius in dies tui desiderium. Vale nostri memor, & in isto secessu, valetudinis tuae curam gere. Mantuae novae in Carpetanis, VIII. Eid. Martias, An. MDCCXVI.



X. JOANNES CONDUITH
V. R. EMMANUELI MARTINO
S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

CUm jam diu perscrutandarum Hispaniae antiquitatum ingenti studio accenderer, & ducis cujusdam, in itinere nostratibus tam ignoto, satis superque indigerem; Holzendorffius meus, amicorum nunquam immemor, te, Vir Reverende, in nullo literarum genere hospitem, & tam humanitate quam scientia mundanum, ob oculos posuit. Ego illico tale commercium totus ardebam; pro tenuitate mea autem ambire non auderem, nisi candorem tuum juxta noscerem.

Multa Romanorum numismata loca haec circiter collegi, quaedam inter ruinas non ignobiles quatuor ab hac Urbe distantes millia; ubi, ni multum fallor, stetit Carteja illa, de cujus situ, auctorum gravissimorum, tam vestratum, quam exterorum, varia est sententia, error communis. Quicquid mihi rudera illa etiam atque etiam investiganti illuxerit, ubi librorum, quos diu aveo, Holzendorffius copiam fecerit, tibi commendabo. Mense proximo, si Deo visum fuerit, provinciam hanc peragrare decrevi, Ximenam primum iturus, ubi Mariana ponit speluncam, in qua Crassus se occuluit, deinde Mundam praelii illud celeberrimi Theatrum, illinc Cordubam, Hispalim, & Gades. Tu, V. R. quem nulla antiquitas, nullus hujusce regionis angulus latet, quae Romanorum reliquiae ibi passim extiterint, qui Scriptores in rebus tam obscuris indagandis consulendi sint, candide imperti. Tali equidem fretus auspice, quantuluscumque sim, alacer procedam. Tu interim, V. R. vivas valeasque, & nostri, tuae amicitiae studiosissimi, ne sis immemor. Dat. Calpe, Kal. Mart. Ann. Salutis, MDCCXVI.



XI. EMMANUEL MARTINUS

JANO CONDUITH,

Viro ornatissimo ϗ φιλαρχαιοτάτῳ,
S. D.

Calpen.

EGo vero Holzendorfio nostro maximam gratiam habeo*, qui me tua amicitia dignum judicavit. Quo ille beneficio voluntatem meam egregie devinxit. Nihil enim accidere mihi potest neque optatius neque jocundius, quam si aditus mihi patefiat ad viros doctrina atque eruditione illustres, ac tui similes. Quo accedit affine inter nos studium, atque institutum colendae antiquitatis. Quod igitur faustum fortunatumque sit, porrigo hanc dexteram, fidei pignus, Vir illustrissime: cedo tuam. Atque utinam coram id facere liceret, ut in Baetica peragranda, obeunda, lustranda (quod parare te dicis) lateri tuo adhaererem. Tanto Theseo quasi alter Pirithous. Neque enim leves sunt exhauriendi labores, in regione, fatali quadam incolarum inertia pene ἀδιεξίτῳ atque inhospitali. Adhaererem tamen. Quod profecto per me accidisset, si toto proximo triennio, quod Hispali exegi, vel aliqua nominis tui aura animum meum titillantem scalpsisset. Quod a me tunc omissum ob sodalis defectum. Sunt enim eae peregrinationes absque itineris laborumque consorte quam molestissimae atque aerumnosissimae. Quem inter nostrates quaerere, id vero est, (quod proverbio dicitur) ab asino lanam. Et ego quondam ad illustrandas res patrias & spem & animos erexi. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hispaniae Genius. Facultates enim nostrae nullae, amicorum copiae exiguae, procerum opes inertes: eaeque temporum acerbitate attritae. Est autem res sumptuosa quam parabamus. Quo igitur viatico Hispaniam omnem peragrabo? antiqua lustrabo rudera? neglectos versabo cineres? Nempe regio. Id unum superest. Fortasse id impetraremus ab optimo Principe, si essent qui ejus auspicia sollicitarent. Sed vides nodum, in quo solvendo plus sit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus in utramque, & altum stertamus. Quando ad id unum aliena ope non indigemus. Nec nascuntur apud nos Sunderlandi. Postquam autem in fatis est, ut nobilissima antiquitatis monumenta, quibus tota haec regio conspersa est, nostratium vel stupore vel ignorantia, neglecta jaceant & ingloria; quibus vos ego laudibus ornabo, homines exteros, ad quos cum minime pertineant ornamenta antiquitatis nostrae, ac veteris majestatis honos; ducti tamen vel studio retro saeculorum, vel nostri misericordia tacti; ea saevitiae nostrae itis ereptum, ad eorum tantum exitium ingeniosae atque solerti. Nota loquor. Cum enim Hispalenses caemento saxisque

xisque opus haberent ad murum ſtruendum adverſus vim fluminis, a quo Urbi exitium imminebat; publice decretum eſt, ut Amphitheatrum(quod in veteris Italicae veſtigio adhuc exſtabat, pulcherrimum mehercules atque integerrimum) funditus ſubrueretur, allatis eo tormentis, ac ſuffoſſis. ſcrobibus pyrio pulveri admittendo, quo tota illa compages disjiceretur. Quod egregie factum. Nec tamen eventus eorum diritati ad amuſſim reſpondit, obſiſtente veteri ſtructura, quodam perdurandi amore. Cujus ego faciem ſuperſtitem, una cum ichnographia, ad clariſſimum virum Bernardum de Mont-faucon Lutetiam transmittere decrevi. Ut in ſuo *Theatro Antiquitatis*, cujus editionem parat, ſaltem queat perennare. Par facinus a Saguntinis admiſſum. Theatrum enim quod apud ipſos eſt, tanquam ex conſtituto demolientes, maximam ejus partem avulſerunt. coenobio cuidam privatiſque domibus exſtruendis. Ac niſi operis durities & pervicacia ferri inſolentiae reſtitiſſent; actum profecto jam eſſet de monumento illo. Cui etiam, quantum in me fuit, vitae lumen aſperſi. Expreſſum enim per omnia lineamenta, etſi tetro aſpectu ac miſere foedatum. Pariſios quoque iturit, una cum deſcriptione noſtra. Nec id tantum, ſed publicum decretum a Saguntinis extorſi, quo graviſſima poena iis infligitur, qui illud cumque igni ferrove violaverint. Quo tu me animo eſſe exiſtimas, Vir doctiſſime, inter haec literarum ludibria, & ſtudiorum noſtratium nugamenta? Proficiſcere igitur bonis avibus luſtratum verenda antiquitatis veſtigia. Quando quidem autem non licet me tibi comitem adjungere; te ſaltem per eas delicias luxuriantem animo perſequar. Ex auctoribus noſtratibus rerum antiquarum notitiam perdiſcere velle; perinde eſt ac ſi aquam cribro haurire velis. Simulac enim pedem figunt in vetuſto ſolo, toti abeunt in nugas & fabulas aniles, ac febriculoſa deliramenta, ob ignorationem ſtudii antiquitatis.

Non miror eam te iſthic nactum antiquorum numiſmatum copiam, qui ſciam omnem Hiſpaniam eorum eſſe foecundiſſimam, nihilque in ea tam obvium quam veteres nummos, ſive vomeri, ſive ligoni, ſive raſtro. Quod tamen fortunae beneficium indigenarum inſcitia corrumpit. Quam inſaniam nec Hercules ipſe expugnare valeat, qui tot monſtra perdomuit. Equidem rei nummariae ſtudium eximium ſemper habui. Nihil eſſe ratus quod magis nos erudiat, inſtruatque ad ſacratiſſima illa antiquitatis penetralia rite adeunda. Quare nos etiam hanc molem verſavimus. Nec fruſtra. Collegimus enim aliquot nummorum Chiliadas, inter quos rariſſimi nonnulli ac praeſtantiſſimi. Plures etiam qui topographiam noſtram mirifice illuſtrant, augent quin etiam. Et quando tu Carteiae mentionem injeciſti, ſcito in Muſeo noſtro exſtare quatuordecim veteres nummos diverſi typi ad eam Urbem pertinentes. Quod portenti inſtar. Eruuntur etiam frequentiſſime in tota Hiſpania, praeſertim in Citeriore, ingentes nummorum quorundam acervi, characteribus ignotis. Quos ego *Hiſpanienſes*

nienses appello. Compertum enim mihi est ad Hispaniam pertinere nondum Romanum jugum expertam. Quibus explanandis haud perfunctoriam operam impendimus. Quam non lusisse aliquando, si edendi facultas, liquido demonstrabimus. Nam ego etiam in hac literarum vastitate, ἀνακρέατος Citharoedus, cum aliis non possim, mihi cano. Punica numismata obvia in istis oris. Quae omnino referenda ad Gades, Cartejam, Fanumque Luciferi. Habeo enim ad tria haec oppida pertinentia, Punicis literis. Obulconis praeterea nummi exstant charactere exotico. Aliter alii. Ea fuit veteribus Hispanis linguarum varietas & πολυγραφία. Quod antiquorum scripta testantur. Interea, Vir eruditissime, antiqua rudera, melioris aevi monumenta, quaecumque oculis lustrare contigerit, deosculare meo nomine. & si ex me tibi aliquod adjumentum, ope, opera nostra utere. Et vale. Mantuae novae in Carpetanis, An. MDCCXVI. Pridie Kal. Aprileis.



XII. JOANNES CONDUITH
V. R. EMMANUELI MARTINO,
Decano Alonensi S.

Literae tuae, V. R. me maximo affecerunt gaudio. Quantum doctrinae? Quantum humanitatis? Encomia illa, utpote tenuitatis meae satis conscius, parum patienter ferrem, nisi ex candore tuo profecta existimarem: me certe, si is sum qui excitari possim, vehementer excitabunt, Tali accensus praecone & tanto adjutus duce remis velisque intendam ut ille sim quem tu ex tua indulgentia me praedicas. Dolet mehercule adeo insignes populi illius terrarum domini reliquias, quibus tempus omnium rerum edax & ipsa barbaries pepercerat, ab Hispanis publico edicto subversas esse. Tu, Vir clarissime, perge, uti facis, veneranda illa tueri monumenta, non minus patriae tuae quam antiquitati consulens, & laudes tali operae debitas, si non his temporibus olim a posteris certe consecuturus. Libros, quos Holzendorphius noster huc transmitti curavit, avidissime exspecto, vereor autem ne calores aestivi nostratibus tam invisi prius ingruant quam ex illis ad perlustrandam Baeticam satis instructus fuerim.

Nuperrime Septam in Africa trajeci, multas vidi Maurusiorum reliquias; Romanorum nullas, ideo forsan quod major pars Urbis antiquae hodie in castris Maurusiorum est: aliter enim evenire non potuit, ut nulla vestigia celebris Coloniae & Mauritaniae Tingitanae capitis existerent. Septem colliculi unde septem fratres & Septa vocabatur, adhuc clarissime apparent, ab hac Urbe fortassis semibarbarus ille Anonymus Ravennas fretum

fretum hoc Septe Gaditanum toties appellat. Ubi nummos antiquos quot hic inveni in ordinem redegerim, catalogum tibi mitti curabo: unum Othonis Imperatoris prae omnibus thesauri instar aestimo. Tu invicem, Vir ornatissime, quae numismata Musaeum tuum adornent, ubi nummi illi Cartejenses inventi sint communices velim, quamvis enim Carolus Sigonius satis audacter Althaeam in Tito Livio pro Carteja legendam asserat, & viros gravissimos in eundem errorem induxerit, nullus dubito quin duae Cartejae exstiterint, una in Celtiberia, altera prope fretum, utraeque a Tito Livio & aliis diligentissime descriptae. Vale. Calpe, An. MDCCXVI. Quart. Kal. Majas.



XIII. EMMANUEL MARTINUS JANO CONDUCTIO,

Viro eruditissimo atque humanissimo,
S. D.

Calpen.

Vixdum itineris pulverem excusseram, Vir ornatissime, quum redditae mihi sunt literae tuae, IV. Kal. Majas Calpe ad me datae, & ab Holzendorphio Mantua Carpetanorum accurate ad me missae. At eum tot migrationem nostram consequutae fuerint cum domesticae, tum officii nostri molestissimae occupationes tricaeque; praetereundum sane mihi fuit quod omnium erat jocundissimum. Nimirum, tecum colloqui. ac mutua illa literarum studiorumque nostrorum ἀμοιβή. Accesserat etiam animi angor ob podagrae dolores, & quaedam ignaviae dulcedo. Cum ergo & negotiis quibus maxime eram districtus, tantisper me relaxarim, & ex pedibus meliuscule habeam; non committam, ut officium praetermisisse erga te nostrum & tu sentias, & caeteri calumnientur. Quare redeamus in viam. In primisque vehementer scire abs te cupio, num egregium illud de Baetica perlustranda consilium vel re ipsa praestiteris, vel potius abjeceris. Erat enim plenum laboris ac molestiarum. Quod si certe expedivisti, quosnam ex ea fructus reportaris, quaenamque tam eximiae industriae emolumenta. Quod ut mihi enucleatius perscribas, per ego te amorem in te nostrum, perque fortunas, mi Conducti, te oro atque obsecro. Video te antiquitatis studio ad Septam trajecisse. Spe autem falsa delusum. Cum nullum prorsus in ea deprehenderis priscae Urbis vestigium. Recte autem censes, si quod forte superest; inter Maurorum illud attegias & mapalia delitescere. Quod de Othonis nummo scribis, valde vereor ne te deceperit manus veteratoria. Est enim mihi suspectus occidens.

Incidi

Incidi ego quoque Hispali in binos aereos; sed ὑποβολιμαίυς καὶ κιβδήλους. Impudentissime enim grassati sunt in hoc Imperatore impostores & παραχαράκται. Cura igitur ut ectypon ad me transmittatur. Immo & caeterorum, quos tu vel raros duxeris vel eximios. Rependam tibi operam, ubi primum confusam nostrorum congeriem in ordinem redegerim. De duplici Carteja, quod tu asseris, nusquam me legisse memini. Uti nec de Carteja Celtiberiae. Semper enim Livius de ea loquitur que ad fretum Herculeum, quaeque olim Olcadum caput. Sed video erroris caussam. Deceptus nempe es Olcadum mentione. Quo nomine multiplices reperio in Hispania populos, a Graecis inductos, rerum nostrarum ignoratione. Nimirum in Tarraconensi, intra Iberum fluvium, quorum oppidum Althaea erat, teste Polybio. Deinde circa Carthaginem novam, auctore Suida. Ac tandem in Baetica, apud Calpen, quorum caput Carteja, ut Livius & Mela memoriae prodidere. Ad quam Urbem pertinere non dubito omnes nummos eo nomine inscriptos; in quorum aversa parte expressa ubique cernuntur, vel litoralis Urbis situs, vel maritimum commercium. Sunt enim apud nos, in quorum altera parte exstat caput Urbis turritum, in altera Neptunus dextra delphinum gestans, sinistra tridentem. Porro, qui idem caput exhibent, in averso autem nummo Cupidinem delphino inequitantem. Item vel unum delphinum vel plures, proram ratis hinc delphinum inde gubernaculum navis, & similia. In omnibus autem diserte legitur CARTEIA. Vale, Vir praestantissime. Alonae, XIV. Kal. Octobreis, An. MDCCXVI.



XIV. JOANNES EMMANUELI *suo*, S. P. D.

Alonam.

EXprimere, Vir clarissime, verbis non possum, quantam laetitiam ex literis tuis XIV. Kal. Oct. perceperim, silentium enim tam diuturnum maxima sollicitudine me torquebat. Holzendorphium saepe multa super Emmanuele nostro frustra rogitaveram, interdum animo obversabatur, Q. F. O. M. avertat tam cari capitis infirmitas; interdum (fatebor enim) te nostri oblivionem aut taedium coepisse subverebar, nec minus passus sum animi angore, quam tu corporis dolore; nobis itaque in vicem gratulemur.

Baeticam expeditionem nec penitus abjeci, nec persolvi. Ximenam usque iter feci, ubi quasdam inscriptiones Romanas inveni, quarum major pars satis negligenter inserta est libro de *Gadibus*, vulgo dicto *Emporio del*

del Orbe, *Gadiz*, ubi pro SEX. QUINTILIO. SEXO. VINTILIO ponitur. Nullus dubito quin ibi oppidum Romano nomine Oba, exſtiterit, marmor enim templo inhaerens prae ſe fert RESPUBLICA OBENSIS.

Tariſſam etiam viſitavi, ubi nullae Romanorum reliquiae mihi occurrerunt praeter numisma in cujus una parte clare legitur BAILO, in altera cernuntur Sol, Bos, & Spica. Ni multum fallor ad Urbem illam quam Ptolemaeus βαίλων, Strabo, Mela, & caeteri *Baelo*, & *Bilone* appellant, pertinuit. Viri fide digni mihi dixerant ruinas non ignobiles adhuc exſtare circiter tres leucas a Tariſſa diſtantes, e regione Tingis hodie corrupte dictae *Bolonia*. Situs mire congruit cum deſcriptione Baelonis apud Strabonem. Nomen parum diſcrepat.

Quid ad Cartejas attinet (pace tua dixerim) credo duas exſtitiſſe. Livius accuratiſſime ſitum ambarum ſemper diſtinguit. *Carteja celeberrima Celtiberiae Urbs*, *Olcadum caput*, *&c.* *Carteja ad Oceanum*, *Carteja in ora Oceani ſita.* Quae diſtinctio foret ſupervacanea, ſi una ſola Urbs illius nominis exſtiterit. Nec veriſimile eſt Hannibalem poſt Cartejae apud fretum expugnationem in Carthagine nova hibernari. Dexter multo clarius duas memorat. *Sanctus Iſchius Cartejae prope fretum praedicat*, *totamque oram maris interni percurrit & Aloni & Cartejae alteri in mediterraneo mari non procul Carthagine Spartaria praedicat.* De nummis Cartejenſibus tibi totus aſſentio. Otho noſter nec, uti tu ſuſpicatus es, ſpurius, nec uti credidi, legitimus: pertinet enim avo Imperatoris ejuſdem nominis triumviro monetali ſub Auguſto Caeſare, quem memorat Suetonius in vita Othonis. In una parte legitur AUGUSTUS CAESAR. In altera M. SALVIUS OTHO III. VIR A. A. A. F. F.

Ectypa numismatum tuorum quae polliceris ardentiſſime aveo. Cito itaque mihi cures, etiam atque etiam ſupplico. Hiſpaniae tabulae Geographicae in Flandria & Gallia expreſſae errorum pleniſſimae ſunt. Ubi meliores inveniam, indica.

Una cum his tibi reddentur duo Muſarum noſtratium volumina, tenuia ingentis amoris pignora. Vale, Vir ornatiſſime. Dat. Calpe, Id. Jan. An. MDCCXVII.

XV. EMMANUEL MARTINUS JANO CONDUCTIO *ſuo*, S. D.

Calpen.

Literas tuas, una cum *Analectis Muſarum Anglicanarum*, reddidit mihi Salomon Meritius valde diligenter. Quarum nempe literarum deſi-

derio tam diu me torsisti. Tu autem, homo astute, cum ob eam caussam probe novisses me tibi fore subiratulum; labefactare aggressus es objecto munere. Quo ego munere maxime (ita me Di) delectatus sum, cum ob animum mittentis, tum ob poematum venustatem & elegantiam, quae me incredibili affecerunt (utar vocabulo turpiusculo) voluptate. Ergo in aere tuo me esse, quidni fatear? Sed leve id est. dicam amplius: tuum me esse mancipio & nexu. Quod ita esse, vehementer velim tibi persuadeas, ut ne unquam in eam incidas suspicionem, me quicquam de amore summo in te nostri remittere posse, vel satietate vel fastidio tui. Mirum profecto est quod narras de inscriptione illa: RESPUBLICA OBENSIS. Silent enim oppido de oppido isthoc libri, saxa, metalla. Vereor tamen ne insculptum sit: RESPUBLICA...OBENSIS, pro ONOBENSIS, duabus literis excisis. Quod diligentiae tuae erit accuratius investigare. Fuit enim ONOBA oppidum haud ignobile in eo tractu. Quod ad nummum attinet, in quo diserte legitur BAILO, scias velim eximie illum raritatis esse atque praestantiae, ac penes te unum exstare toto orbe terrarum. Cujusmodi ego nonnullos corrasi in Baeticae peragratione: nimirum cum inscriptionibus: ITUCI, SUCCUBO, VENIPO, OSTUPO, CORDUBA, ac similibus. Eruuntur enim quotidie apud nostrates. Sed exitiabili gentis ignavia, ubi exploraverint nihil ad eorum loculos pertinere, nefariis manibus illo denuo protrudunt, unde emerserant. Quo fit, ut quod propitius aliquis Hispaniae genius effodit, infesti illi iterum defodiant, maxima cum nominis famaeque nostrae jactura. Video te in Flavii Dextri Chronico evolvendo & oleum perdere & operam male locare. Quod sane miror. Est enim totum illud opus splendidissimis mendaciis anilibusque fabellis refertum. Ab impostore quodam confictum (cujus ne nomen quidem nescitur) qui eo conjecit male sani capitis deliramenta. Monstrum, non librum. Quem, si sapis, procul a te amovebis; vel, quod aequius, abolebis igni. Numismatum Cartejensium exempla dudum ad te misissem, si esset qui ea delinearet: sed inopia artificis factum est, quo minus tibi promissa patraverim. Ubi copiam nactus fuero scitae alicujus manus, praestabo fidem, nec desiderium tuum fallam. Geographicam aliquam Hispaniae tabulam accurate emendatam quaerere, id vero est nodum (quod dicitur) in scirpo. Quod acceptum etiam referendum est doctrinae (si Dis placet) ac diligentiae nostrae. Tu utere mea, & valetudini tuae quam diligentissime consule. Alonae, Nonis Aprilibus, An. MDCCXVII.

XVI. E M-

XVI. EMMANUEL MARTINUS ANTONIO CARRILLO,

Egregiae indolis adolescenti, S. & amorem.

Romam.

UT primum in Menesthei Portu officii caussa me convenisti, Antoni jocundissime, ita ingenii tui acumine, sermonis venustate, modestia, caeterisque animi tui ornamentis delectatus sum; ut non tantum summae mihi essent voluptati colloquia tua; sed & suavissimo quodam motu atque illecebra sensus deliniti; propemodum jam laborare viderentur impotentia sui. Quam animi affectionem quidni amorem appellem? Cum interim de adventus tui caussa, quove inde proficisci tibi esset constitutum, curiosius sciscitarer; eo te demum venisse comperi, quo te in novum orbem trajiceres, navemque praestolari qua illo gentium avolares. Pupugit me altius consilium (ut mihi videbatur) minus commode minusque salutariter susceptum. Perspexeram enim auream quandam animi tui indolem, naturamque ad studia literarum potius devexam ac Minervae artes, quam ad mercaturae fraudes & quaestuosa mendacia. Itaque ad ineptissimum consilium frangendum acrius me converti, eo confidentius quod mihi videbare parum alacriter parumque ex sententia in id negocii te conjicere, animique adhuc pendere. Ad haec, a ducenda uxore te longissime abhorrere, ac liberorum educandorum tricis. Sacerdotium te unice cogitare. Te coelibe omnia vitae commoda abunde tibi affore. Libertatem praesertim ac tranquillitatem, in quis humanae felicitatis copias esse sitas vere ac sapienter ducebas. Cum te igitur tam miti ingenio compositisque moribus animadverterem. Quo, inquam, pertinet teterrima haec navigatio? tot exantlandi labores? tot pericula subeunda? Quid enim aerumnosius diuturna navigatione? mari praesertim tam vasto ac procelloso. An ignoras illud Posidippi:

Ο' μὴ πεπλευκὼς ἐδὲν ἑώρακεν κακόν;

Num ea omnia, praeut opum gloria est ac splendor, levia ducis ac contemnenda ut laute vivas, ut luxurieris, ut inter pocula & dapes inertissimo otio marcescas? Id tu curas scilicet. Adolescens, ut mihi certe visus es, gravis, frugi, continens, industrius, literarumque amore flagrans. At fortasse eo te confers ut studiis vaces, sub Indorum nempe institutione ac disciplina. Optimos hercle magistros! Si rationum potius libros, quam scien-

ſcientiarum, tractare tibi eſſet conſtitutum. Sed tu quidem alia omnia. Quorſum igitur fluunt rationes tuae? Miſeret me profecto tui, qui optimam indolem, & praeclara naturae ornamenta, pravo iſthoc ac praepoſtero conſilio veluti jugulaſti ac corrupiſti. Quamnam igitur viam inſiſtam? ſubjeciſti. Nam te mihi oportune Deum aliquem objeciſſe, pro comperto habeo. Quando, inquam, te video ancipiti ſententia nutantem; agedum, ineamus rationem. Ac primum quidem exclamare libet cum Alexide:

Ω'ς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον ἄνθ' ὑπέρχεμον!

Semper enim mediocritas & optima mihi viſa eſt & maxime expetenda. In facultatibus praeſertim & copiis, quibus mortalium vita ſuſtinetur ac fluit. Cum enim ex fortunae bonis uſus tantum in nos recidat, quorum neceſſitas certis finibus circumſcribitur; hinc fit, ut re quidem familiari fruamur, ſi modica: careamus autem, ſi nimia. Nam ea quae in loculis jacent, cum extra vitae uſus neceſſarios vagentur; quanti refert, utrum tua illa dixeris, an aliena? Certe non magis tibi uſui ſunt quam caeteris. Niſi iis abuti velis ad bonae mentis perniciem exitiumque. Quo ubi ſemel a recta rationis via aberraveris; fruſtra opes quaeſieris inſaniae furorique minime ſuffecturas. Quae igitur eſt amentia divitias ſectari, ſi vir probus fueris, non profuturas, ſin autem improbus, etiam obfuturas? Si ſobrie vixeris, inertes; ſi contra, lethales? Quaeque ad bene beateque vivendum non magis conferunt quam gladius, aut parata domi venena. Sacerdotibus praeſertim, quibus indicta eſt in victu cultuque corporis gravitas, caſtimonia, continentia. Sed omni niſu contendere, animoque conniti oportet, ut veterum ſcriptis quam arctiſſime inhaereamus, diſciplinarum apiſcendarum cauſſa. Quo te vitae inſtituto unice delectari, & faſſus es, &, vel te tacente, facile noſſem. Produntur enim ſponte ſua atque effluunt naturae impetus. Sedeamus igitur ad calculos. Quo te vertes apud Indos in tam vaſta literarum ſolitudine? Quem adibis, non dicam magiſtrum, cujus praeceptis inſtituaris, ſed auditorem? non dicam aliquid ſcientem, ſed ſcire cupientem. Dicam enucleatius: a literis non abhorrentem? Ecquoſnam evolves codices? Ecquas luſtrabis Bibliothecas? Haec enim omnia tam fruſtra quaeres, quam qui tondet aſinum, vel mulget hircum. Eugepae! Abjice has nugas, atque eo iter converte, ubi & animum excolere queas, & honeſtum vitae ſubſidium tibi parare, & novos honores capeſſere. Ad haec tu: Ubinam gentium contingere nobis haec poſſunt? Romae, ſubjunxi. Ea genio, ingenio, inſtitutoque tuo paratiſſima ſedes. Tunc ad me: Videris mihi profecto parentum meorum monita & lacrymas habere perſpectas, quibus nihil accidit unquam acerbius hac trajectione. Oderunt illi ſemper atque exſecrati ſunt divitias apud Indos partas. Longo enim uſu compertum eſt nihil eſſe illis funeſtius. Nae

Nae illi tibi immortaleis gratias agerent, si hoc tuum in me a sententia removendo studium agnoscerent. Quod alii frustra tentarunt. Eja igitur, abjiciuntor male sana consilia. In tuam sententiam pedibus transeo. Flectamus iter, & te sequamur salutis nostrae auctorem. Et cum dicto vasa colligere, parare sarcinulas, & quem prius oderas, vocare favonium. Ea tu cum pro mitissimo tuo ingenio atque egregia indole, singularique in nos studio ac benivolentia, patraveris; ita tamen cum animo tuo reputa, non te idcirco Urbem petiisse, ut vias & compita tereres, ut aedificiorum magnificentiam admirarere, ut inertem vitam ageres, ut in salutationibus, caeterisque candidatorum officiis contabesceres. His enim artibus quid refert Romaene sis an Mexici? Sed ut in eam curam & cogitationem incumbas, quae dignitatem tibi & gloriam afferre possunt. Id aetatis es, quae maxime censetur idonea studiorum virtutisque incrementis. Annum enim agis sextum & vicesimum. Cavendum in primis tibi est quam accuratissime a nostratibus, vitandique eorum congressus. Est enim genus hominum impurum atque iners, ac solutissimae ignaviae, a studiis abhorrens honestoque labore, aleae & comessationibus indulgens, insolens, garrulum, ventosa crepitacula potius quam homines, ac molestissima obversacula. Etsi enim te sponte tua satis ad virtutem incitatum videam, mea tamen cohortatione quasi calcar adhibere volui. Ut amori potius nostro satisfacerem, quam ut te ab aliquo vitio revocarem. Allabora igitur, & connitere ad gloriam & famam, per amicitiae nostrae arctissima pignora, per genium tuum, per salutem parentum & curas. Ac vale. Ex Museo nostro, IV. Kal. Majas, MDCCXVIII.

XVII. EMMANUEL MARTINUS CHRISTOPHORO CORETIO,

bene rem gerere.

Valentiam.

POstridie quam a te literas acceperam, traditi mihi sunt Ludovici Vis nostratis Dialogi, Hispanice abs te conversi. Evolvi, legi, immo perlegi. Cumque omnes nitidissimi scriptoris veneres leporesque cum metaphrasi tua, adhibita critica lance expendissem; visa mihi illa est in neutram vergere. Summo acumine, summaque industria, difficiles illas facetiarum salebras superasti. Quin venustissimos Latini sermonis sales tam apte, tamque concinne, in lucem protulisti; ut videaris profecto, non tam illos expressisse coactum, quam sponte fudisse. Denique, omnia belle.

Majansium nostrum infestari querquera, permoleste fero. Insanit literarum amore generosae indolis juvenis eoque correptus, intra unius studii carceres contineri, ignavum ducit. Non ego, cui alte infixum illud:

Τὰ πολλὰ πράττειν ἐστὶ πανταχοῦ σαπρόν.

Festinandum est lente, ut mature pervenias. Exercendae vires, non exhauriendae. Quid enim valetudini exitiosius, quam studia nunquam intermissa, acriores cogitationum morsus, ac perpetes vigiliae? Quae animi corporisque nostri vires misere depeculantur ac depascuntur. Quibus vel dejectis, vel fractis, non tantum labori sustinendo impares sumus; sed animum despondemus, amore ducendi spiritum. Quandoquidem

Οὐκ ἔσθ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

APASTEROSIN nostram, si per bibliopegum licuerit, mittam una. Sin autem, ibit alias. Non quidem ut munus munere rependam, aut referam gratiam, vel exigam. Sed ut ostendam officio hoc mutuo, munus tuum mihi fuisse multo jocundissimum. Majansium salvere jubeo. Vale. Alonae, XI. Kal. Decembr. An. MDCCXXIII.



XVIII. JOSEPHUS JOACHIMUS LORGA EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi, viro eruditissimo, ac Musarum Antistiti

S. P. D.

CUm superioribus diebus ego & clarissimus Gregorius Majansius, vir profecto & in Latinis literis, & in Juris scientia peritissimus, de politiori literatura, ut saepe cum una sumus, loqueremur, ipse multa mihi de ingenio tuo, multiplici eruditione tua, ac singulari etiam doctrina retulit. Tumque e vestigio mihi in manum dedit Ἀπαστέρωσιν tuam, cujus nulla mihi adhuc erat notitia. Legi aliqua quantum per breve tempus licuit, miratus orationem in utramque partem tam puram, perspicuam, tanta eruditione ac lepore adspersam, ut ipsa Latii venustas mihi visa fuerit. Quod sane ita meum animum egregia quadam voluptate delinivit, ut nullum tempus praetermitterem, cum ab instituendae juventutis officio vacabam, quin hujusmodi libellum emissitiis, ut ita dicam, oculis quaeritarem. Quem cum offendissem, statim coepi summa alacritate legere. Nec prius cessavi, quam totum usque perlegerem. Quibus & quantis me donasti gaudiis, Deus immortalis! Ut mihi cordi fuit! Hoc unum

unum dolui, quod multo plus ante non fuissem nactus. Egregie enim sum oblectatus vernaculo prisci sermonis sapore, & mirum in modum captus ingeniosissima elegia, summa eruditione ac venustate condita; quae sane ipsis Ovidianis sese inserere merito contendit, tam propter eruditissimi carminis fluidos numeros, quam pristinam elegantiam proprietatemque sermonis. Quae omnia id efficiunt, ut cum a Mignana & Majansio saepe audierim, te esse unum, in quo summa essent omnia, aequissimam horum virorum de te opinionem esse perspiciam. Maximas itaque tibi ago, atque habeo gratias. Maximae etiam a literarum studiosis debentur tibi, qui exulantem illam Romani sermonis proprietatem, nitoremque orationis in Hispaniam nostram quodam quasi postliminio reduxisti, ut fere videatur non esse, cur priscis, ac purissimis saeculis invideamus; sed ut hoc nostro nos quodammodo consolemur, in quo tu nobis auctor adesse potes; cujus ego aemulari exopto negligentiam potius, si vix ulla esse possit, quam priscorum obscuram quorundam diligentiam. Haec omnia meum permoverunt animum, eruditissime Vir, ut ad te tandem scriberem, quo te certiorem faciam me quamquam adhuc os tuum non viderim, tui tamen esse studiosissimum. Ignosce igitur mearum literarum inconcinnitati, qui tanquam anser ausim obstrepere olori. Noli vero tuas ad me non mittere. Quin potius tuae, si lubet, adscribe me clientelae. Nihil enim mihi poterit accidere jucundius, quam te habere patronum. Vale multum rei literariae bono. Valentiae in Edetanis, XIV. Kal. Aprileis, An. MDCCXXVII.



XIX. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO LORGAE

S. D.

Valentiam.

SI tu & Majansius valetis, bene est: ego quidem valeo. Quo minus ad te rescripserim per proximum tabellarium, in caussa fuere molestissimae occupationes, quibus id temporis tanquam vinculis quibusdam Tyrrhenis constricto, ne ad aures quidem scalpendas otium suppetebat. Nunc autem, quando nacti sumus pusillum laxamenti; respondebimus ad literas tuas plenas pristini candoris, officii, humanitatis: quibus me, hominem nullis literarum ornamentis, tot laudibus cumulasti. Nam quod de Ἀπαστειώσει nostra argumentum profers, per illud est exiguum, perque imbecillum. Rusticationis otiolum eo luxu contrivimus, ut ne inerti illa remissione vel obtorpesceret animus vel languesceret. Litavi Musis eo poematio:

matio: exploraturus potius, num afflatus ille juvenilis & furor consedissent, quam ut ostenderem

In utramque partem ingenium quid possit meum,

ut est in Terentiana *Heautontimorumeno*. Arrisere eae nugae utrique Bulifoni. Itaque ab iis ad me literae (ruri enim agebam) quibus significabaut, se illas omnino editurire. Obnitor ego. illi contra. Ut existimationi meae consulerent oro atque obtestor. Surdis fabulam narro. Itaque pervicere. Quid facerem? Amicis gerendus est mos. Igitur Apasterosis nobis invito in lucem protrusa est. Quae res rationes nostras non interturbavit modo, verum evertit. Pruriginem enim illam & cacoethes, quo multi laborant, edendi quicquid in buccam venerit, odi atque detestor. Publica judicia semper exhorrui. Versatur enim ante oculos multorum livor, nonnullorum impudentia, complurium inscitia. Quibus mos est impune de nostro corio ludere. Eodem fato in lucem prodiit Diatriba nostra de Theatro Saguntino, edita Lutetiae Latine & Gallice a doctissimo viro Bernardo Monfalconio in stupendo vastissimoque opere *Antiquitatis explanatae*. Mignanam & Majansium, duo illa clarissima lumina, patriaeque ornamenta, in oculis fero. Tibique cum tantis viris necessitudinem intercedere vehementer gaudeo. Si tibi copia illos salutandi, uterque a me salveat. utrique meo nomine osculum impinges. Et vale. Alona, III. Kal. Majas, An. MDCCXXVII.



XX. JOSEPHUS JOACHIMUS LORGA EMMANUELI MARTINO,

alteri Latinitatis Varroni

S. P. D.

QUid tu, inquies, tam sero ad nos literas? Num oblitus es benevolentiae, & officii erga me tui, quod primis tuis literis ostendisti? Minime vero id quidem. Sed stomachi languor, quo plus octo mensibus laboravi, fuit quidem in caussa, quo minus ad te rescripserim. Huic accesserant crebrae capitis vertigines, quae meam mentem ita circumagebant, ut aegre traducere possem statas horas praelegendi in Academia. praeterea nihil. Omnino cogebar in diem vivere. Nunc autem cum valetudinem, etsi non pristinam, magna ex parte tamen recuperarim, statui has ad te mittere. cum ut meam benevolentiam, & observantiam erga te summam confirmarem. tum etiam ut videas quid mihi sit negotii

negotii cum quibusdam nasutis Aristarchis, inscitiam suam ac putissimam barbariem prodentibus. Rogarant me cives honesti, & locupletes, ut filios suos, quos publice in Gymnasio docebam, intra domesticos parietes erudiendos etiam privatim admitterem. Etsi ego id oneris domi suscipere renuebam, facere tamen non potui, quin eorum obsequerer studiis, & voluntati. Ergo Terentianas Comoedias ipsis praelegi, easque effeci ut memoriae mandarent, ut hoc pacto, & tutius Latine discerent, & emendatius loquerentur. Mihi enim semper visae sunt ad linguam aptissimae, & ad quotidianum sermonem multum conferre. Hinc cum viderem pueros in dies expeditiores, & provectiores fieri, statim mihi eundem Scriptorem publice praelegendi cupido incessit. cum ut juventus exuta barbarie, qua per hosce annos post factionum tumultus, ac furentes belli aestus misere fuerat circumfusa, Romanae linguae candorem indueret, nitoremque orationis. tum etiam quod id praescriptum videbam in statutis nostrae Academiae. Vix hoc meum consilium aperui, cum vitio datur ab iis, qui elegantiorum literarum expertes, eas, nosque pari odio prosequuntur. Alius blaterabat: vide quem hominem! qui vigesimo quinto aetatis anno plus se in instituenda juventute praestare posse confidit, quam viri, & senes cordati, qui ante eum fuere. Desiitne Valentina juventus per hosce annos Latinum sermonem callere ante hujus ingressum? Ad eum autem sermonem comparandum nonne sufficiunt faciliores aliquot Ciceronis epistolae, ex iis quas vocant familiares, Tridentinum Concilium, & Romanum Breviarium? Quid sibi hic novus instaurator vult cum Ethnicorum libris, quippe qui Christianis adversantur moribus ac pietati? Alius, pueros inter ediscendum Terentium nimium in Grammaticis remorari, & frustra operam impendere, dicebat. Ille garrulos & dicaces fieri. Hic adolescentulorum animos Terentianae addictos lectioni inquinari ajebat. Haec ad me omnia. sed ego illorum in me convicia susque deque habebam. Illi interim criminari omnes me, mordere clanculum. Ego autem non flocci pendere. Neque vero defuit qui meum hujusmodi consilium ad Patres Oratorii, ut vocant, deferret. Indignum, inquiens, facinus! Esse mihi in animo Terentianas Comoedias juventuti praelegere, quarum lectione turpissimas animi sordes contracturam clamabat. Illi audito Comoediae nomine, cum eis exosum omnino sit; apage, inquiunt, rem impudicam, atque obscoenam. Deterrendus procul dubio Institutor est ab hujusmodi lectione. Commonendus ne tale faxit facinus. neque privatim, nedum publice oportet, ut is talem Scriptorem juventuti praelegat. Quod cum rescissem. Ego me continuo ad eos, eo consilio, ut si mihi aliqua de Terentio objecissent, falsam obscoenitatis opinionem, qua illum vellicabant, ab eorum mentibus evellerem. Verum cum nullum de re verbum fecissent, conticui & ego. Nec tamen praetermisi, quin postea meo in Auditorio ostenderem, quam esset illorum, qui sine

ullis suffragiis Censores publicos agunt, hac de re finistrum judicium. Dixi, eos quam non intelligunt linguam odisse cane pejus & angue; &, cum se rudes, ac Latinarum literarum expertes sentiant, intemperanter ferre, iis quibus ipsi carent, alios pollere. Deinde non alio me adductum consilio ad praelegendum Terentium significavi, nisi ut Latinam puritatem elegantiamque sermonis discerent adolescentuli: idque me peropportune factum arbitrari, tanta id temporis grassante barbarie. Nam si hac tempestate nihil legendum putamus, nisi quod cum Christianis moribus, ac pietate consentiat; exulet a Christianorum Scholis Virgilius. exulet ipse etiam Cicero. amandentur in alias gentes Aristoteles, Galenus, & uno verbo, omnes antiqui Scriptores. versetur in scriptis barbaries, spurce qui magis possit loquatur. regnet inscitia. sic nobile nomen captabitur. Fassus praeterea sum, me non illam in Terentio offendisse obscoenitatem, quam hi rigidi morum praefecti dictitabant, cum hic Scriptor, etsi Comicus, gravior Plauto sit, & modestior. Quid si Plautus praelegeretur, qui satis aperte res indicat, & loquitur? Eum tamen Divus Hieronymus pueris, sibi in disciplinam traditis, praelegere non dubitavit. Denique utilissimam me existimare harum Comoediarum lectionem, nempe vitae communis cognoscendae caussa. Id enim habere per sese Comoediam, ut imaginem contineat vitae communis expressam. Quo quid utilius esse poterat? Haec ego & multa alia non sine aliquo stomacho dixi, quibus supersedeo jam, ne tuas delicatissimas ac sapientissimas aures hujusmodi narratiunculis onerem; spero tamen meas te literas patienter lecturum. imo ridebis, opinor, ineptissimam hominum foedissimae barbariei assuetorum censuram. Ego enim scio quo sit apud te loco venustissimus hic libertus. Tu etiam optime nosti, quanti fiat apud omnes Europae Academias. Itaque ad te per literas venio, tanquam ad elegantioris literaturae, & omnis antiquitatis aerarium, opem & auxilium expetens: ut nisi grave sit, velis mihi aliqua rescribere, quibus & meum animum suavissimis ac doctissimis tuis literis recreare, & me a tot obtrectatoribus possim defendere; ut si oportuerit eos ex altiori loco oratiuncula quadam ab inertissima sententia dimoveam. Id a te vehementer rogo. quod si impetrem magno tuo officio me ornatum putabo. Vale Valentinum ornamentum. Valentiae Edetanorum, VI. Kal. Junias, An. MDCCXXVIII.

XXI. E M-



XXI. EMMANUEL MARTINUS. JOSEPHO LORGAE,

Rhetorices Professori,

Valentiam.

Literas tuas VI. Kal. Junias ad me datas eo tempore accepi, quo agrum Alonensem vehementer cogitabam, quo rusticatum me conferre per aestivum tempus, solenne mihi est atque anniversarium; cum urbani aestus vitandi caussa, tum animi exhilarandi, viriumque reficiendarum ruris otio & libertate. Quam ob rem, totus eram in apparanda nostra: pene dixi, migratione. Nam cum ibi manere soleam usque ad ἰσημερίαν ὀπωρινήν; universam familiam eo transfero, cum multa supellectile. In villam nimirum amoenissimo loco sitam, perquamque opportuno. Jacet enim inter duo oppida, tantum spatii inter se dissita, quantum satis est modicae deambulationi, exercendo corpori. Iis tricis impeditus, epistolae tuae respondere distuli; donec id rure facere possem, nemine vel interpellante, vel obstrepente. Ergo meliuscule te habere a stomachi languore, impense gaudeo. Nam capitis vertigines (quas vocas) nihil aliud erant, quam stomachi languentis συμπτώματα. Video quid tibi accidat cum gravissimis istis censoribus, pedore & illuvie obsitis. Nec miror profecto: Quod sciam, nihil illis jocundius olere, quam quod maxime coenosum ac foetidum. Nec pati se ab antiquo volutabro divelli. e cujus gravissimo tetroque odore, summa afficiuntur voluptate. Neque enim ego tam nostratium barbariem deploro; quam quod eorum animos ab ea exuenda aversos conspiciam. Pervasere animos scholasticae sordes, quibus semel imbuti inquinatique, in altissimam demerguntur barbariem. Quodque ipsi non didicere, aliis invident. Di male perdant blaterones istos, qui non valent lotium suum. caudices, non homines! Qui ut barbariem inscitiamque suam tegant, caeteris asciam in crus impingunt, cum potius in sinum suum conspuant. Terentium convitiis ac maledictis proscindunt. Illi praesertim qui obstipo capite cervice in latus devexa, pando petaso & fluitante, calceisque impolitis, soleaque repanda, incedunt. Genus hominum ad perniciem natum bonarum artium. Quare autem Terentium Vatiniano odio prosequuntur? Quia nimirum (ride si sapis: Comoediarum Scriptor est. Hactenus bene. Addunt: atque obscoenus & juventutis animis inquinandis peridoneus. Cur ergo tantum nefas perpetrarunt omnes Europae Academiae, quae nitidissimum hunc libertum, ani-

animorum conjuratione in Scholas adſciverunt, tanquam Latinae puritatis proprietatiſque normam atque prototypon? Quo conſilio? Qua morum jactura, auctorem impurum inceſtumque erudiendae juventuti propoſuere? Qui nugas haſce deblaterant, compertum mihi eſt, neſcire illos penitus albus an ater ſit Terentius. Sin autem, proferant mihi vel unum verſiculum, in quo quicquam lateat obſcoenitatis vel proterviae. Neque enim ut aliquod hujus Poetae verbum eo trahatur, vel tria helciariorum paria conficient. Quod ſi obtinuerint, vel in faciem meam conſpuant. excepto joco illo, qui eſt (niſi me fallit) in *Eunucho*. Etſi ille quam caſte, quam verecunde, rei turpiculae velum obtendit! Utinam Chriſtianorum Comoediae Terentianarum caſtitatem & verecundiam imitarentur. Quae cum ita ſint (uti vere ſunt) quae illos corripuit inſania, quae furiae exagitant, ut puriſſimum ſcriptorem, Latinaeque proprietatis veluti Genium, e Schola Valentina exſibilare velint atque explodere? Quod mehercule nihil aliud eſt, quam Latinae linguae caput amputare. Quiſquis enim Terentium e Schola ejicit, is profecto Latino ſermoni vitam aufert. Quo ego nomine tantum ſcelus appellabo? Terentius e Schola Valentina extruditur indicta cauſſa, qui a maximo illo oratore Tullio regula puritatis & elegantiarum Latini ſermonis eſt habitus Cujus ipſe auctoritatis patrocinio uſus eſt, ut ſoloecae loquutionis ſuſpicionem elueret apud Atticum, qui in ceris ſuis miniatulis eam ſibi notam inuſſerat. A quo etiam appellatur *Speculum Vitae*. Quis enim accuratior ἐν ἤθεσιν exprimendis? quis oratione emendatior, aut caſtigatior in verborum proprietate? quae prima eſt atque eximia orationis virtus. Quaenam eſt illa divinae dictionis praeſtantia, quam nemo mortalium imitari queat? ut Apellis Alexandrum illum ἀμίμητον? ut Bucephalum, qui unum Alexandrum admittebat ſeſſorem? Quare, cum Latini ſermonis artificem cum Terentio comparandum nullum habeamus; ii profecto mihi videntur egregie deſipere, ne dicam, rus & ſtivam olere, qui hunc auctorem, delicias Romanae locutionis, a Schola Valentina convicio explodere conantur, tanquam ἀποσυνάγωγον. Quem majores noſtri tanti fecerunt, ut primum locum illi aſſignarint in iſta ipſa Academia, cujus hodie arcetur ingreſſu. Et quaerimus cauſſas, cur tam profunda barbaries univerſam Hiſpaniam pervaſerit? Terentius excluditur. Placet Barclajus. Quos ego cachinnos. Niſi res eſſet ploratu digna. Tulit ſuperior aetas Nebriſſenſes, Sanctios, Palmirenos, Pincianos, Vives, Villegates, Auguſtinos, Sepulvedas, alios. Quum ſuus Terentio conſtabat honos. Simul ab illo diſceſſimus, ruere omnia in pejus. Nec tantum flos eloquentiae emarcuit; ſed ipſe orationis nitor funditus periit. Nihilque audimus praeter moleſtiſſima crepitacula; Gothicos ſonos, putidiſſimas ineptias, & informia verborum monſtra. Lipſii cineres bene quieſcant, qui pueris e Schola recens egreſſis legem tulit, ut per totum triennium uni Terentio evolvendo, perdiſcendo; imitando, ſtre-

strenuam operam navarent, a caeterorum autem lectione penitus abstinerent. ut diuturna illa exercitatione eam sibi facultem pararent, quae esset veluti Romanus sanguis.

Duos ego in primis vetustos Scriptores oppido miror atque obstupesco, castissimae dictionis gloria nobilissimos. Aristophanem & Terentium, utrumque fabularum Scriptorem. Alterum Atticae venustatis facile principem, Romanae alterum. Tam ancipiti palma certantes, ut illum Graecum Terentium appellare soleam, hunc autem Aristophanem Latinum. Sed quorsum haec? Me stultum, qui aquam cribro haurio, qui asinum tondeo. Aetas nostra in declivi est. Jam quadrigae meae decurrerunt. Tantum vero abest ut a gravissimo hoc sopore expergesiant: ut quin immo, altiore in dies veterno arctissime teneantur. Ergo quando lutulentam haram, & immundum volutabrum in deliciis habent; missos illos faciamus. Relinquamus traducendos exterorum contumeliis. Quibus nihil tam obvium, quam in barbariem nostram convitiorum plaustra conjicere. Sed obduruimus ad ictus, animosque orationis sordibus assuetos, callus obduxit. Nimis remisse. Latine loqui, insanire est. Si admirationi esse cupis, famaque vigere; tertio quoque verbo soloecismi & stribiligenes effutiendae sunt. Hac via itur ad immortalitatem. Caetera omnia quisquiliae, ac merae nugae. Quo fit, ut si aliquando in eas angustias devenerint, ut vel tria verba Latine proferre debeant, huc illuc incassum se versent, tanquam mus in matella. Nihil tamen eorum inscitiam aeque prodit, quam frequentissimae illae voces e trivio. Quid Christianis moribus cum Ethnicorum libris! Papae! In qua Urbe sumus? Potuitne unquam proferri quicquam stolidius? Unde igitur Latini sermonis usum comparabimus? Iis loquendi magistris usi sunt Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, caeteri Patres. Romanae linguae puritas atque elegantia Divini Verbi praecessit ἐνσάρκωσιν. Quicumque post illam scripsere, lutulenti fluunt. E Patribus Latinis morum doctrinam pietatemque haurire debemus, non autem linguam. Quae cum jam tum a nativa illa puritate descivisset: popularem loquendi modum servavere: sententiarum diligentiores quam verborum. Ab Ethnicis vero scriptoribus orationis structuram & verba: quae cum illi una cum lacte a nutrice suxissent, impolluta posteris transmisere, nativaque illa proprietate adeo mirabilem, ut quantovis studio, labore, diligentia, ad ejus fastigium connitaris, frustra, aut vix quidem, ad illud irrepseris. Porro si Ethnicos a Schola Valentina extrudere placet, ne quid Juventus detrimenti capiat; amandetur Cicero in malam crucem. Ut eo quoque lumine extincto, in immensae barbariei voraginem praecipites, si qua reliqua erat specula, securi Tenedia praecidatur. Et desinant tandem ringere, quibus nihil aliud a natura concessum, nisi oblatrare. Cura ut valeas. E Villa agri Alonensis, Eidibus Juniis, An. MDCCXXVIII.

XXII. EMMANUEL MARTINUS

*****

S. D.

Valentiam.

THerapeuſin tuam vidi per libenter, Vir doctiſſime, nec ſine doloris morſu, propterea quod mihi non licuerit diligentius illam percurrere prae oculorum vitio: quo jam dudum crudeliſſime divexor. Quare feci quod canes Aegyptii ſolent Nili aquam bibituri. Feſtinanter arripiunt Crocodilorum metu: quos ego imitatus ſum, ne oculis noſtris perniciem crearem. Tamen etiam immortaliter ſum exhilaratus, quod te videam ex noſtratibus e Scholaſtico coeno quodam modo pedem extrahere. Quod ad nos attinet, equidem fateor valde mihi ſemper arriſiſſe illam Scepticorum ἀποχὴν, ſive ἀῤῥεψίαν, qua ſuſpenſo judicio rerum cauſſas ac momenta contemplabantur, nihil certi ſtatuentes. In qua ſecta fuiſſe divinum Hippocratem nullus ambigo.

Theatrum noſtrum Saguntinum edidit Lutetiae eximius ille vir Bernardus Monſalconius Latine & Gallice in ſtupendo illo opere *Antiquitatis explicatae*, una cum diagrammate elegantiſſimo aere inciſo. Nam quod Majanſius noſter edidit nobis inconſulto in ſuo Epiſtolarum volumine, operis proſpectum non exhibet. Quod prora & puppis. Vale a non valente. Nam per hos dies podagra ſaeviſſime infeſtor. Alona, Prid. Eid. Januarii, Ann. MDCCXXXIII.



E M-



EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM

LIBER VIII.



I. EMMANUEL MARTINUS

Ecclesiae Alonensis Decanus,
P. BERNARDO DE MONT-FAUCON,
Congregationis Sancti Mauri Presbytero,

S. D.

Lutetiam.

JAm diu est, Vir clarissime, cum nomen tuum, non laudibus tantum ac plausu, sed amore etiam, summaque admiratione, quam officiosissime prosequor. Ex quo nempe mirabilem illam Παλαιογραφίαν tuam legere mihi contigit. Immane profecto opus, teque uno dignum. In quo mehercule summae industriae, eximiaeque doctrinae, tanquam simulacrum quoddam posteris reliquisti, numquam intermoriturum. Equidem ex eo tempore ita in admirationem tui rapiebar; ingeniique tui ornamenta tacitus exosculabar; ut crebro cum fortuna acerbe expostularem, quod eo me intervallo a te disjunxisset, ut caren-

carendum mihi eſſet tanti viri aſpectu, uſuraque eruditiſſimi alloquii tui. Cum igitur te per literas compellandi maximo deſiderio aeſtuarem; eum angorem mihi deterſit Saturninus Langladius, egregius noſtri temporis Podalirius. Quem ego hominem cum doctrinae & amoeniorum literarum; tum modeſtiae, morum ſuavitatis, animi candoris, probitatis, fideique erga nos ſingularis cauſſa, & plurimi facio, & unice diligo, ab eoque mutuo amplector. Is enim mihi narravit, ſibi tecum veterem intercedere neceſſitudinem. Subjunxitque, ſummo te nunc ſtudio viriumque contentione in vetuſta incumbere monumenta: quorum editionem paras. Cui rei collectum tibi coacervatumque quicquid priſtinae majeſtatis reliquiarum ubique terrarum ſupereſt. Perque tibi me gratum eſſe facturum, ſi quibus forte Hiſpanienſibus parietinis inſtitutum juvarem tuum. Pollicem preſſi ad haec verba. Ultroque ei omnia pollicitus ſum, operam, ſtudium, diligentiam noſtram. Te igitur per antiqua rudera vadentem, & obſcura antiquitatis veſtigia ſagaci quadam ſolertia captantem, qua potero animi alacritate ſubſequar. Nulla enim prorſus re magis ducor delectorque, quam ſtudio antiquitatis. Quo fit, ut neminem facile reperias me calamitoſiorem. Nam cum unus fere ſim, qui haec ſtudia inter noſtrates conſecter, quae apud illos deſpicatui habentur atque ludibrio; ignaviſſimi cujuſque inertiſſimique irriſioni quam latiſſime pateo. Quo nihil in vita contingere poteſt acerbius. Vos Gallos beatos! apud quos bonis artibus ſuus honos, & conſtituta literis praemia. Quorum ſi apud nos quantulacumque haberetur ratio; minus forſitan obſcurae eſſent res patriae. Cum minime dubium ſit, quin multi ſpe laudis illecti, parandaeque ſibi famae incitamento, ad eas indagandas, e tenebris eruendas, illuſtrandas, & animum & ſtilum converterent. Nunc autem cui frugi? Niſi eum te eſſe velis, quem homines diobolares, nugatores, ac merae ſimiae; quos fungo putido non emas, tanquam nummum plumbeum, aut aſinum Aegyptium rejiciant, vel honeſtorum cuneis ſibilo extrudant. Haec me cauſſa a veſtiganda Hiſpania antiqua, invitum licet, animoque reluctantem, avulſit retraxitque. ne cum labore ſimul & impenſa inſanire viderer: meoque ipſius jumento (quod dicitur) infortunium accerſerem. Quoniam vero a natura penitus deſciſcere ſanequam eſt difficile, quando

Οὐκ ἔστ' ἀνάγκη ἢ φύσιν βιάζεται,

non poſſum facere quin interdum exhilarandi animi cauſſa ad meas delicias convertar. Cum ea tamen cautione: ne id foris reſciant. eoque me inquinatiſſimi quique conſputent. Itaque ſuperioribus annis cum Valentiam Edetanorum migraſſem, Saguntum excurri, ut σκελετώδη illa priſci aevi monumenta luſtrarem oculis. Neque hercle operam luſi. Extraxi enim e denſiſſimis tenebris Theatrum quoddam, ad eam diem ignotum,

nec

nec ulli mortalium (quae nostra est ignavia, rerumque vetustarum inscientia) observatum adnotatumve. Etenim Scriptores nostrates, qui res patrias literis consignaverunt, meras nugas deblaterant. Cum non Theatrum id appellent, sed Amphitheatrum. pro amphora urceum. Qui quidem cur a me confutandi sint, non video; cum ipsius operis structura eorum inscitiam ostendat. Hujus igitur monumenti, quam accuratissime a nobis delineati, exemplar, ad te mittimus, Vir maxime; una cum descriptione, quam illi affiximus hortatu clarissimi viri Antonii Felicis Zondadarii, tunc quidem Legati Apostolici munere fungentis in hac Urbe, nunc autem in amplissimum Purpuratorum Collegium cooptati. Nec tamen eo mittimus, quod vel luce publica, vel acerrimo tuo judicio dignum judicemus. Praesertim cum multa ei desint per necessaria: ut Geometricae dimensiones, & ichnographia. Quae ad amussim appingere non potuimus inopia temporis, propterea quod ab ipsis pene Theatri ruinis avulsi, in hanc Urbem accerseremur; quo festinanter fuit demigrandum. Sr[illegible]enitus praecisa incoati operis absolvendi. Quare eam descriptionem [illegible]chedulis quibusdam nostris concinnavimus, adjecta vulgari dimensic[illegible], spithamarum nostratium, quarum singulae quaternae tres efficiunt pedes. Sunt enim dodrantes pedis geometrici. Ut jam inde pronum sit, universam aedificii structuram ad veteris modulationis praescriptum redigere. De ichnographia non eadem ratio, nam in ea eruenda & oculorum judicio opus est, & operosiore industria. Nisi eam tu quoque, qua es doctrina ingeniique solertia, per orationis nostrae vestigia quaesitam, odoratus fueris sagacius, deprehenderis, eduxeris. Id unum interea scias velim, nostram hanc lucubrationem non me idcirco ad te mittere, quod in aliquo fore pretio apud homines eruditos persuasum mihi habeam; sed ob id tantum, ut mea in te officia planissime constent. Accipies una Amphitheatri Italicensis cum faciem superstitem, a me accurate delineatam, tum ichnographiam. Cujus Amphitheatri integriore sane frueremur aspectu, si quidem Hispalenses, praeclarissimi monumenti reverentia tacti, ab infligenda injuria sibi temperassent. Sed cum caemento saxisque opus haberent ad murum struendum adversus vim fluminis, a quo Urbi exitium imminebat; publice decretum est, ut amphitheatrum hocce (quod in veteris Italicae vestigio adhuc exstabat, pulcherrimum mehercules, atque integerrimum) funditus subrueretur, allatis eo tormentis, ac suffossis scrobibus pyrio pulveri admittendo, quo tota illa compages disjiceretur. Quod egregie factum. Nec tamen eventus eorum diritati plene respondit, obsistente veteri structura, quodam perdurandi amore. Par facinus a Saguntinis admissum. Theatrum nempe suum tanquam ex constituto demolientes, maximam ejus partem avulserunt, coenobio cuidam privatisque domibus exstruendis. Ut nisi operis durities & pervicacia ferri insolentiae restitissent; actum profecto jam esset de monu-

mento illo. Cui etiam quantum in me fuit, vitae lumen aspersi. Extorsi enim a Saguntinis publicum decretum, quo gravissima poena iis indicitur, qui illud cumque igni ferrove violaverint. Qua de re exstat Epistola nostra ad Decuriones Saguntinos. Quam si ad institutum abs te opus, vel historicam narrationem, pertinere quoquo modo judicaveris; mittam equidem per libenter, una cum Decurionum responso, satis medius fidius liberali. Advolabunt confestim, modo annuas, & quidem Latine. De quibusdam aliis, haud illepidis, quae penes me sunt, erit locus alias. Nolo enim studia tua diutius interpellare, & homini gravi ignotoque verbosius obstrepere. Si prius tamen dixero, me nummorum veterum Hispaniensium characteres illos ἀδήλους rimandos suscepisse. Quae res Antonium Augustinum vehementer exercuit. Etsi ab eo nec vola nec vestigium deprehensum. Tu qui tantus es in omni literaturae genere, si quid forte habebis (habebis autem) quo conatus nostros adjuves atque promoveas; candide imperti. Ero tuus jure nexi jureque mancipii. In Eustathii παρεκβολαῖς Latinitate donandis multum laboris impenderamus. Nunciant ab alio praereptam hanc palmam. Ergo oleum & operam. Ignosce garrulitati nostrae, & vale. Mantuae novae in Carpetanis, Nonis Majis, An. MDCCXVI.



II. *Insignissimo Eruditissimoque viro,*

EMMANUELI MARTINO,

Ecclesiae Alonensis Decano,

FR. BERNARDUS DE MONT-FAUCON,

Monachus Benedictinus.

S. P. D.

Mantuam Carpetanorum.

EX ungue leonem, ut vulgo dicitur, agnovi, Vir clarissime & doctissime, cum literas tuas elegantia, eruditione, & humanitate plenissimas accepi, atque perlegi. Quodque mihi singulare simul & perjucundum accidit; nuperrime cum Hispano, genere claro, colloquia miscens, dicebam. Nullam esse gentem, disciplinis literisque omnibus aptiorem Hispana, indeque prodituros in dies esse praeclaros ingeniorum foetus, nisi μαθημάτων pene omnium cura e medio sublata esset; optandumque esse ut vel primores regni, vel etiam Rex ipse lapsas disciplinas excitaret, Hispanis stimulos adderet, ipsosque praemiis alliceret ad studiorum suscipiendos labores. Epistola vero tua, ceu lupus in fabula accessit, quae dicta confirmaret mea. Attamen ut vere fatear, non putabam in

in Hiſpania eſſe virum tantae eruditionis, tam terſae Latinitatis, in antiquitate uſque adeo peritum, quam te video eſſe; ita ut etiam inter literatiſſimos Europae totius accenſeri merearis, quod κολακείας procul a me dictum exiſtimes velim. Id vero mihi peropportunum contigit, ut dum monumenta vetera ubique terrarum perſequor, in Hiſpania, quod minime ſperabam, mihi ſeſe ultro offerret Vir omni exceptione major, qui monumenta nobiliſſima a tenebris ab ſe eruta, doctiſque notis illuſtrata mecum communicare vellet. Certe ſumma cum voluptate accepi Theatri Saguntini tum abs te accurate delineatam ichnographiam, tum erudiſſimam deſcriptionem, quam ad CL. V. nunc Latio oſtro decoratum Zondadarium miſiſti. Cujus ſane diatribae magnus mihi futurus eſt uſus in Theatrorum deſcriptione. Etſi vero non totam lucubrationibus meis inſerere liceat, ne jam memorata repetantur, ejus utique partes maximas adferam cum honorabili & nominis & eruditionis tuae mentione. Accepi item, quae tua eſt humanitas prolixumque erga nos ſtudium, Amphitheatri Italicae ichnographiam ſimul & orthographiam: utramque vero inter amphitheatra, quae bene multa adſunt locare animus eſt. Per gratum porro facies, Vir eruditiſſime, ſi tuam ad Saguntinos epiſtolam, ipſorumque reſponſum ad me tranſmittere digneris, quae, ſi non integra poſſim, compendio ſaltem in laudato opere referam. Magnam certe rem praeſtabis, ſi characteres illos Hiſpanicos, qui infinitis pene in nummis exſtant, legere & explanare poſſis. Nihil hac in re unquam tentare auſus ſum, quod perficiendae rei nullam ſpem eſſe putarem. Euſtathii παρεκβολάς aliquot jam noſtrates Gallico idiomate interpretati ſunt: eorumque interpretationes latent in Bibliothecis Manuſcriptorum. Eſt Lutetiae vir quidam Graece doctiſſimus, qui id ſe praeſtiturum pollicitus fuerat; ſed vereor ut illud operis abſolvat. Noſtri de Antiquitatibus proſpectus exemplaria quaedam miſi ad communem amicum noſtrum D. Langladium, virum & morum probitate & eruditione ſuſpiciendum, ex quibus unum ad te deferri curet rogabo. Adſunt viginti duo Sculptores, qui jam operi manum admoverunt, brevi aderunt plus, quam triginta. Multa quae ad veteres Hiſpanos pertinent hactenus fruſtra quaeſivi, nempe quae fuerit forma Dei Endovellici, quis veterum Hiſpanorum veſtitus, quis equitum Hiſpanorum apparatus. Caeterarum nationum & veſtes, & equitatum habeo, Hiſpanae minime. Militarem ſolum peditum Hiſpanorum cultum habemus in ſcuto Scipionis Lugduni reperto, & a Jacobo Sponio publicato. Si qua hujuſmodi ad manum habeas, perquam gratiſſimum, Vir clariſſime, facies, ſi mecum communicaveris. Veteris Gallorum dei Heſi formam olim ignorabamus; ſed anno MDCCXI. is inter rudera cum inſcriptione deprehenſus eſt: ſic in dies eruuntur multa veterum monumenta. Vale, Vir eruditiſſime, & de re literaria bene mereri perge. Dabam Lutetiae, Sexto Kalendas Octobr. An. MDCCXVI.



III. EMMANUEL MARTINUS

Ecclesiae Alonensis Decanus,

BERNARDO DE MONT-FAUCON,


Congregationis Sancti Mauri Presbytero, viro πολυμαθεστάτῳ,

S. D.

Lutetiam.

PErjocundae mihi fuerunt, Vir doctissime, literae tuae VI. Kal. Octobreis ad me datae, cum ob insigne humanitatis tuae comitatisque erga nos testimonium, tum ob illustre atque eximium laudum tuarum monumentum. Non tam hercle, quod id honoris sustinere me posse arbitrer; quam quod tanti praeconii calcare admoto, ad ulteriora studia quodammodo exciter atque inflammer. Quod perinde est ac si naviter currenti applaudas. Illud porro mihi accidit gratissimum optatissimumque, alicui tibi usui fore (quod ais) ineptias nostras de Theatro Saguntino. Ad quam rem quoniam tu pertinere quoque existimas Epistolam nostram ad eos magistratus, eorumque responsum; utriusque exemplar bona fide ad te mitto. Adjeci praeterea monumenta quaedam ἀνέκδοτα hinc inde a me collecta, quorum accessione, ad immortale opus quod paras, non nihil te iri adjutum existimo. Officii enim in te nostri ratio postulat, ut quicquid est in me opum copiarumve, id omne in te profundam. Mitto igitur basim statuae Isidis Puerperae, quam Hispali accurate diligenterque delineandam curavi. Habes in ea Anubidis hinc simulacrum novo gestamine: nempe clava. atque Ibidem illam πολυθρύλλητον. Inde vero, sive Osiridem, sive numen aliud Niloticum, cum subjecto Apide. Inscriptionem praeterea lepidissimam, a me exaratam αὐτοχειρί. Ad te praeterea advolant sex lapides praegrandes, Roma olim advecti a Ferdinando Henricida Duce Alcalaeo, quos fori Trajani esse λείψανα, & ego autumo, & viri sculpturae periti. Nimirum ex Columnae superstitis lineamentorum similitudine, atque ὁμοιοτεχνίας. Certe magnifici vastique alicujus operis fuisse partes, cum ex rerum in iis expressarum varietate ac dissimilitudine satis constat, tum ex eorum extremitatibus minime invicem cohaerentibus. Habes in iis novae formae, sive tensam, sive currum triumphalem, cum reliqua pompa: naviumque turritarum structuram ornatumque. Mitto etiam lucernas aliquot aereas exquisitioris artificii, quae diligentiam fugerunt accuratissimi viri Petri Bellorii. Eas deprompsi ex Museo Ecclesiae Prin-

Principis, cui olim praefui. Quod Museum translatum deinde fuit ad regiam Bibliothecam, ubi nunc jacet (quae nostra est antiquitatis incuria) neglectum penitus atque ἀφύλακτον. De Deo *Endovellico* obscura omnia, praeter nomen. De *Netone* res aperta, nomen obscurum. De *Togote* incertum utrumque. Quod ad veterum Hispanorum vestitum attinet, nihil in saxis metallisve subsidii: quorum hodie maxime opus est fide atque αὐθεντίᾳ. Nam de nostratium tunica Lati clavi, sive praetexta, apud Polybium, Livium, Strabonem, num ego te moneam? γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Ne tamen ad tam lautas dapes ἀσύμβολος accedam; nummum tibi mitto ex Museo nostro, in cujus altera parte caput cernitur nudum, in altera vero miles (uti videtur) Hispanico cultu, lanceae innixus, cum inscriptione: VENIPO. Eccillum.



Langladius noster operis tui prospectum ad me deferri curavit diligenter. Nec tamen primus. Praeverterat illum nobilissimus juxta, literarumque amantissimus, Marchio Villadarias, juvenis elegantis ingenii, acrisque judicii. Quod facile perspexi ex politissimis ejus literis ad me scriptis, plenis humanitate, amore, sapientiae succo. Quaeris quid sentiam de immenso tuo opere? Nihil adhuc vidisse mortalium oculos illustrius. Di te servent literarum columen, & corporis animique robur instillent. Carthagine nova, dum portus jussu regio purgatur, navis antiquae carina inventa est, cum costis, sive lignis transversariis, ἐγκοιλίοις. Prora itidem & puppi, asseribusque nonnullis clavis aereis compactis, ac bitumine sive asphalto quodam obductis; cui Severi Alexandri nummus affixus, tenacissime haerebat. Ubi primum praestantissimum hoc fragmentum delineatum accepero (quod a me urgetur velis remisque) ad te protinus. Tu interim vale, & opera nostra utere, abutere. Alonae, V. Eidus Novemb. An. MDCCXVI.

Studiorum affinitate effectum est, ut ego & Buliso arctissima jocundissimaque consuetudine conjuncti inter nos essemus. Nihil in nostris congressibus tui memoria sanctius. Ambo negotium cuidam dedimus, ut vel apud te, vel apud Bibliopolas repraesentata pecunia, utriusque nomine

ſubſcriberetur. Habes utrumque nominis, virtutis, doctrinae tuae cultorem & encomiaſten. Ab utroque igitur ſalve. Iterum ſalve.



IV. *Viro cumprimis Erudito*

EMMANUELI MARTINO,

Alonenſi Decano,

BERNARDUS DE MONT-FAUCON,

Monachus Benedictinus

S. P. D.

Alonam.

INgenti cum voluptate literas tuas, Vir humaniſſime, accepi elegantes illas, pretioſisque cum muneribus conjunctas, quid enim jucundius, quid ad rem meam accommodatius turritis illis navibus, quas ut ſaepe in veterum ſcriptis adhibitas a Graecis Romaniſque legeram, ita nondum videram in monumentis inſculptas inciſaſve? Quid gratius Tabula illa Ægyptiorum numinum, quarum nempe tabularum licet feſtivam copiam penes me habeam, nullam ſane hactenus ſimilem nec tam ſingulari inſcriptione ornatam conſpexeram? Quid caetera recenſeam, quibus Gazophylacium noſtrum locupletaſti? Pro quibus certe omnibus immortales tibi gratias habeo. In hoc etiam mihi pergrata perque jucunda tam nobilis acceſſio eſt, quod mihi anſam praebeat nominis tui in decurſu operis frequenter celebrandi. Probe feciſti cum literas tuas ad Senatum Saguntinum ejuſdemque digniſſimi Senatus ἀμοιβαίας miſiſti, uſui profecto mihi futuras.

Quod vero ſpectat Diatribam illam tuam in Saguntinum Theatrum, in animo mihi eſſe ſcias, integram illam in ea operis parte, quae ad Theatra pertinet edere. Aliquid tamen haeret dubii, non circa Diatribam, quae ut admodum erudite & accurate concinnata, ita luce meridiana clarior eſt; ſed circa Tabellam delineatam, ubi caetera omnia apprime quadrare comperi, in proſcenio autem & ſcena aliquid ſpatii deſiderari putavi. Verum quia jam aliis incumbo antiquitatum monumentis, ne interturbetur ordo mihi in tanta operum mole pernéceſſarius, rem mitto in aliud tempus, quo tuam, propoſita difficultate induſtriam implorabo.

Circa Deum Endovellicum quaedam mihi nuper notitiae acceſſerunt. Imaginem ejus vix dubitarim alicubi in Hiſpania latere, quae fortaſſis aliquando in lucem prodibit, ut Deus Gallorum Eſus non ita pridem effoſſus lucem vidit. Hiſpanorum veterum veſtitum habemus in ſcuto Scipionis cum gladio Hiſpanico, unde Romani ſuum mutuati ſunt. Hiſpanorum veſtimento non abſimilis erat Maurorum tunica. Quod miſiſti Hiſpanici nummi

nummi ſchema cum aliis Hiſpanici cultus ſchematibus repraeſentare non negligam. Quod ad antiquitatum opus ſpectat; quadraginta Sculptores in aere Tabulis incidendis perpetuo incumbunt, qui jam CXXXVII. tabulas in folio, ut vocant, apprime eleganterque concinnatas mihi attulerunt: totam incidendi operam quindecim menſium ſpatio me abſoluturum ſpero, atque opus totum quinque ingentis molis voluminibus proditurum in lucem ineunte anno MDCCXIX. Pecunia non defuit, nec defuturam eſſe confido: etſi abunde ſingulis hebdomadibus tantae operarum catervae numerandum ſit. Viennae in Auſtria jam prodiit quadraginta ſubſcribentium numerus: quod agmen ducunt Auguſtus ipſe & Auguſta; longe plures exſpectamus ex Anglia. Galli certe noſtrates nihil obſtante pecuniae penuria, hactenus certatim venerunt: ſed ampla meſſis large ſpargitur in dies. Sodalium quorumdam eruditorum ſubſidio operum S. Chryſoſtomi editionem Graece & Latine curamus. Duo priora volumina ante finem anni hujuſce proſtabunt. Cum primum autem abſoluta erunt, tibi, Vir doctiſſime & amiciſſime, tranſmittenda curabo: & hoc primum a me profectum amicitiae pignus grato ut animo excipias pervelim.

Supereſt ut quae cum inclyto Marchione de Villa-darias, quem tute nativis coloribus depinxiſti, de te verba fecimus, tecum communicem. Dolemus ambo illam tuam Graecae Latinaeque linguae peritiam, venerandae antiquitatis notitiam ſingularem, Latine eleganterque ſcribendi facultatem, occultam manere. Quam ob rem ne literarius orbis tot tantarumque dotum fructu diutius privetur, officii eſſe tui putamus, ut in Reipublicae literariae patriaeque tuae commodum, Antiquitatibus Hiſpanicis, quae bene multae in iſtis regionibus habentur, eruendis explanandiſque animum manumque admoveas. Non eſt quod de opere typis edendo ſollicitus ſis: nam utrique cura incumbet, ut vel jam ſemel a me ſuſcepto ſubſcriptionum more, vel alio quovis modo in Gallia, ſi minus in Hiſpania poſſit, id operis praelo ſubjiciatur. Haec carptim a me dicta animo tecum revolvas velim: nam ingruente operum epiſtolarumque mole, compendio ſtudere cogor. Nec quid ſpatii ſupereſt ut Philippum Buliſonium amicum veterique neceſſitudine junctum literis compellem. Sed tute, Vir amiciſſime, hoc me officio exonerabis. Nauticae, quas ſperare jubes, reliquiae perquam mihi gratae futurae ſunt. Vale, Vir amiciſſime, & rem literariam ornare ſatage. Lutetiae, Kalend. Februar. MDCCXVII.



V. EMMANUEL MARTINUS BERNARDO DE MONT-FAUCON,

Monacho Benedictino, viro ornatissimo atque amicissimo,

S. D.

Lutetiam.

PEream, si quicquam mihi accidit unquam proximis tuis literis jucundius. Quidni enim? cum videam grata tibi fuisse munuscula nostra, meque ob eam rem magnam abs te iniisse gratiam ; Quod ego pol superbis regum opibus, atque omnibus triumphis antefero. Quam ob rem, ut ne ego tibi, in tanto opere pangendo occupatissimo, inanibus literis obstrepam; vetustae navis, anno superiore in portu Carthaginiensi repertae, ad te mitto partes e fragmento superstite divulsas. Pervicax enim nostratium antiqua monumenta vastandi libido, compagem illam quae tot annorum pelagique insultus eluserat, ac in lucem tandem emerserat, facto adversus eam impetu dissolvit discerpsitque. Qua fini? Nempe ut clavos aereos regi mitteret. Stupefacti enim homines nihili materiae novitate, visi sibi sunt egregium munus Regi concinnaturi, si caeteris disjectis divulsisque, gomphos tantum servarent ; reliqua pro meris nugis habentes & quisquiliis. Nimirum ea est solertia nostra. Haec igitur λείμματα sive membra divulsa, peraccurate perque concinne delineata, cum singularum partium nomenclatura ac dimensionibus, ad te confugiunt ; ut illa operis tui immortalis luce donata, posteritati transmittas. Quin etiam inveniet in iis fortasse hodierna ναυπηγία quod imitetur; sin minus, certe quod miretur. Mitto praeterea Triclinium quoddam, quod Hispali exstat in aedibus Ducis Alcalaei, praestantissimum medius-fidius monumentum, & auro contra mihi non carum. Nec me latet jam olim a Petro Ciacconio persimile quiddam in lucem editum, quod Romae in hortis Montaltis asservabatur, quod postea recusum fuit *in Admirandis Romanarum Antiquitatum.* Sed si attente utrumque perpendas ac conferas, invenies profecto nonnihil esse inter ea discriminis. Quod ad γνησιότητα pertinet, ego tibi memet testem juratum sisto. Quando nobis praesente & inspectante delineatum est. Operas chalcographicas e sententia fluere lubenteque Minerva, vehementer gaudeo. Neque enim vereor ut pecunia deficiat struendo ornandoque operi, in quod quicquid ubique est eruditorum hominum, oculos conjecit. Di bene faciant Augusto Augustaeque, quibus majestas minime obstitit, quo minus inflammandis cunctorum animis lu-culen-

culentissimo virtutis exemplo caeteris praelucerent. Operum Divi Chrysostomi novam editionem te accurare, jam ante didiceram ex literis tuis ad Langladium nostrum, uti & Origenis *Hexapla*. Nunc autem, quando initam inter nos amicitiam tam sancto pignore non obfirmare tantum, sed consecrare voluisti, porrigo dexteram, teque amplector, charissimum mihi caput, munusque deosculor. Sed quid de me homines? Nugas enim nostras tam iniquo foenore permutare, id vero est, quod dicitur, χρύσεα χαλκείων.

Quod mones, ut antiquitatibus Hispanicis eruendis explanandisque animum manumque admoveam, id ipsum est scilicet quod ego vel ab ipsa adolescentia in votis habui. Neque fateri detractabo me quondam, ad eam rem exsequendam & spem & animos erexisse. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hispaniae genius. Facultates enim nostrae exiguae, amicorum copiae infidae, procerum opes inertes. Eaeque temporum acerbitate attritae. Est autem res sumptuosa quam parabamus. Quo igitur viatico Hispaniam peragrabo? antiqua lustrabo rudera? neglectos scrutabor cineres? Nempe regio. Id unum superest. Ac fortasse id impetraremus ab optimo Principe, si essent qui ejus auspicia sollicitarent. Sed vides nodum, in quo solvendo plus sit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus in utramque, mi Mont-falconi, & altum stertamus, quando ad id unum aliena ope non indigemus. Postquam autem in fatis est, ut nobilissima antiquitatis monumenta, quibus tota haec regio conspersa est, nostratium vel stupore vel ignorantia neglecta jaceant & ingloria; quibus vos ego laudibus ornabo, homines exteros, ad quos cum minime pertineant ornamenta antiquitatis nostrae, ac veteris majestatis honos; tamen, vel studio retro saeculorum ducti, vel nostri misericordia tacti; ea saevitiae nostrae itis ereptum, ad eorum tantum exitium ingeniosae atque solerti. Quo tu me igitur animo esse existimes, Vir doctissime; inter haec literarum ludibria, & studiorum nostratium nugamenta? Quo fit, ut neque ad Bibliothecam Scorialensem, quod unum est in hac regione subsidium, pateat accessus; Gryphibus quibusdam eam custodientibus, importunis infestisque, qui quod sibi usui non est, caeteris invident. Ea re deterritus sum ab inquirendo Eusebii Caesariensis opere *de Vitis primorum Martyrum*, quod in ea extitisse Bibliotheca, Arias Montanus testatum reliquit. Summoque nos opere in lucem edere optabamus. Cum tot igitur incommodis conflictati, spe rerum meliorum abjecta, decrevimus tandem migrare Romam, Ecclesiae Alonensis προεδρία vicarii nostri curae commissa. Eo loci animus est quoad vixero, sedem figere. Adhibita tamen antiqua formula: *Nisi vis major*. Proximo mense ineunte, Dis bene juvantibus, Alona solvam, Hispanorum nugis valere jussis. Praestat enim carere patria, quam in ea silendo vitam traducere, ut cicada Rhegina. Tu si me amas, ut certe amas, ad Romuli Urbem literas

literas dabis, valebisque. Alonae, Postridie Nonas Martias, An. MDCCXVII.



VI. MARTINUS MONFALCONIO *suo* *S. D.*

Parisios.

FRancisco Marabusio utor familiariter. Is ad vos profecturus, domum venit jam petaiatus, rogatum num quid vellem? Cui ego: Unum, inquam. Ut suavissimum Monfalconium arctissime amplexere meo nomine. Facturum id naviter spopondit. Unaque literas ad te petiit, quibus se tibi de meliore nota commendarem. Frater is est M. Marabusii, quem audio probe tibi notum. Cardo igitur commendationis meae, in eo vertitur, ut juvenem hunc in tuam fidem & clientelam benigne liberaliterque recipias, & si qua in re opera & auctoritate tua illi opus, etiam adjuves. Est enim vir probus, fidelis, industrius, suavis, mihi carus, & (si quid ad rem pertinet) Bulisoni etiam tuo omnibus necessitudinis ac benevolentiae officiis conjunctissimus. Quare quicquid comitatis, studii, favoris in illum contuleris, in me contulisse puta. Vale. Alonae, III. Nonas Aprileis, An. MDCCXVII.



VII. MARTINO SUO MONTEFALCONIUS. *S. D.*

Alonam.

HEsterna die Marabusius & literas tuas, Vir carissime, & symbolam deposuit pro Antiquitatis opere, cujus Tabulis incidendis operam assiduam navamus, & pecuniam ingentem quotidie effundimus; pecuniam, inquam, ex hujusmodi symbolis partam. Instat Marabusius noster, & ne plura commemorem praepedit, crastina quippe die iter capessit in Hispaniam & Alonam. Schedulam Bibliopolarum de accepta symbola datam affert. Brevi aliam a me epistolam accepturus es, Vir amicissime, circa Saguntinum Theatrum, qua de re jam te monui, instante autem Marabusio hic finem scribendi facio, & salutem tibi plurimam exopto. Dabam Lutetiae, septimo Kal. Jul. MDCCXVII.

VIII. E M.



VIII. EMMANUEL MARTINUS. BERNARDO DE MONT-FAUCON,

Congregationis Sancti Mauri Presbytero,

S. D.

Lutetiam.

ALona soluturus, rerum Hispaniensium fastidium tibi aperui, & consilium migrationis nostrae. Praestat enim abesse patria, quam in ea furtim literas colere, non tantum absque ulla praemii vel honoris illecebra (quod esset tolerabilius) sed cum summo dedecore, ac nominis famaeque jactura. Quod profecto Scythicum est. Regnat enim in ea pestiferum quoddam blateronum morionumque genus; garrulitate ac petulantia insigne, quos ignavissimae nationis inscitia supra caeteros mortales ita evexit, ut ille tantum sapere videatur, qui cum illis insigniter desipit. Vere autem ac sobrie sapere insanire vocant. Sed de his alias. Nunc ad ea quae ad nos pertinere puto. Nimirum pervenisse me ad Urbem proximis Nonis incolumem hilaremque. Ubi literas tuas avidissime exspecto: quibus scitiorem me facias, num fragmenta illa navis Carthaginiensis ad tuum institutum palatumve. Num etiam ex Triclinio Hispalensi aliquid exsculpseris! Num operae tuae chalcographicae satis ex sententia. Num Villa-darias noster adhuc isthic degat, an ad Hispanos avolarit. Num (quod mihi persuadeo) me amare pergas. Quod ut facias, amor in te nostri jure postulat. Vale. III. Kal. Quinctileis, An. MDCCXVII. Romae.



IX. *Eruditissimo Viro* EMMANUELI MARTINO FR. BERNARDUS DE MONT-FAUCON

S. P. D.

Alonam.

EX animo gaudeo, Vir amicissime, non quod ingratae patriae vale dixeris, sed quod eam in Urbem te contuleris, quae faciliores offerat epistolis nostris aditus. Literariorum mole negotiorum pene obrutus

vix tantillum spatii ad hanc scribendam epistolam nancisci potui: instant operae typographicae; nec minorem diligentiam exigunt XL. Sculptores in aere, qui jam tabellas plus quam sexcentas eleganter sculptas absolverunt. Doleo sane nondum ad me pervenisse fragmenta illa navis Carthaginiensis, quae rem nauticam nostram, ut spero, non minus exornabit, quam navalis illa pugna, quam ex anaglyphis Hispalensibus jamdiu misisti. Triclinium item Hispalense Antiquitatum operi multum conferet ornamenti, nisi tamen in via intercipiatur, quod ne accidat summopere vereor. Pro talibus autem, Vir amicissime, officiis ingentes tibi gratias habeo: tibique perennem profiteor amicitiam. Nobilissimus Villa-darias vestras mense Aprili ineunte hinc profectus est in Hispaniam tui visendi cupidissimus. Nunquam profecto patria excessisses, si in multos hujusmodi viros incidisses, tui amantes, eruditionis dotumque tuarum praecones. E vivis excessisse dicunt Langladium nostratem, qui ab aliquot annis medicus regius Madriti degebat: vir probus, candidus, doctus, mihique multis iam annis amicus. Si vere mortem oppetierit: rem quippe nondum exploratam esse existimo; adipiscendae pontis Alcantarensis delineationis spes omnis avolavit. Vale, Vir eruditissime, meque tui amantissimum amare perge. Lutetiae, IV. Nonas Septembr. MDCCXVII.



X. MARTINUS MONFALCONIO *suo* S. D.

Lutetiam.

Quid ais? Fragmenta navis Carthaginiensis ad te non pervenere? hui fati iniquitatem! Eo immaniorem, quod eam jacturam resarcire non licet. Miseram enim ad te unicum, quod penes me erat, archetypum. At, Di boni, quam eleganter, quam accurate exaratum! Excute igitur omnes tabellarii pluteos. Eosque conveni, quorum opera reliqui nostri fasciculi tibi redditi sunt. Non enim dubito quin Langladius ὁ μακαρίτης eadem via usus fuerit, quam tutissimam fuerat expertus. Interim vero illius epistolae exemplum tibi mitto, quo fidei nostrae constet auctoritas. Bibliopolarum Parisiensium Syngrapham accepi, una cum epistola quam Marabusio tradidisti. In ea scribis, te circa Theatrum Saguntinum non nihil habere, quod a me explicatum velis. Connitar, ubi dubium patefeceris. Gaufrido vestro, immo etiam meo, non vidi hominem comiorem humanioremque. Omnia officia mihi praestitit plena suavissimi studii ac benivolentiae; quibus ego maxime delector, cum ob viri gravitatem, doctrinam, ac sanctimoniam; tum etiam quod ea mihi viam aperuerunt ad hoc nostrarum literarum commercium. Qua re nulla mihi gratior

gratior opportuniorque accidere potuit. Quare eximiis ejus beneficiis devinctus, totum me illi tradidi; ac opes operamque nostram, qualescumque eae sunt, obsequio viri optimi addixi. Invasit me per hos dies amor quidam gloriolae. (Quidni tibi fatear?) Vellemque, Bibliopolis Parisiensibus bene juvantibus, Eustathii Metaphrasim edere, vel Epistolarum volumen. Sed de his alias, ubi te hac studiorum mole liberatum conspexero. Quam vellem in ea sustinenda alicui tibi esse usui! Caesar Busiso perſancte te colit. Vale. In Urbe domina, A. D. IV. Kal. Octob. MDCCXVII.



XI. EMMANUELI MARTINO BERNARDUS MONTEFALCONIUS S.

Romam.

NOn mea culpa accidit, Vir doctissime, ut tardius longe, quam par erat, ἀμοιβαίας tibi mitterem: instant quippe epistolarum undique & ex quibusvis Europae partibus adventantium frequentia, subscriptorum copia, quibus nulla adhibita mora faciendum satis, operis, quod jamjam sub praelo utraque lingua sudaturum est, moles: quavis ex parte obruor. Nullum tamen non movi lapidem, ut & navis fragmentorum, & triclinii quam mittebas delineationem nanciscerer; rei potiundae vix aliqua spes superest. Ex animoque doleo amissa nobilium monumentorum schemata fuisse, nihil, fateor, mihi unquam injucundius accidit. Quod de Eustathio edendo cogitas, id certe mihi pergratum perque jucundum est; ea vero in re, uti & in qualibet alia opera mea uti ne graveris; sed ante omnia peropto, mihi recenseas, cujus generis sit Metaphrasis, cujus item Epistolae, num ad historiam illius temporis sint opportunae, quod sane peroptandum esset: hac enim ratione feliciore cursu in publicum prodirent: scire quoque pervelim qua mole futurum sit opus, omnia minutatim describas oportet: ne vereare hac in re plura quam par sit recensere. Opus enim, quod primum editurus in lucem es, ingenio eruditioneque tua dignum sit oportet: de Bibliopola ego cogitabo, nihilque non agam non modo ut votis tuis faciam satis, sed etiam ut laudi & famae tuae consulam quam inter amicitiae conditiones maximam esse puto. Vale, Vir amicissime, meique memineris. Lutetiae, decimo tertio Kal. Januar. MDCCXVII.



XII. EMMANUEL MARTINUS

Amicissimo viro

BERNARDO DE MONT-FAUCON,

Congregationis S. Mauri Presbytero

S. D.

Lutetiam.

SI minus ego te amarem ac colerem, abstinerem certe ab scribendo, quando ita es in me durus pene dixi fastidiosum) ut tot jam menses me conficias exspectatione tuarum literarum. Saltem monuisses in iis quas ad Gaufridum de phiala nostra ac patera. dicam levius : appinxisses salutem. Quo testatum faceres me animo tuo non excidisse. Sed haec joco dicta sunto. Qui enim dubitare queam, postquam me beasti tam luculento munere. Aureis scilicet libris Scriptoris aurei : aureo item ornatu ac basilico. A qua impensa, heus tu, in posterum abstinebis, si sapis. Nam id est & vires tuas exhaurire & crumenam. Quid tibi cum Bibliopegis? Satis tibi creant molestiae typothetae & chalcographi, quibuscum aeternum tibi batuendum. Audio divinum tuum opus proximo Martio fore extra praelum. Quem ego diem si videro! Nam ubi videro parum liquet. Cum ex decreto regio Hispanis omnibus Roma sit interdictum. Equidem paravi mihi secessum Tusculanum donec res subsidant, quae maxime tument. Nec dubito quin hic mihi sit manendum usque ad autumnum, etiam rebus compositis; cum Romam per aestatem repedare, infestissima coeli intemperies prohibeat. Rebus autem turbidis repetendae nobis erunt patriae quisquiliae. Quo infortunio ecquodnam accidere nobis potuit aerumnosius? cum fortunae iniquitate eo detrudar, unde abducor consultissimo judicio animique sententia. Sed si res male vertent, conferam me forte Lutetiam, atque in tuam clientelam me conjiciam. Certum est enim omnia pervadere, quam nugatoribus Scholasticis plaudere. Libros abs te missos cras exspecto. Locabo iis studium omne atque operam in Tusculana hac solitudine. Vale. Ante diem XVII. Kal. Augusti, An. MDCCXVIII. Tusculo.

XIII. EM-

XIII. EMMANUEL MARTINUS BERNARDO DE MONT-FAUCON,

Amico jocundissimo

S. D.

Lutetiam.

Literas tuas diu exspectatas reddidit mihi tandem Gaufridus noster, ex quibus facile intelligo quanta curarum mole premaris in adornanda editione immortalis tui operis. Quare, ne tibi gravissimis in rebus occupato inanibus literis intempestive obstrepam; paterae cujusdam fictilis, quae apud nos est, exemplum tibi mittimus quam accuratissime delineatum. Valde enim bella mihi visa est, nec minus digna quae abs te inter instrumenta sacrificalia recenseatur. Mitto praeterea fictilem quandam phialam δακρυοδόχον, quae asservatur apud Hieronymum Odamum, Equitem Constantinianum Divi Georgii, juvenem antiquitatis omniumque elegantiarum studiosum, naturaeque pariter industriaeque artibus (quae quidem dignae sint viro nobili) ornatissimum. Mihique arcta admodum ac jocunda consuetudine conjunctissimum. Et quod caput est, qui in te colendo nemini cedit. Ipse tam pateram quam phialam manu sua delineavit. Metaphrasis nostra Eustathiana universum illud opus Latine exhibet. Tam scilicet quae ad rem grammaticam pertinent, quam mythologica, philologica, & historica. Nullo denique vocabulo praetermisso. Habemus in promptu duo volumina justae molis elegantissime emendatissimeque transcripta. Si Bibliopolae Parisienses operi edendo animum adjiciant; interea dum his excudendis opera navatur, curae mihi erit reliquam Iliadem expedire. Nam de Odyssea postea videbimus. Epistolas habemus ad ducentas, ut ad varios, ita varie scriptas; emendate tamen, ni fallimur. Video autem hoc genus scriptionis minus habere lenocinii apud Bibliopolas, propterea quod ejusmodi exemplaria difficilius extrahantur. Itaque propria forsitan impensa rem conficiemus. Systema Philosophiae Stoicae περὶ παθῶν superioribus annis scripsimus: sed opus est affectum, ita tamen ut paucorum mensium labore ad fastigium perduci possit. Quae omnia lucubrata a me sunt languidius, quod apud eam gentem versarer, quae hoc studiorum genus non solum inutile ducit atque iners, sed cum dedecore quodam ac contumelia conjunctum: blaterones nempe, scholastica crepitacula, merosque ἀσκοὺς πεφυσημένους. Sed mittamus ea monstra ac propudia. Nitidissimi illius ϗ θεοπνεύστου Chrysostomi unum

num

num & alterum volumen avidiſſime exſpecto; cum ob tanti viri doctrinam, cui ſemper fui addictiſſimus; tum quod illuſtriora ea fore non dubito te facem praeferente. Quorum quam primum adipiſcendorum ſpem mihi attulit epiſtola tua ad Gaufridum ſcripta. Vale, Vir optime atque amicisſime. Romae, Agonalibus, MDCCXVIII.



XIV. *Viro Doctiſſimo Amiciſſimoque*

EMMANUELI MARTINO
BERNARDUS MONTEFALCONIUS
S. P. D.

Romam.

Utinam tumentibus rebus Italicis Siculiſve Lutetiam receptum habeas, quo te praeſente frui liceat: praeſens certe conſpiceres, quanta mole operis, quam importunis typographorum, Sculptorumque lapſibus emendandis obruar; quanta epiſtolarum copia ex Germania, Batavia, Anglia, quotidie accedat: ἀμοιβαίας quam primum expetunt alii; alii vero, amici videlicet, qui me tantis implicitum negotiis literariis non ignorant, ne mittam prohibent. Urceolo & Satyro Silenove quem miſiſti, neſcio an uſpiam locus futurus ſit. Tanta enim in hoc opere viſitur Satyrorum & Faunorum copia, ut timeam ne faſtidium ſit paritura. Tam praeclara mihi ex Hiſpania miſiſti, quae jam ex chalcographorum manibus ſunt egreſſa, ut parum de Satyro Silenove ſit curandum: quantum putas librum exornabunt, claſſica pugna, turritae naves, inſcriptio Iſidis elegantiſſima cum Anubidis, Ibidis, Oſiridiſque anaglyphis conjuncta, pompae Romanae anaglyphum; ſed heu! quam doleo amiſſum triclinium, deperditam navis veteris ἀνατομίαν; quam doleo Saturnini Langladii interim ſublatam mihi ſpem Alcantarenſis Pontis, Segovienſiſque Aquaeductus potiundi. Paucis abhinc diebus, ſub praelo ſudabit tua de Saguntino Theatro Diatriba. Theatrum ipſum jamdiu ex chalcographi manu exiit. De Euſtathio edendo, quod cogitabas, cum plus otii nactus ero ſimul agemus. Menſe Martio proximo me liberum expeditumque fore ſemper ſpero. Vale cariſſimum caput, meque amare perge. Dabam Lutetiae, pridie Eid. Septemb. MDCCXVIII.

XV. EM-

XV. EMMANUEL MARTINUS
BERNARDO MON-FALCONIO,
Congregationis Sancti Mauri Presbytero, amico integerrimo atque optimo

S. D.

Lutetiam.

CUm Roma essem jamjam profecturus, redditae mihi sunt literae tuae pridie Eid. Septembreis ad me datae; quibus nunciabas exspectatissimum tuum opus fore extra praelum proximo Martio. Tam laeto nuncio exhilaratus, in viam me conjeci; tametsi avibus minime addicentibus. Saevissimis enim tempestatibus vexatus, vix tandem litus tenui ad Fanum S. Remuli. Unde piscatorio lembo denuo conscenso, ob terrestris itineris in eo tractu difficultates, Antibum appuli. Inde vero per Provinciam & Occitaniam vestram domum remigravi, post septem & sexaginta dies quam Roma egressus sum. Impeditissimo quidem itinere, ob res jam tum ad bellum vergentes, & occupatos suspicione animos. Tamen etiam per senticeta & amfractus incolumis Alonam perveni. Cujus rei te certiorem facere volui, cum ut mutuis inter nos officiis, tum ut desiderio tuo quam primum satisfacerem; teque ea molestia liberarem, qua te non leviter affectum arbitrabar cura salutis nostrae. Ut primum libri prodierint, dabo operam ut reliqua pecunia repraesentetur. Chrysostomi priores duo tomi socios exspectant. Quod ad librorum transvectionem attinet, postea videbimus. Id certe te persuasum velim, discruciari me eorum desiderio. Bulifo noster plurimam tibi salutem impertit. Alonae, XVIII. Kal. Febr. An. MDCCXIX.

XVI. *Viro Doctissimo & Insignissimo*
EMMANUELI MARTINO,
Alonensi Decano,
BERNARDUS MONTEFALCONIUS
S. P. D.

SEro tandem accepi literas tuas Alonae datas XVII. Kal. Febr. queis de incolumitate tua me certiorem facis; sed quam faustis avibus iter susce-

 pisses,

pisses, si cum per Gallo-Provinciam & Septimaniam iter agebas Lutetiam usque perrexisses, ut nobis mutuo amplexu frui liceret. Verum id non querentis more dico: scio enim in tanto rerum tumultu non licuisse tibi huc proficisci. Tumultus certe ille bellicus quantus quantus est, non accedit ad bellicam illam contentionem, quae calamo peragitur circa constitutionem *Unigenitus*. Ego vero hanc circa rem jam pridem receptui cecini, & jure quidem; nam tanta moles librorum ex utraque parte prodit, ut omnia legere nemo possit, etiamsi omnibus aliis omnino studiis valedixerit. Exiit nuper regium edictum, quo induciae ad annum tantum praescribuntur; sed nec jussa, puto, regia ardentiores animos cohibere poterunt. Sperabam exiturum opus de Antiquitatibus mense Martio; sed insperatis obicibus extracta res fuit, quindecim vero circiter ab hinc diebus haud dubie prostabit. Quamobrem necesse est, ut quam primum schedas apochasque vestras, quas Bibliopolarum manu signatas penes vos habetis, quam primum mittatis ad D. Marabusium, qui rem curabit, libros accipiet, & Alonam diriget. Tomi duo sequentes Chrysostomi anno proximo MDCCXX. prostabunt longe nitidiore charta & charactere, quam duo priores, quoniam Bibliopolas meos in jus ambulare coegi, quod in duobus prioribus tomis officio suo probe functi non essent. Anno igitur proximo curabo tibi Alonam transmittantur tomus tertius & quartus, & reliqui similiter statim atque publicabuntur. Vale, Vir clarissime. Lutetiae, XVII. Kal. Aug. MDCCXIX.

Bulisonem meum Philippum plurimum valere jubeo, ipsique gratulor, quod ea in Urbe publica gerat negotia, in qua tuo saepe consortio frui possit. Quam vellem mihi liceret vos semel saltem adire, & oris maritimis mediterranei pelagi apud vos extremum vale dicere: nam hinc certe Madritum pergerem, inde Lutetiam: nec mediterraneum ultra cogitarem, in cujus pene oris natus sum.

Si aliquo pacto possetis utervis, mihi Pontis Alcantarensis & Aquaeductus Segoviani delineatum schema adipisci; summam haberem gratiam. Nam ut in praefatione monui, vix totam molem operis absolveram, cum de supplemento cogitare coactus sum. Tanta scilicet accessere nova: interque alia Pharus Bononiensis Oceanicus sexaginta ab hinc annis dirutus, cujus schema oblatum est. Res erat admirabilis. Salve, mi Buliso.

XVII. EM-



XVII. EMMANUEL MARTINUS
BERNARDO MONFALCONIO,
Congregationis Sancti Mauri Presbytero, viro eximio ac singulari,
S. D.

Lutetiam.

UTinam mihi ab Urbe reverenti, Lutetiam vestram petere licuisset; sin minus, saltem excurrere. Sed iniquitate temporum ac fortunae Reducis maleficio id etiam nobis ereptum. Quod unum mihi erat optatissimum. Non tam me-hercules Urbem istam visendi (etsi id maximum) quam te coram alloquendi, tuique amplexandi: qui mihi es instar omnium. Sed fatorum arbitrio humana versantur. Nosti salutare illud:

Πρὸς τὴν παροῦσαν πάντοθ' ἁρμόζειν τύχην.

Gliscebat impendentis belli fama, & ad tristissima quaeque studia vergebant. Adeo ut inter suspicionum vepreta festinanter mihi fuerit transeundum per Galliam Narbonensem, antequam belli furor erumperet. Quo factum ut funditus spe illa te conveniendi fuerim dejectus. Nisi tu aliquando ad nos. Quo si aliquo commento perrepseris, habebis me comitem Hispanicae peregrinationis; vel si ad Herculis stelas penetrare libeat, ac beatorum campos. Egone abs te vestigium ullum discederem? Quare, perfice hanc rem, si vir es. Habebis profecto me, si minus idoneum, saltem strenuissimum ὑπηρέτην. Nec dubito quin Regis favor accederet. Quam ego ex tuo contubernio voluptatem, Di immortales! Quam egregiam navaremus operam Trajani Ponti, & Aquaeductui Segoviensi, quae eximii tui operis supplementum locupletarent! Quare incitabo te formula illa Terentiani Davi ad Mysidem: *Move te ocyus.* Teterrimum bellum quod apud vos geritur tam acri partium studio ac contentione circa Constitutionem, valde vereor ne Ecclesiae evadat luctuosum. Neque enim arbitror decreto regio cohibitum iri effraenes animos, pervicacia correptos, ac religione tactos. Pereant qui haec semina ambitione potius quam studio religionis severe. Tu mihi videris profecto rectam instituisse viam; dum foedissimo huic digladiantium dissidio te subtraxisti. O vulpio!

Bibliopolarum schedulas tibi reddet Marabufius, unaque reliquam pecuniam. Tu rem quam primum extrica, nosque recrea, tam diuturna librorum exspectatione pene confectos. Cura ut valeas. Alonae, III. Eidus Sextileis, An. MDCCXIX.



XVIII. *Doctissimo Amicissimoque viro,*

EMMANUELI MARTINO

Decano Alonensi

BERNARDUS MONTEFALCONIUS,

S. D.

PLuribus me, Vir amicissime, ad iter Hispanicum suscipiendum cohortaris: id vero libentissime praestarem, si per negotia literaria, si per bellicum tumultum utriusque regni extremas oras occupantem liceret: distinet item Antiquitatum opus jam suis omnibus partibus atque numeris absolutum, quod tamen nondum in lucem prodit. Licet enim omne typographicum munus perfectum sit, licet omnes tabulae in aere incisae; at remorantur operae cudendis & in charta exprimendis tabulis deputatae, quas non possunt Bibliopolae eo numero nancisci, qui tantam imaginum silvam brevi possit expedire. Exiturum opus polliciti sunt Bibliopolae mense Novembri proximo; sed iis omnino fidem habere non ausim. Interim tertium quartumque tomum operum Chrysostomi, ad umbilicum deducere festinamus, qui anno proximo MDCCXX. publici juris erunt, & ad te Alonam, uti spero, deportabuntur, nitidiore charta, melioribusque typis cusi. Jamdiu sic duplici lingua publicis commodis laboramus, modo Latine & Gallice, jam Graece & Latine: unde inter alia id etiam lucri accedit, ut nos Bibliopolae Hispani hoc dicterio cohonestent,

Locos Franceses, que estampan lo mismo dos veces.

Cave, Vir doctissime, qui libros Graeco-latinos quotidie versas ne pars σκώμματος in te cadat; sed satis joci, ἐδὲ τὸ βασιλικόν ἐςι τὸ σκώπτειν, inquit Plutarchus. Quod spectat autem ad Pontem Alcantarensem, & ad Aquaeductum Segovianum, promiserat Vir quispiam Italus, qui totam Hispaniam peragraverat, eorum schemata se daturum esse; sed vereor admodum ut stet promissis. Cum primum Antiquitates prostabunt, curabo mittantur vobis exemplaria; Marabusio nostro operam dante, ut felici cursu Alonam perveniant. Vale, Vir amicissime doctissimeque, & me amare perge. Lutetiae, XII. Kal. Oct. MDCCXIX.

Et tu, mi Buliso, quem ex animo complector, quicum Italiae partes celeberrimas peragravi, quem multi joci comitem in visendis Italicis monumentis praesto semper habui.

XIX. EM-



XIX. EMMANUEL MARTINUS BERNARDO MON-FALCONIO *suo* S. D.

Lutetiam.

TRiennium jam est, mi Monfalconi, ex quo nullas a te literas, ad te nullas. Cum enim argumentum mihi ad scribendum deesset, exspectabam immortale tuum opus *Antiquitatis enucleatae*; quo diligentius evoluto, meritis te laudibus ornarem; simulque grati animi indicium aliquod proderem, quod non uno loco honorifice de me scripseris. Sed plaustrum perculit, ac spes nostras evertit, foedissima pestilentia quae hoc biennium apud vos grassata est. Qua lue saeviente, cum interdictum fuisset Hispaniae nostrae Gallicis commerciis; praestantissima tua illa volumina ad manus nostras nondum pervenere. Primum enim Burdigalam advecta, indeque Bajonam translata, quo nostris finibus propius admoverentur; nullis tamen artibus ad nos obrepere potuerunt. Etsi spero quam primum. Cum autem intelligam, Insignem operis Appendicem sub praelo jam esse, ac sine ea accessione tantum opus mancum omnino ac debile fore existimem; idcirco negotium dedimus Marabusio nostro, ut ei comparandae meo ac Bulifonis nomine pecuniam tibi repraesentet. Curae tuae erit ut ejus pecuniae cautio ad nos mittatur Bibliopolarum chirographo fulta. Heus tu, meministin' primum atque alterum Chrysostomi volumen mihi abs te missum? Certe religio est eximium illum virum discerptum penes me esse. Itaque ubi facultas, inchoatam rem perfice: nam exspectando exedor miser. Aetatem vale, & nos ama. Alonae, V. Kal. Majas, An. MDCCXXII.



XX. MARTINUS MONFALCONIO *suo*, S. D.

Lutetiam.

QUod bonum, felix, faustum, fortunatumque fiet, libri tui exspectatissimi (quod vix sperandum fuerat) ad nos pervenere. Ut illos accepi, Deum ἀποπομπαῖον (quicumque tandem ille fuerit) veneratus; arctissime amplexatus sum. Eademque, oscula multa iis impegi.

Addita illa exſultantis formula: *At tandem*, *tandem*! Simulque rebus omnibus abjectis, in eas divitias me conjeci: a quibus vix divelli potui, priuſquam tot antiquitatis monumenta, ac eruditionis theſauros, avidiſſimis oculis hauſiſſem. Opportune per illos dies rus seceſſeram, vitando aeſtivo calori; qui in Urbe quidem ferventiſſimus, ac Libyco (pene dixi) torrentior. Itaque interpellantium moleſtia vacuus, mentem, animum, ſenſus ipſos, ac cogitationes in eas delicias immerſi. Nec ullum erat tempus quod ab evolvendo immortali opere vacaret. a mani, de veſperi. Quam ego tibi referam gratiam, Vir humaniſſime, pro iis laudibus, quibus me nihil tale merentem, liberaliſſime cumulaſti? Quod ſane vix fieri potuit abſque fidei gravitatiſque tuae jactura. Sed tu, qua es humanitate, ea detrimenta ſuſque deque habes, dummodo comitate tua in eos utaris, a quibus vel leviſſimo aliquo affectus es beneficio. Quid enim ego praeſtare poſſum, homo a literarum commercio tam iniquis intervallis disjunctus; quique, ut Citharoedus ἀνακρέατος, neminem habeam qui me auſcultet, multos qui ſtudia noſtra cavillentur atque traducant? Etſi ego, naturae quadam ῥοπῇ, molam hanc verſo. Habeant ſibi ſpinoſas ſuas argutiolas, clamoſa deliramenta, futiles quaeſtiunculas, ac portentoſa illa nugamenta, Scythice potius quam Latine ſonantia. Batuant, & ad ravim uſque digladientur, inertiſſimi balatrones, & inania crepitacula; dum mihi contingat remotiſſimae antiquitatis tractare veſtigia, ſuperſtites verſare cineres, & longo ſaeculorum naufragio ſervatas contemplari reliquias. Sed de iis affatim. Scipio Maffeius, Marchio Veronenſis, qui Florentiae nunc degit, Maximam quandam Inſcriptionum antiquarum Syllogen adornat. Is ad me ſcripſit, ut ſe juvarem opera, conſilio. Ea re, a me multa ſciſcitatus eſt ad rem Epigrammaticam Hiſpanienſem ſpectantia, quae fruſtra ab alio ex noſtratibus quaeſiviſſet. Reſcripſi ad ſingula enucleatius. & pro mantiſſa pollicitus illi ſum ultra quadringentas Inſcriptiones poſt Gruterianam editionem effoſſas, partim ex ipſis autoglyphis a me exſcriptas, partim ex idoneis auctoribus excerptas. Nihil enim magis eſſe hominis judico, quam aliis prodeſſe. Appendicis tuae deſiderio langueo. De Chryſoſtomo noſtro vello tibi oricillam. Valetudinem tuam cura quam belliſſime, & vale. E Villa Popiliana agri Alonenſis, VIII. Kal. Sextileis, An. MDCCXXII.

XXI. *Eru-*

XXI. *Eruditissimo Amicissimoque viro*

EMMANUELI MARTINO,

Alonensi Decano,

BERNARDUS MONTEFALCONIUS

S. P. D.

Alonam.

EN tibi tandem sistuntur, Vir amicissime, tertius quartusque tomus Operum Joannis Chrysostomi, qui ab anno fere prostant. Tantas attulere moras, tum lues quae a duobus tribusve annis in Provincia grassatur, tum illa tanta itineris & marium intervalla. Ne vero citius in publicum prodirent, in causa fuit rei aerariae illa perturbatio, quae haud dubie in aures vestras pervenerit. Sub praelo sudant quintus & sextus tomus; in quinto comprehendentur Expositiones, seu Commentarii in Psalmos, in sexto Commentarii in octo priora capita in Esaiam, nec non alia bene multa opuscula. Inter haec homiliae quaedam anecdotae γνησίαι, quarum una est omnium Chrysostomi homiliarum praestantissima. Ad haec autem ejusdem Chrysostomi Synopsis in Scripturam Sacram: opus tamen imperfectum, in quo omnia quae ad novum Testamentum spectant, desiderantur. Usque adeo aucta est hujusmodi supellex, ut qui tomis undecim comprehendi omnia posse sperabamus, jam ad tertium decimum usque aucta videamus. Supplementi Tabulis incidendis vacant viginti in aere Sculptores. Totumque opus anno proximo MDCCXXIII. prodibit in publicum. Aquaeductus Segoviensis delineatam tabulam accepi propediem Sculptori tradendam. Pontis Alcantarensis tabulam exspecto ab amico mittendam, quae item supplementum nostrum exornabit. Bulifonium nostrum plurimum salutes velim, nec non & Marabufium. Vale, Vir eruditissime, meique memineris. Dabam Lutetiae, III. Idus Aug. MDCCXXII.

XXII. MARTINUS MONFALCONIO *suo*

S. D.

Lutetiam.

CUm de navi Carthaginiensi jam dudum curam abjecissem; ecce tibi literae Carthagine ad me datae, cum accuratissima quadam καταγραφῇ dis-

disjectarum illius partium. Scripsi enim alias ad te, superstitem illam compagem, quae tot aevitatis ac saeculorum injuriis restiterat, spurcissimorum hominum manibus fuisse divulsam. Nimirum, ut aereos clavos regi mitterent: una cum Severi Alexandri numismate, quod repertum est bitumine inclusum. Adjectae sunt notulae quaedam Hispanice, dilucidandae rei caussa. Quas tu a naupegis explicandas curabis. Sed dices fortasse:

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ᾽ Ἀνθεστήρια.

Valde enim vereor ne sero haec ad te perveniant, editione jam expedita. Utcumque tamen res ceciderit, officio nostro deesse nolui.

Literas tuas anno superiore Lutetia ad me datas III. Eid. Augusti, accepi post menses tredecim quam scriptae fuerant. Nudas autem, ac sine adjecto abs te munere tertii quartique tomi operum Joannis Chrysostomi. Missae illae ad me sunt Gadibus per publicum tabellarium, sine nota mittentis, atque ἀδεσπότως. Hariolari igitur, ac suspicari subesse dolum. Volui tamen nihil non rerum satagere, priusquam negotium explicate ad te deferrem. Cui non dubito ingentem allaturam molestiam, navarchi vel incuriam, vel fraudem. Etsi de fraude minor suspicio. Si enim libros intervertere sedisset animo; neutiquam literas tuas ad me misisset. Quod igitur diligentiae nostrae reliquum erat, Gades literas dedimus ad Partietum, Gallicis negotiis in eo emporio praefectum: ut, si qua arte fieri posset, eam rem nobis extricaret. Tu isthic hominem conveni, cujus fidei curaeque libros commisisti. Nam hic spes valde imbecillas video, & in lubrico positas. De supplemento havemus aliquid scire. Jam ab hinc biennium negotium dedimus Marabusio, uti subscribendum curaret Bulifonis nomine ac nostro. Quum rescribes, recta ad me, per publicos tabellarios. Nihil ea via expeditius. Bulifo noster salvere te jubet. Vale, Vir maxime, nosque redama. Alonae, IV. Kal. Decembreis, An. MDCCXXIII.



XXIII. MARTINO MONTEFALCONIUS.

S. D.

Alonam.

De carina Carthaginiensi, non est quod ultra me moneas, delineatam enim illam imaginem quam jamdiu miseras in aere incidendam utique dedissem, nisi instantibus amicis, qui nihil hinc lucis rei nauticae veteri accessurum clamitabant, a publicandi consilio destitissem. Multo autem minus jam licet secundam quam misisti tabulam Sculptori tradere, quam Academici nostri publicare non sinunt, quid enim, inquiunt, notitiae

titiae inde expiscari possumus. Trabes sunt pene informes, unde nihil ad navium formam pertinens eruere possis. Et alioquin extremam manum supplemento admovemus, instantque Subscriptores, nec licet novas afferre moras: nam ante finem anni MDCCXXIII. proditurum opus polliciti eramus: neque tamen me minus de beneficio tibi obstrictum esse profiteor.

Doleo te nondum tertium quartum Chrysostomi tomum accepisse. Primus cui rem commiseram avolavit, ac nescio quò concesserit: quinque autem sexve hinc menses effluxere. Deinde autem D. Cottin viro probo & fidissimo Epistolam atque Librorum thecam dedi, qui nescio quare primo Epistolam misit, deinde thecam, quae cum a duobus tribusve mensibus hinc profecta sit, jam in manus, Vir doctissime & amicissime, devenerit tuas. Neque est quod fraudem. Est enim Cotinus vir probus, fidus, opulentus re familiari par pene principibus. Obruor pene literariis negotiis, nec minus premunt Epistolae per Europam pene totam mittendae. Quam ob rem hic gradum sistam. Inter illas delineatas anaglyphorum imagines, quas mihi abs te transmissas in opere de Antiquitate explanatione & schematibus illustrata, haec maxime suspiciuntur, thensa triumphalis, Pompae Romanae pars illa, quam tertio tomo posuimus: ac prae omnibus Navalis pugna: haec quippe unica comparet in monumentis hactenus erutis. Vale, Vir eruditissime, & me amare perge: jam Bulifonium meum compellabo. Lutetiae, Kal. Jan. MDCCXXIV.



XXIV. EMMANUEL MARTINUS

Praestantissimo viro

BERNARDO MONFALCONIO,

S. D.

Lutetiam.

ERam in rusticatione suburbana, quum advecti sunt Gadibus tertius & quartus tomus operum Divi Chrysostomi. Post biennium scilicet quam abs te missi fuerant. Deosculatus sum munus tam eximium, eoque gratius, quod a me jam dudum fuerat conclamatum. Immortales igitur ago tibi gratias habeoque. Ac spero fore, ut agam denuo propediem. Nosti caetera. ὢ χάλκεον μέτωπον! dices fortasse. Certe, nactus es hominem naviter impudentem. Ad alia. Quod bonum, felix, faustum, fortunatumque fiet, Bulifo noster duxit uxorem Vincentiam Linariam, lectissimam virginem. Dicamne eum superesse adhuc, an vixisse? Reperio enim apud Antiphanem, qui id patrassent, theatrali scommate habitos

fuisse inter deploratos. Profectus est Mantuam Carpetanorum ambiendi caussa: nam illi Rex successorem misit. Tantusne vir togam candidam sumet? deducet, prensabit? &, si fors tulerit, e patroni veste leget fratillos? Miseret me profecto gravissimi hujus casus.

Scipioni Maffaeo, Veronensi illi πολυγράφῳ, misimus centum & sexaginta numismata ad Hispaniam nostram pertinentia, ejusque topographiam, partim Latino charactere, partim vetere Hispanico. Petierat a me ille, imo flagitaverat, eas divitias. Quas ajebat, maximae Inscriptionum Syllogae, quam typis paratam habet, & nervos fore & sanguinem. Itaque quod reliquum erat ἐν τῷ Ἀμαλθείας κέρατι effudimus. Jam enim antea miseramus illi quingenta & quatuordecim antiqua Epigrammata, studio ac labore nostro collecta, partim ἀνέκδοτα, partim quae collectorum diligentiam fugerant. Qui ego morem non gererem viro tam eximie de republica literaria merito? Quique omnia sua scripta scis quam multa quamque varia) summa liberalitate mihi donaverat. Sic sum. Ea tantum me possidere judico, quorum usu amicis prodesse valeo.

De supplemento auriculam tibi vello. Discrucior enim ejus exspectatione. Nos valemus, tuique memoriam colimus. Fac tu contra. Alonae, die Victoriae Actiacae, An. MDCCXXIV.



XXV. EMMANUEL MARTINUS

Eximio viro

BERNARDO MONTEFALCONIO

S. D.

Lutetiam.

Ante D. III. Nonas Septembreis literas ad te dedi, quibus nunciabam, ad hoc tandem litus appulisse tertium quartumque tomum operum Divi Chrysostomi, Gadibus advectos. Eas literas uti ad te transmitteret, negotium dedimus Bulifoni nostro, qui tum degebat Mantuae in Carpetanis. Qui mihi rescripsit, ut alia curarem; sibi de hac re curae fore. Cum autem post septem fere menses nihil abs te literularum acceperim; suspicari plane subiit, num illae casu aliquo interciderint. Nam Bulifo re de isthac ne γρῦ quidem. Habent enim hominem misere irretitum Mantuanae tricae. Idcirco visum mihi est id ad te denuo exarare, cum ut te Cotinumque tuum ea cura liberem, tum ut ne mihi accidat quod olim Amyclis, quae tacendo periere. Igitur exstant apud nos quatuor

tuor priora Chryfoftomi volumina, quae per hanc νηϛείαν τεσσαρακοϛὴν animum noftrum pavere lautiffime. Reliqua fi ad nos mittendi in fententia manes (ut certe manes) poteris ea tuto tradere Ludovico Famino, qui apud vos negotiatur, viro probo atque honefto. Nam Marabufium noftrum multitudo negotiorum quibus obruitur negligentiorem, inertioremque fecit ad τὰ ἔξωθεν. Huic jam dudum negotium dedimus ego & Bulifo, ut utriufque nomine fupplemento fubfcriberet. Quod ab fe diligentiffime factum, nobis indicavit. Sin autem, idem Faminus pecuniam repraefentabit. Tu nobis utrumque extrica, & Chryfoftomum, & Supplementum. Nam hafce moras moleftiffime fero. Et nifi iftam focordiam excutis, prorfus contabefcam. Eus tu, nihilne de Ἀπατηρώνη noftra? Nam Caefar Bulifo, Philippi frater diferte ad me fcripfit, fe aliquot ejus libelli exemplaria ad te mififfe. Dices fortaffe, lufum quidem effe, merafque nugas. Sane profecto. Aveo tamen fcire, quid vifum fuerit Trevoltienfibus. Nam eorum cenfuram valde expavefco. Vale, Vir clariffime, & nos redama. Alonae, VII. Kal. Aprileis, An. MDCCXXV.



XXVI. *Viro Amiciſſimo Doctiſſimoque*

EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonenſi,

BERNARDUS MONTEFALCONIUS

S. P. D.

Alonam.

JAmdiu capto occafiones omnes mittendi cariffimo noftro Alonenfi Decano, omni exceptione majori, quintum fextumque tomos Joannis Chryfoftomi. Erat nefcio quis qui promiferat fe illud fufcepturum onus: verum diu exfpectatus, promiffis non ftetit. Demum poft diuturnam & plus quam annuam perquifitionem virum reperi fidum, probum, Cotinum, qui in fe recepit, Epiftolam hanc intra viginti quinque circiter dies, librorumque farcinam, trium circiter menfium fpatio Alonam perventuras effe. In fexto tomo multa ἀνέκδοτα reperies, nunc primum ex MSS. eruta, quorum quaedam eximia, & magni pretii, inter haec homilia Conftantinopolitano populo habita, omnium Chryfoftomi homiliarum pulcherrima, quae hactenus latuerat. Jam fub praelo fudat feptimus tomus, brevi fequetur octavus. Si non celerius totum opus exeat typographorum culpa eft; non noftra. Nefcio utrum adhuc acceperitis fup-

 ple-

plementum nostrum, pro quo opere, tu, Vir doctissime & Bulisonius noster subscripseratis. Jam pomeridianum otium totum eruendis illustrandisque Monarchiae Francicae monumentis insumo. Cujus operis rationem videbis in programmate subjuncto. Audivi aliquid tristius accidisse Bulisonio nostro; sed tanto terrarum spatio dissitis vix potest quid certum afferri. Scire peroptarim, num munus adhuc servet suum; an periculum tantum, non jactura fuerit, id quod rumore nuncio accepi. Ipsum meo nomine plurimum salutes velim. Vale, Vir eruditissime, meique memineris. Dabam Lutetiae, pridie Nonas Febr. MDCCXXVI.



XXVII. EMMANUEL MARTINUS

Clarissimo viro

BERNARDO MONFALCONIO *suo*

S. D.

Lutetiam.

EUgepae! Tandem e quercu aliquid exsculpsimus? Fere biennium est ex quo a te nullas. Durabam tamen, & flagrantissimo earum desiderio tabescebam. Ferreus profecto es, mi Monfalconi, nisi id tibi habes persuasissimum, neminem esse qui sanctiore te colat observantia. Binas ad te dederam; alteras A. D. III. Nonas Septembreis, An. MDCCXXIV. Alteras VII. Kal. Aprileis, anni superioris. In illis enucleatius ad te scripseram, Bulisoni nostro successorem missum Praefecturae suae; cum paucis ante diebus uxorem duxisset, Vincentiam Linariam Alonensem virginem. Quare, Mantuam e vestigio se contulit ambitum. Nec adhuc togam candidam exuit. In ultimis tibi perscripseram, ut si ad nos librorum aliquid esset mittendum; id totum Ludovico Famino committeres, viro probo atque honesto, qui apud vos mercaturam facit. Quique curam in se recepit reliquae pecuniae repraesentandae. Rescripsitque, utrumque ab se bona fide patratum, & literas nostras tibi traditas, & reliquam supplementi pecuniam oblatam. Tu autem mihi videris neutras accepisse; quando de Bulisonis nostri casu tam anxie contaris; & de supplemento nos admones. Si ita res est, verba nobis dedit Faminus iste vestras. Quod vix credam. Sed quid audio? Euax! Cum haec exararem, ecce nuncius, Chrysostomum appulisse. Misi curriculo, qui illum domum duceret. Aperui thecam. Offendi illum veste triumphali splendentem. Bene sit Monfalconio nostro, viro, non tantum literarum gloria clarissimo, sed liberalitate, ac munificentia eximio. Nimirum occurrerat illi, Hispanos biblio-

bibliopegos omnem operam, studia, industriam in eo locare, ut praestantissimum librum Pergamena charta non laevigata, sed scabra, horrida, consarciant, sine alphitocolla, sine pumice, sine aliquo lenocinio. Itaque tertius quartusque tomus, quos mihi investes misisti, in Urbem regiam transmittendi fuere, ad bibliopegum quendam Januensem, qui unus in ea Urbe artem eam callet. Nam ne sis nescius, nemo est harum elegantiarum me studiosior ἢ φιλοκαλώτερος. Igitur (quod felix faustumque fiet) sunt penes me quintus sextusque tomus Joannis Chrysostomi. Nunc ad supplementum. D. Le Joindre, qui hanc epistolam tibi tradet, numerabit reliquam pecuniam, quod ad meum supplementum attinet. Nam quod ad Bulisonianum, ipsi Bulisoni curae erit; si quando Mantuanis tricis sese expedierit, quae misere illum distinent. Itaque age si quid agis. It enim dies, & ego interea discrucior. Ipsi D. Le Joindre negotium dedimus totius rei extricandae. Nimirum, ut volumina curet isthic compingenda, & Massiliam transmittat ad Janum Baptistam Ronquette. Cui (heus tu!) si quid ad nos, etiam tuto committere poteris. Est enim ea navigatio, & brevior, & minus periculosa, quam illa τῆς ἔξω θαλάσσης. Nihilne de lusu illo nostrae 'Αναπειράσεως? Aveo profecto scire, quid tibi visum fuerit, quid Trevoltiensibus. Valetudinem tuam cura diligenter. Nam horis pomeridianis in Monarchiae Francicae studium tam acriter incumbere letale est. Nos redama, & vale. Alona, pridie Kal. Aprileis, An. MDCCXXVI.



XXVIII. MARTINUS MONFALCONIO *suo* S. D.

Lutetiam.

CUm D. Le Joindre bibliopolam vestrum convenisset, ut meo nomine Supplementum auferret reliqua pecunia repraesentata; respondit ille, nomen meum in subscriptorum albo esse deletum, quasi Supplementum illud alius abstulerit: idque apparere ante octodecim menses factum. Hae literae animum meum altius penetrarunt. Quid? Egregiumne id opus mihi interceptum iri veteratoria fraude? Apage. Movebo omnes terras, omnia maria. Debebat nimirum bibliopola id in primis cavere, cui libros tradidisset, cujusnam jussu, qua fide? Nam cuivis petenti illud porrigere id mihi haud procul videtur a stultitia. Mihine Librarii oscitantia (nam dolum vix suspicer) fraudem inducet? Quo jure? Nam si in ea Librorum traditione vitium irrepsit, id mihi impune esse debet. Nimirum sibi consuluisset bibliopola. Mihi hercle certum est, a proposito Sup-

plementi reciperandi, nec latum unguem discedere. Bellam scilicet fidem! Subscriptorum spes per ambages (ne dicam fallacias) deludere. Spero nihilominus te rem omnem extricaturum. Nam schedulam penes me habeo, quam tu Giffardo misisti, scriptam αὐτοχειρί. Etsi ille in alia omnia. Tamen, spes omnes meas, omnes copias, in te uno repositas habeo. Fac uti sentiam, quantum habeat ponderis commendatio tua. In id unum diligenter incumbe, si me salvum cupis, & vale. Alona, IV. Eid. Junias, An. MDCCXXVI.

XXIX. MARTINUS MONFALCONIO suo S. D.

Lutetiam.

AEstuabam ego clarissimi tui Supplementi desiderio, & in omnem cogitationem animum versabam: ut si qua illud reciperandi spes illucesceret; aut, si minus, responsum saltem abs te extorquendi. Scripseram enim haud semel. Tu autem taciturnior rana Seriphia. In hac rerum difficultate versabar; cum ecce, casu mihi nunciatum est, jam pridem apud Petrum Martellum, qui in hac Urbe mercaturam facit, quosdam esse Libros Lutetia transmissos. Nescire autem illum cum cui rite tradat. Propterea quod nec literae id prodant, nec Inscriptio aliqua. Pupugere me altius ea verba. Itaque ad Martellum confestim. Convenio hominem, contor. Ait se eos Libros accepisse sine adpicto alicujus nomine, ac prorsus ἀδεσπότως. Atque apud se esse octo jam fere menses. Quaesivi deinceps, num saltem id sciret, cujusnam opera, cujus impensa, extorti fuissent a bibliopola. Nam ille quidem vehementius renuebat. Respondit, se id quoque pariter nescire. In summa, omnia obscura atque perplexa. Tamen etiam, tradidit mihi ea volumina bona fide elegantissime compacta. Duo nimirum exemplaria, alterum Bulisonianum, nostrum alterum. Haereo itaque animo ancipiti, mi Monfalconi. Nec tamen dubito quin id omne opera tua sit extricatum. Socordiam igitur istam excute, & scribe enucleatius.

Rumor est Bulisonem nostrum uxorem extulisse, cum illa paucis ante diebus auspicatissimo partu puellam peperisset. Si verum id est, haud dubito quin jaceat vir optimus, & lectissimae conjugis amantissimus, in maximo moerore ac luctu. Nolo tibi diutius obstrepere, gravissimis occupationibus ac studiis circumvento. Chrysostomum abs te missum continenter volvo. Vale, & nos redama. Alona, Kal. Februariis, An. MDCCXXVII.

E M-



EMMANUELIS MARTINI, ECCLESIAE ALONENSIS DECANI, EPISTOLARUM LIBER IX.



I. MARTINUS BULIPHONI *suo* S. D.

Alonam.

POstridie Non. Majas circa conticinium, vel (ut cum Varrone loquar) circa noctis meridiem, e portu solvimus tranquillo immotoque mari. Sed paullo post Eurus coepit nos vexare: quicum viribus aucto, per biduum conflictati sumus, verberatis incassum undis. Ut jam nos adversae navigationis taederet. Marico noster nausea confectus, omnia fastidire praeter somnum. Me contra, cibi cupidissimum insomnia conficiebat. Itaque noctu surgere, nauticam pyxidem scrutari, rimari ventos. Nam nauseam, quam vocant, marisque jactationem, equidem nugas meras semper duxi. Obtigerat mihi in puppi cubiculum sane quam opportunum, quod clavi obserabatur. Itaque reculae nostrae pulchre adservabantur. Navis Praefectus omnium, quos novi, vel fando audivi, vigilantissimus. Dum in portu erat, dies noctesque potando traducebat. Inter navigandum vero omnium mortalium abstinentissimus. Clavo ac pyxidi affixus insomnis pernoctabat. Nec interdiu eam laxabat curam

curam. Sed animo femper excubans; fi tantillum fomno corripiebatur, ad fingulos navis concuffus, vel mali crepitus, vel infolitos ventorum undarumque fremitus, in cubitum erectus, arrectifque auribus, non prius illum repetebat, quam earum rerum cauffas altius perpendiffet. Adeo ut miraculi inftar nobis videretur homo, qui non tam fomni aliquid caperet, quam delibaret: quemadmodum canis Nilum, ut vetus eft verbum. Quin ita opus facto oportebat. Nam gubernator Liberi patris poculis largiter indulgens, vino faucius, perpetem crapulam decoquebat. Itaque gubernatoris munus ad navarchum devolvebatur. Unum erat nobis vectoribus perquam moleftum. menfa. Quae fordida profecto atque illiberalis. Ut mihi viderer inter Scythas potius, quam inter Anglos verfari. Ergo tetro ciborum adfpectu & illuvie ad id inediae redigebar, ut buccellatum tantum vino intinctum reficiendis viribus adhiberem, vel Indicam potionem. Donec ineptiffimo illo coquo Anglo in malam crucem amandato, rei patinariae Ligurem quendam praefecimus, qui in famulatu erat Mariconis noftri. Cujus tanta erat artis popinariae peritia, ut navarchus ipfe vel unctas patinas avidiffime liguriret. VI. Eidus circiter primam vigiliam ventus ad Vulturnum receffit. Itaque ad Caeciam prora directa, aliquanto commodius navigavimus. V. Eidus Ebufum praetervecti fumus, ea infula ad dextram relicta. IV. Eidus denfiffima nebula nos obtexit, ufque ad horam quartam: quo tempore pelagus, nuper cinaedo malacius, crifpari coepit Africo ingruente, ac diffipata caligine. Itaque Balearibus pone relictis, ante folis occafum Barcinonem praeternavigavimus, fenefcente jam vento. Poftera illucefcente caligo iterum nobis diem abftulit. Sed hora quarta aufter auxilio nobis adfuit, quo protrudente finum Narbonenfem ingreffi fumus, Hifpania multum valere juffa. Eidibus circa diluculum ante portum Maffilienfem conftitimus, inter fcopulos, qui complexu fuo ftationem quandam efficiunt vifu me-hercule jocundiffimam, navibufque tutiffimam. Ibi Marico nofter navi exfcendit, ac lembo portum petiit. Ita enim tranfacta res fuerat cum navis praefecto. Contemplabar equidem interea Urbem illam Phocenfibus conditoribus claram, qui patria relicta, ut ne fervirent, immenfis erroribus acti, in eas rupes fe receperunt, eamque condidere coloniam, quae per multa faecula maris hujus interni tantum non tenuit imperium. Obverfabantur animo cum Milonis exfilium, tum manes Lucii Caefaris Augufti filii. Hora fere fexta, relicto Maffilienfium portu, licet infeftiffimo Euro pervicacius reflante, connifi tamen fumus navim in altum pervehere, mirantibus Maffilienfibus Anglorum audaciam. Affuit tamen aufis fortuna. Nam adolefcente nocte, cum Eurus defeciffet, praefto fuit Caurus: quo impellente promontorium Maffilienfe feliciter fleximus. Ea die feralis bubo in navis acroftolio, five fumma puppi, confedit. Cumque illi nauta quidam manum injeciffet, fe capi paffus eft. Oppallui ad confpectum avis triftiffimae, aufpiciumque averfatus, propriis mani-

nibus illam confodi, adjecta illa exsecrandi formula: TUO CAPITI. Neque enim nescis quam semper fuerit ex disciplina augurali haec avis, vere inebra, inter inauspicata & obscoena. XVI. Kal. Junias in mari Ligustico diem contrivimus, inertissima tranquillitate detenti, velisque fluitantibus. Postera dies atra, & moerore plena. Incubuit enim vehementius Aquilo, quo acrius urgente, & in immensum tumente mari; foedissima tempestate correpti fuimus. Plena omnia tumultu & exsangui pavore. Velum decumanum medium discissum, utrimque linteis volitantibus. Circa solis autem occasum cum ventus posuisset, periculo quidem exempti sumus. Restabat tamen molestissima certaminis pars jactatio nempe a tumore fluctuum & inertia maris: quae nos perpetem illam noctem, & sequentem diem saevissime exercuit; ut nec stare, nec jacere daretur, prae maris jactatione. O bubonem, bubonem! Novi ego certe diritatem tuam, & malam scaevam. Sed litavi Tempestatibus tuo sanguine. quod unum erat in angore solatium. Ea nocte ante portum Genuensem stetimus. quem sequenti die ingressi sumus, saevissimo Euro impellente. Credin, mi Bulipho, me jam undarum securum appendisse tabellam? Minime gentium. Nam cum portus ille Euri flatibus maxime pateat, eoque naufragiis infamis; gubernator autem hesterna crapula adhuc madidus importuno loco ancoram jecisset, in ipso nimirum portus ostio; ea fluctuum saevitia laborare coepimus, ut trium ancorarum funes abrupti fuerint; sola nos sustinente sacra ancora; in qua una salutis spes. Nec nobis auxilio esse poterant reliquae naves quae in ancoris stabant; propterea quod nondum nomina professi fuissemus. Immo cum funem ad terram alligare vellent nostri, praesto fuit nescio quis huic rei praefectus, qui Tribunicio veluti imperio intercessit, prolato illo verbo: VETO. Sed inter has angustias divinum auxilium nobis affulsit. Repente enim atra nubes ac terribilis, quae Urbi ac capiti nostro imminebat, eo impetu reflare coepit, ut Euri vim fregerit, nosque in tuto locaverit. Cui certe acceptum referimus quod incolumes terram tetigimus. Quam tandem deosculatus sum circa horam nonam, fame confectus & madore. Nam in ea navis colluctatione puppis fenestrae, crebro undarum affultu fractis repagulis, discussisque valvis patuerunt; admissoque pelago pene summersus sum. Ergo undecima die quam Alona solutum est, Genuam appuli; incolumis quidem, &, quod ad vires corporis attinet,

Bis tanto nunc valeo, quam valui prius.

Ut aliquid tibi obtrudam ex deliciis tuis Plauto. Tametsi per hos undecim dies pedem domo non extuli, & (quod mirere forsan) toto navigationis tempore aquam non gustavi: cum sim mortalium omnium φιλυδρώτατος. Habeo praeterea quod rideas. Fuisse nempe apud nos nautam quendam picatissimum, qui Latine Graeceque sciret. cujus est inte ius sche-

schediasma. Salutem a me dices Paravicinis fratribus; sed praesertim Ignatio nostro, quem efflictim demorior. Praeterea Salafrancae, Rovirae, Scorciae, Paschasio. Musico dramati in theatro non semel interfui. Ac mihi profecto visus sum in alium terrarum orbem esse delatus. Vale. Genuae, XIII. Kal. Junias, MDCCXVII.

II. BULIPHO MARTINO SUO

S. D.

Binas a te accepi literas: unas quas Genuae XIII. Kal. Jun. dedisti, alteras quas Romae III. Nonas. Ad has primum respondebo, ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς, ut olim noster Tullius. O felix ac faustum mihi nuntium, o diem laetam atque auspicatissimam, cum tua mihi epistola reddita est, ac perbrevi illa quidem tempore Roma allata, vicesimo scilicet die postquam eam dedisti! Convenerant forte fortuna ea die apud me quam plures e nostris familiaribus, quos nosti, ut me viserent podagra laborantem, cum illam mittit ad me magister scripturae portorii: tum sedulo fasciculum solvere, literas tuas, quibus dederas, reddendas mandare, quas mihi, omnes perlegere, ac singillatim cuncta expendere, rimari sensus, atque uno ore concelebrare te salvum atque incolumem vicesimo nono die, quam hinc solvisti, Romam pervenisse. Quid quaeris? summa certe laetitia atque ingenti gaudio perfusi sumus, quin etiam dicam voluptate, quod tam prospere tamque feliciter navigaveris, atque ea celeritate tantum itineris confecisses. Sed quid ego nunc ad te pluribus verbis? Quid interea loci Ignatius noster lepidissimus? nosti profecto hominem. ab ea hora qua navem conscendisti nihil nisi de te loqui, cogitare, somniari. Quotidie summo mane melacum suum rogitabat quis ventus flaret. Ad satietatem usque, immo ad fastidium & nauseam, de te cum omni omnium hominum genere disserebat. Quid nunc Decanus? quo vento, qua navigatione, ubinam gentium? Massiliaene, an Genuae, numne Liburni? Quid illic quaeso, quid Florentiae cum Rinuccino, quid Senis cum Zondadario? Quandonam Romam? Literas vero tuas, si quando arripere poterat, nunquam e manibus dimittebat: per saepe etiam Latine conscriptas legere. At Deus bone! quo interno animi sensu, quo lepore! Quid plura? Mihi crede bellus homo est, immo omnium, quos unquam vidi, vel fando audivi, bellissimus. Vellem illum tecum abduxisses. Sed redeo ad propositum. Bene nosti, mi Martine, arctissimam meam erga te voluntatis atque amoris conjunctionem, quam mutuis officiis, communibusque studiis, ac quotidiano hic olim & familiarissimo vitae usu conglutinatam; perpetuo ac suavissimo nexu tibi addictam, ac longe

& per

& per aetatem fartam tectamque praestabo. Hinc intelligere potes, quam mihi gratum fuerit te jam celeriter, ac tam firma, uti inquis, valetudine, ex hoc remotissimo terrarum recessu in istud Christiani orbis emporium esse delatum. Pergratum etiam illud accidit, Caesarem fratrem mihi charissimum ad primum tui adventum tibi isthic aliquantillum in domo, supellectile, veste, ac familia comparanda, commodi attulisse: quo, si me amas, uteris posthac familiariter; cognovisti enim illum, ut spero, juvenem frugi, & non malae indolis, ac praeterea literarum & humaniorum studiorum, quibus tantopere delectaris, unice cupidum: atque illi tuam consuetudinem ad uberiorem earum rerum cognitionem plurimo usui futuram vides. Venio nunc ad primam epistolam. Fuit ea profecto mihi, atque amicis omnibus, jocundissima: quandoquidem illam accepimus ad VII. Kal. Julias; ad illum vero usque diem ne verbum quidem de te, nisi Mariconem itineris tui comitem Massiliae nescio quem vidisse, qui illinc advenerat: adeo ut jam nos tam diuturni silentii taederet, ac tibi aliquando subirasceremur, quod minus diligens in scribendo fuisses. Sed quaeso, quandonam hanc epistolam Genuae dedisti? Puto enim te errore, atque properatione quadam lapsum XIII. Kal. Jun. adscripsisse. Quidni autem? cum vix pridie ejus diei, confectus, uti inquis, fame ac madore, terram attigisses, atque ipse literarum tuarum sensus declaret te, cum scribebas, undecim jam dies Genuae pedem e domo nunquam egressum esse, tametsi & illud addas, te non semel musico dramati in theatro affuisse. Ego quidem hac re permotus illud X. in tua epistola inducendum censueram, ut crederem illam te III. Kal. exaravisse. Neque id quidem facere religione quadam tactus ausus sum: nimis enim Basilicum, ac ferme Alexandreum est, quod solvere non possis, scindere. Sed tamen etiam nunc haereo, neque adhuc reperio quomodo rationem itineris tui expediam. Si enim, ut scribis, XIV. Kal. Jun. Genuam tenuisti, atque inde, post undecim dierum stationem, Liburnum sex diebus: postmodum vero Senis cum Zondadario Vir. Clar. duos dies, atque alios sex, ut Liburno Romam peteres, justis itineribus absumsisti: obsecro, qui fieri potuit ut Romam III. Non. ingredereris? Qua propter rogo te ut solvas mihi hunc nodum, quem ego fortasse nimis accuratulus in scirpo quaesivi: sed tamen explica mihi hoc Sphingis αἴνιγμα, ego enim, ut scis, *Davus sum, non Oedipus.* Liguri illi, qui in Mariconis famulatu erat, Di bene faciant, qui te, caeterosque vectores (liguritores & catillones, ut video, egregios) ab navarchi mensae sordibus atque immunditia vindicavit, quibus in angustiis illud porro tibi praesto fuit a Jul. Scaligero tuo solatium, cum illud ejus viri de Anglis effatum tibi occursaret. Sed heus tu! postea quam Marico cum Ligure suo rei culinariae praefecto Massiliam divertit, quid tute tibi adversus coci Angli inertissimam imperitiam opis atque auxilii comparasti? rursus, ni fallor, panem vino intinctum, atque Indicam po-

potionem, ita ut non mirer, quod famem Genuam usque tecum extulisses. Adversa etiam tempestate te inter has aerumnas vexatum fuisse video, studiosissimum natandi hominem, qui nautica pyxide inspicienda, ac ventis investigandis secundas a vigilantissimo navis praefecto tibi partes sumebas: quanquam nunquam mihi visus es sapientior, quam cum tibi sapere coepisti, atque ut saluti tuae caveres buboninam scaevam execratus, ignavissimam illam ac feralem avem cultro a nauta arrepto tuis manibus confodisti. At enim vero dic mihi, obsecro, quando Tempestatibus illius sanguine tam rite recteque litaveras, atque immane prodigium omni adhibito augurali ritu, tanquam e Sibyllinis libris, aut e Collegii responso procuratum fuerat, cur non procellosum illum Aquilonem a tuo capite ad extremos Batavos adegisti? aut cur solemni aliqua alia formula expiscata ex aruspicinis Etruscorum, vel ex auguralibus illis libris, quos Appius quondam Pulcher ad Ciceronem nostrum, veli decumani perniciem non avertisti? Nondum, inquies, satis placata erat ira Tempestatum. Utendum ergo hostiis majoribus, quae tibi, credo, in mundo erant ab navarchi illiberalitate. Rides, inquis, ac in re tam seria mihi ludos facis? Quippini facerem? hoc enim e disciplina etiam illa tua augurali, quando quidem & olim ita eveniebat, teste eodem Tullio, *cum aruspex aruspicem videret*. Riderem etiam & prodigium illud, quod narras, adhuc Bubone majus, nautam nempe illum picatissimum, qui Latine ac Graece sciret, ac quicum ridiculos certe inter navigandum crebrosque sermones seruisti. Sed mihi crede, mi Emmanuel, animus ab hilaritate remotissimus laetitiam omnem atque risum exhorret, postea quam mihi Mantua Carpetanorum nunciatum est, Saturninum Langladium nostrum gravi morbo correptum, quem abscessum internum, puto, vocant, diem suum obiisse. Nosti clarissimi illius viri doctrinam sapientiamque, humaniorum literarum eruditionem minime vulgarem, ac praecipuam in rerum causis perscrutandis, ac in sua medendi arte (ob quam Hispaniarum Ἀρχίατρος jam demum renunciatus fuerat) peritiam & dexteritatem: nosti summum animi ejus candorem, atque egregiam indolem ingenuitatemque, qua in re nulli erat secundus: ac nosti demum ingens, sive potius vehemens illius praeclari philosophi in amicos suos studium, ac probe scis quanti illum a plurimis tempestatibus (a prima, inquam, adolescentia) semper fecerim, ac quibus ille nos vicissim studiis, quibusque officiis excolebat. Neque me fugit quanta tibi etiam cum illo familiaritas atque amicitia intercesserit. Lugeamus igitur luctuosissimam tanti viri jacturam. heu miseri! quibus omnia prona & caduca. eheu! quibus immatura mors optimum amicum eripuit, cujus ego memoriam servabo sempiternam, idemque te ac Gravinam nostrum facturos certo scio. Tandem jam mihi videor ad unam atque alteram epistolam cumulate rescripsisse, itaque

Uno

Uno in saltu lepide apros captavi duos.

ut tibi totidem verbis, ni fallor, e Plauto tuo aliquid reponam. Ajalae tuo (sive potius nostro) Latinae epistolae exemplum misi, ut tibi morem gererem. Quos hic salvere jussisti, Salafranca, Rovira, Scorcia, Vinc. Paschasius, ac Paravicini fratres, plurimam tibi salutem. Tu, si me amas (amas profecto plurimum) sique te a me diligi vis, saepius scribes, ac quid isthic agas, quid cogites, quid moliaris cum J. Vinc. Gravina viro eruditissimo, ac Musarum & elegantiarum parente meritissimo, ac praesertim quid in re literaria, ac de tuis immortalibus scriptis typis committendis, constituas, facies me certiorem. Vale, & Gravina nostro utere fruere uti lubet, quando tibi istam fortunam Dii dedere: sed & illum memineris mea quidem causa arctissime identidem amplexarier. Dabam Alonae, V. Eid. Julias, An. MDCCXVII.



III. EMMANUEL MARTINUS PHILIPPO BULIPHONI *suo* S. D.

Alonam.

CRuciabar desiderio tuarum literarum, nec sine expostulatione aliqua vel inertiae vel oblivionis tuae, cum ecce tibi epistolarum fasciculus a tabellario Genuensi, in quo erat & Collegii nostri, & Canisiae, & Mignanae: praeterea venustissima illa tua v. Eid. Quinctileis ad me data. Qua avidissime perlecta, quasi illiquefacta quadam voluptate perfusus sum. Illud mihi fuit peracerbum permolestumque, podagrae doloribus te correptum. Quo ego morbo cum isthic haud leviter laborarem, postquam Urbem attigi, ita ab eo liberatus sum, ut validissimis pedibus ingrediar, motu & exercitatione corporis (ut arbitror) profligato tam infesto hoste. Immo & teterrima illa nephritide. Neutrum enim expertus sum. Neque idcirco me fortunatum praedicare ausim. Desunt enim mihi Paravicini nostri lepidissima colloquia, festivae congressiones, animorum illa remissio facetiarum plena, ingenuique joci: quorum recordatio felicitatis meae cumulum deruit. Quando vero amicissimi atque optimi viri adspectu frui non datur, ejus adversus me officia colam memoria sempiterna. Ut ego tam carum mihi caput olim revisam, measque delicias amplectar! Interea fruere tu sine rivali homine mortalium omnium festivissimo; si tibi laterum pulmonumque vires suppetunt sustinendis cachinnis.

Video in quas tricas te conjecerit dies adſcripta literis noſtris Genuenſibus. E quibus facillime te expediam. A. D. XIV. Kal. Junias Genuam tenui, hora fere nona. Ea nocte theatrales ludos ſpectatum ivi. Poſtera, quae fuit XIII. Kal. literas ſcripſi, neque tamen ad finem perduxi, avulſus theatri deſiderio. Domum reverſus epiſtolam abſolvi, dedi, obſignavi, nocte concubia. Undecim autem illos dies, per quos pedem domo non extuleram, navigationis tempus intelligo; ut ipſe literarum tenor demonſtrat. Extricavi te de adſcripto die. nunc ad coquum Ligurem. Quem ſcire te oportet, in Mariconis famulatu minime fuiſſe; ſed in ejus ſeſe fidem & clientelam commendaſſe, quo ab eo nauli pretium exſculperet. Itaque Genuam uſque belle nos pavit. Sed quid ais? Langladius noſter ad plures? Vere igitur ac ſapienter dixit Sophocles;

Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.

Quando quidem nacti ſumus conditionem tam fluxam atque umbratilem. Amiſimus communem amicum, quo nullus erat utrique noſtrum antiquior, fidiſſimum, ac famae fortunarumque noſtrarum apprime ſtudioſum: immo qui in nobis ornandis omnes amoris ac benivolentiae vires exhauſit. Id eſt, vere amicum. Doleamus igitur mutuo dolorem noſtrum, mi Bulipho, & quando tam eximio viro frui non licuit ſuperſtite, colamus exſtinctum. Gravinae noſtro acerbiſſimum etiam ex tanti viri jactura vulnus inflictum. Qui te ſalvum cupit atque hilarem, & in iſthac Provincia, quam ſuſcepiſti, bene fortunatum beneque nummatum. Eoque te jubet valetudini conſulere, reique familiari. exemplo ſui. Qui adeo pollet pecunia, ut vel ipſum Craſſum provocare poſſit divitiis. Nam ea eſt hominis ſolertia, ut una & philoſophiae ſtudeat & loculis. Eaque opum fama reique nummariae, ut vel centum Sectanos in rutae folium conjiceret, nec pluris faceret quam fungum putidum. Convenimus fere quotidie in Corvini Bibliothecam. Unaque congerrones alii. Garritur, deblateratur, diſſeritur. Sic vita truditur. De exemplo literarum noſtrarum ad Aialam miſſo multum te amo. Amabo te, harum etiam. Per mihi, per illi gratum facies. Exſolvi ad epiſtolam tuam. Nunc ad ea quae ad rationes noſtras maxime pertinent. Ea ſunt, ut de Vicarii noſtri adventu mihi perſcribas enucleate. Num quid ſpeculae reliquum ſit, an ea funditus decolaverit? Quorſum rationes ejus fluant, quorſum fratris? Hic enim eorum quae in ſe recepit nihil patravit. Immo nec ad binas ad eum miſſas reſponſum abſtuli. Itaque excute ejus ignaviam torporemque. Vides quo ſtatu res noſtrae ſint. ſpem omnem, mentem, cogitationem, in amore, ſtudio, benivolentia tua fixi ac locavi. De Euſtathio noſtro edendo bibliopolas ac typographos Oxonienſes conſuluit quidam Anglus. Exſpectamus reſponſum. De epiſtolis tentabo Pariſienſes, Monſalconio proxeneta. Nam hic typographi languent. Sed heus tu, pungit me de ſubſcriptione

tione Parisiensi! Ecquid confecta res est, an non? Nam M.... opera valde infirma mihi semper visa est; etsi tu in alia omnia. Novi mercatorum mores. rem suam curant. pecuniam sine foenore occupare nefas ducunt. Infida natio, & artificio simulandi ad omnem fraudem fallaciamque erudita subtilius.

Fratrem tuum unice diligo, meque ab se mutuo amari sentio. Quod mihi sane perjocundum. Est enim juvenis singulari humanitate ac modestia; prudens, gravis, cordatus, egregia virtute, ac suavissimis moribus. Denique (pace tua dixero) Buliphoniae familiae flos atque ornamentum. Peccas autem, mi Bulipho, iterum peccas, si existimas illum conchas legere, aut fluctus numerare. Quem ille non movit lapidem fortunarum ac dignitatis suae augendae? Omnia tamen incassum, obsistente innumerabili competitorum multitudine. Excubat ille tamen etiam animo, ac familiae sibi creditae facultatibus commodisque mirifice consulit. Nec usquam cessat in versando saxo: incredibili quadam constantia. Etsi non tam ea cura illum nunc exercet, quam studium caussae regiae promovendae. Amplissimus enim Cardinalis Aquaviva, regius Legatus, ejus fide, prudentia, industria, perspectis, videtur quaedam illi publica negotia credidisse, nec sane levia, nec extricatu facilia, nec periculi expertia. Ad quae nae ille toto animi nisu incumbit. Nosti acre ejus ingenium, audacem solertiam, & eximiam in Regem fidem. Margarita in puerorum educatione egregiam operam navat. Nihil ejus disciplina atque institutione liberalius, nihil severius. Quo se cumque pueri vertant, illis imminet, verbis castigat, hortatur exemplis; praesertim tui. In re autem familiari ac domestica administranda quam solers atque industria! Uno verbo: quae sola novit parsimoniam cum elegantia conjungere. Pueri porro ipsi summa spe, magnaque indole, eximia in dies praebent incrementa in utraque lingua, praeceptis atque institutione Caransii, cujus tu doctrinam, eruditionem, sapientiam, dudum habes perspectas. Qui per hos dies explicationem enodationemque aggressus est globi terrestris ex Cluveriana Eisagoge; quo puerorum mentes ad Geographiae studium illiciat. Si modo pueri dicendi sunt, qui cubitis (ut dicitur) adolescunt. Fratris tui filia Caeciliola nullam vidi venustiorem puellam. Loquitur ea Gallice, scribit Latine, eleganter saltat, acum tractat scitissime. Quaeris de forma? venustissima. cum nativo quodam lepore ac verecundia. Digna profecto quae abs te ametur impensius.

Amici Tragoediae insigniter jacent. Nemo illas emerit cassa glande. Cothurnum in iis quaerunt nec inveniunt. Inventionem itidem & vim tragicam. Offendunt etiam inculcata crebrius Latina vocabula, a communi loquendi consuetudine, populique auribus remota, cujus mores oblectando emendare Tragoediae finis est atque institutum. Oderunt praeterea hominem natura acerbum, & obliquos aculeos. Quid si Prologos legis-

legiſſent, quos manu exaratos mihi dedit? Itaque incredibili laborat invidia. Neapolitanorum judicium de ejus Tragoediis pandet tibi ſatyra, cujus exemplar mitto. Idem eſt Romanorum, idem Thuſcorum. Mirabilis eruditorum conſenſus in hoc opere contemnendo. Vereor ne idem accidat in *Amulio*, quam nunc Latine ſcribit. Tu interim ride patrios ſales & venuſtatem una cum Caravita tuo; & opera noſtra utere. Quod niſi crebro facis, accuſabo te injuriarum, & imminutae amicitiae. Vale. Pridie Nonas Sept. An. MDCCXVII. Roma.



IV. PHILIPPUS BULIPHO

S. D.

EMMANUELI MARTINO *ſuo*.

EGo enim vero exiſtimo te muſici dramatis potius deſiderio, quam fame ac madore confectum Genuam perveniſſe: quippe qui cum ad me literas dares poſtridie quam Urbem illam attigiſti, cumque vix eam integrum ſane diem incoluiſſes, tamen jam non ſemel theatrales ludos ſpectaveras. id quod cum animo praecipere non poſſem, ea fuit praecipua nodi cauſa in expedienda die quam adſcripſeras, ac quam ob rem undecim illos dies, quibus te pedem e domo non extuliſſe ajebas, de navigationis tempore minime intelligerem; quod porro nunc bene declarant literae tuae, quas pridie Non. Sept. dediſti, quaſque hic accepi A. D. VII. Kal. Nov. Fuerunt eae mihi profecto jocundiſſimae, videbar enim pene intueri os iſtud tuum gravitatis, amicitiae, ac fidei monumentum, ac te ſuaviſſime, ut olim, alloquentem exaudire. Quin etiam accerſivi ad ingentis hujus gaudii ſocietatem Paravicinum tuum, qui tanta perfuſus eſt voluptate, ut illas vidit, tenuit, atque exoſculatus eſt, ut ſummopere a me contenderet, licet incaſſum, ut illas unum ſaltem aut alterum diem habere liceret. Sed certe quidem immortaliter gaudeo, quod tam bona valetudine iſthic perfruaris, podagra ac ſaeviſſima illa nephritide ad Acheruntem adacta, quod magnum ſane commodum recte tribuis motui, atque exercitationi corporis, qua nihil utilius. Cujus rei agendae, quia occaſionem non magnam praebet haec tam puſilla Urbs, quam, ut ſcis, momento temporis totam perluſtraveris, quod hic olim inſtitueramus, frequentiſſime exſequimur, veſpertinam, inquam, in agris deambulationem; qua rheda pone relicta, pedes probe exercemus. licet non ſemper comitem aliquem ad eam rem nacti, nam Paravicini vires ad id laboris minime ſuppetunt, ac plerumque accidit, ut dum nos deambulationi operam damus, ille ſedens cum puero aut auriga confabuletur, quod ſcis illi non

esse permolestum: nam deambulationem non amat, nisi qua sublime feratur. At enim vero licet hujusmodi exercitationem nunquam fere dimittamus, tamen non ita firma utimur valetudine: quippe & podagra nos aliquando lacessit, & etiam infestissima illa nephritis; quanquam haec, postquam hinc discessisti, non adeo acerbe nos vexat: utimur enim nonnunquam specie quadam terebinthinae (quod balsamum coppairae vocant) cujus auxilio absque magnis cruciatibus jam bis nonnullos scrupulos non infimae magnitudinis emisimus, ac multam praeterea sabulonis illuviem. Quod si immunda haec sordes in majorem molem coaluerit, nae illa acerbissimis doloribus me olim excruciaret! Quod omen Deus avertat: horret enim animus tam ingentis mali recordatione. Coquum illum Ligurem Dii bene ament, commodissimum quidem hominem, qui vos ab navarchi sordibus vindicavit. De Langladio tibi multum doluisse video; ego equidem excrucior, at enim sit tandem aliquando aliquis lugendi finis: quando quidem & ille fruitur meliore vita, ut viri castissimi & integerrimi mores nos sperare jubent: & nos tam chari capitis, atque utriusque nostrum studiosissimi, memoriam recolemus nunquam intermorituram. Epistolae tuae exemplum ad Ajalam misimus, quo tibi morem gereremus; immo & Minianae, quam ad illum dederas; si quid rescribent, tibi primo quoque tempore perferendum curabo. De Eustathio bene est; de epistolis vero, aliisque opusculis edendis, si me amas, confice. facile poteris per Parisienses, nam novi istorum typographorum inertiam atque socordiam. Corvini Bibliothecae equidem invideo, in qua cum Gravina nostro, atque aliis literatis viris, quotidie garritur. Deus bone! quam multa isthic φιλολογωτέρα, quot joci, qui lepores! quam ego vellem in vestram istam sodalitatem! Sed absum longe gentium:

——— πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείης ἁλός.

Nos interim nostram hanc provincialem publicarum exactionum administrationem, ac caussarum fiscalium jurisdictionem, aequo animo gerimus: qua, si nihil aliud, hoc certe assequimur, ut vita absque magnis incommodis protrahatur. Nam loculis farciendis, quod Gravinae verbis me admones, non te latet eam minime esse idoneam: itaque dum illius plaudo divitiis, ac magnifico domus mensaeque apparatui (qui tibi, & Caesari fratri, poculis ac patinis argenteis, ac multa munditia elegantiaque Indicam potionem propinavit) contentus hac nostra frugalitate & parsimonia, ipse mihi illud e Plauto tuo usurpo,

Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.

Itaque interea loci, cum jure dicundo, caeterisque rebus fiscalibus expediendis, tum hoc pusillo nostro ἀμαλθείῳ excolendo, quod in dies plus

plusque diligo, tempus quiete, aut si vis etiam, hilare truditur, quousque sors aut casus aliquis, vel hinc nos extrudat, vel res nostras familiares, ac praesertim quae a patriae rationibus pendent, meliore loco constituat. Scis enim me esse φιλοπατριώτατον, atque omnes meas cogitationes eo collimare, ut patria tandem salva & incolumi, ac pristino suo statui restituta, perfrui liceat; quam ab ingruente Germanorum colluvione (ad XII. millia nempe adhuc eo irruere perhibentur) misere discerptam iri video. Sed haec Deus aliquis gubernabit. De re tua familiari cum Martinio egi diligentissime. is mihi te hinc proficiscentem sex mensium viaticum tecum abstulisse ait, ut in totum Octobrem nihil queri potuisses. De caetero autem ad suum fratrem se scripsisse, inquit, ut Lutetiae pecuniam permutet, quam isthic accipias: id quod sperat jam illum effecisse. Caeterum binas illum ad te literas misisse, praeter has quas modo recipies (quandoquidem dixit mihi se scribere velle) ego ipse sum testis, qui eas in mearum fasciculum conjeci) quae ut spero suo tempore tibi redditae fuerunt. De Vicarii tui adventu nihil tibi affirmare ausim. omnia eodem loco sita sunt, quo dudum ante discessum tuum. Nuper de ea re cum illius fratre communicavi, qui mihi iterum atque iterato confirmavit eum brevi affuturum: sed illud addidit, quod identidem hic tibi, causam morae esse, quod nescio quid nummorum Lutetiae curare debet, cujus haud dubiam jacturam fecerit, si ob duorum triumve mensium properationem rem infectam reliquisset. Quid quaeris? quomodo ipse quidem sentio; etsi per oculos juret se cito adventurum, nihilo magis efficiet quin credam eum ad Kalendas Graecas hic affore. In iisdem literis, quas novissime ad te, erat scheda subscriptionis Parisiensis, & Montfalconii epistola perbrevis, quas Marabusius attulit, cuique idem Martinius pecuniam exsolvit. I nunc, & hominis fidem diligentiamque expetas, quam ego semper tibi egregiam spopondi ac praestiti, etsi tu, uti inquis, in alia omnia! Caesarem fratrem meum suavissimum atque optatissimum tibi in oculis esse video, atque aedepol ea de re etiam atque etiam gaudeo; cui ego quidem & quod semper illum enixe amavi, & quod tu ita vis, facile florem illum concedo, quem tu ei tribuis. Nescio autem cur tantopere labores, ut mihi suadeas illum studiose atque omnibus nervis operam navare commodis ac dignitati suae augendae. Sed tamen illum, amabo te, vel currentem incitare non desistas: quippini enim credam, vel cum tanta candidatorum multitudine, aliquando illum etiam emersurum, ac potissimum istis auxiliis & radicibus, atque etiam post tam diuturnam prehensationem? Buliphones pueros, ac Caeciliolam puellam bellissimam nova in dies ostendere incrementa virtutis summopere laetor: quippe qui illos incredibili quodam amore semper amplexatus sum: eorumque matrem valde diligo, quod tanta solertia, studio, ac diligentia eorum liberalem ac civiliorem educationem accuret. Atque eo nomine etiam Caransio gratias ago, cui velim dicas

dicas me tibi aliquid de hac re scripsisse. Sed heus tu! quid affers de amici nostri Tragoediis? Eas me hercule legi attente, neque dignas judico, quae tantopere contemnantur. Certe quidem eos versus Italicos, qui in dactylum desinunt, nunquam probavi, quod multum abhorreant a familiari loquendi consuetudine; sed illis non adeo usque utitur, ut eo nomine sit valde reprehendendus. Ac praeterea illius stylus non ita tenuis est atque humilis, ut non regulis & principibus viris apprime conveniat. Quos nusquam vidi, aut fando audivi, ita necesse esse inflatis buccis loqui altitonantia verba, seu potius fulmina verborum, ut qui iis modeste abstinuerit, naturam potius imitatus, ac suetam loquendi formam (prout in colloquiis familiaribus usu venit inter viros quantumvis dignitate atque opibus & imperio pollentes) is veram, ac genuinam Tragoediam minime scripsisse videatur. Sit quidem ea elocutio aperta, non humilis, non inops, dignos ac proprios cuique personae mores exprimat: sit praeterea suis locis probe exculta & exornata sententiis (quibus tantopere isthae Tragoediae abundant) satis aptam eam judicabo sublimiori cothurno. Et profecto, meo quidem judicio, aliquid discriminis adesse oportet inter extemporaneam optimatum orationem, & illam quae longo studio cura ac labore in foro, aut in rostris, vel in Senatu ab oratoribus exhibetur. Neque tamen iccirco illos damno, qui eas scripserunt elatiori stylo, dummodo a naturalis sermonis lege, atque a recta ipsius naturae imitatione non adeo longe aberrent; sed illud confirmo, amicum nostrum non esse hoc capite summopere redarguendum. Nec me magnopere movet satyra illa Neapolitana lingua, quam ad me misisti. Legi profecto eam summa cum voluptate ob vernaculos nostri sermonis sales leporesque, quos jamdiu pene oblitus eram. Sed novi illius, qui eam scripsit, aculeos: novi ingenium: ac proinde haud miror, quod tam bonam occasionem nactus hominis irridendi, illam praeclare arripuerit, nam bene olim Juvenalis,

Est facilis cuivis rigidi censura cachinni.

Sed rideat ille licet suo more, nos tamen nostrum secuti illas Tragoedias non parvi facimus; etsi illud sane displicet, quod illarum scriptor tantopere se venditaverit Graecae Tragoediae instauratorem: cujus rei immoderata jactantia stomachum cuique,

Vel captatori moveat fastidia Cosso.

Nae ille, meo quidem judicio, meliuscule operam suam posuerit, si theatro atque illius nugis vale dicens, orationes Latinas denuo scripserit, in quibus ipse quidem mihi videtur semper Deus; ita ut eas omnium hominum manibus versari vellem: tanta est illius egregii operis utilitas in communibus erroribus refellendis, ac imbuendis demonstrandisque principiis ac luminibus scientiarum, & universae sophiae. Sed quid ego haec ad te?

γλαῦκα profecto εἰς Ἀθήνας. Jam denique videor ad singula literarum tuarum capita rescripsisse. Et quamvis cupiebam adhuc tecum plura garrire, nihil hercule in mentem veniebat quod scriberem. Quam ob rem valebis, ac me diliges; quod ni faxis, eris certe omnium hominum ingratissimus, ac durior caute Marpesia. Data Alonae, pridie Kal. Nov. An. MDCCXVII.



V. EMMANUEL MARTINUS PHILIPPO BULIPHONI,

Amico suavissimo ac singulari,

S. D.

Alonam.

EGo vero, mi Bulipho, minus saepe ad te scribo, propterea quod fratrem tuum crebrius sciscitando, non tantum ut agas, quidve agas, sed pene quid cogites, compertum habeo atque exploratum. Cum autem intelligam teneri te jam dudum desiderio mearum literarum; visum est earum aliquid exarare, cum ut officii sanctitati, tum ut amori erga te nostro diligentissime satisfaciam. Studiorum igitur nostrorum vitaeque rationem per hos proximos menses, paucis exponam. Aprilem impendi Augustorum nummis in seriem digerendis, scrinio ad id prius elegantissime exasciato ac dedolato, laterculis quibusdam buxeis volitantibus, qui singula numisinata exciperent cum eorum inscriptionibus, adjecta chronologia: tam novo & exquisito artificio, ut eruditi fere omnes, qui in hac Urbe & genio & ingenio sunt paullo elegantiore, cum ingenti animi oblectatione plausuque spectaverint. Ex intentiore hac opera studioque in valetudinem oculorum incidi, qua gravissime vexatus, toto Majo domi me inlatebravi, & quidem in tenebris, quo luci atque aeri, infensissimis mihi hostibus, intercluderetur aditus. Ut meliuscule esse mihi contigit, Praeneste cogitare coepi, mitioris puriorisque aurae usurus beneficio; unaque vetustissimi illius Fortunae templi, ad insaniam usque magnificentissimi, ruinas superstites lustraturus. Cum igitur Kal. Junii summo mane eo me deportassem, ecce tibi Decretum regium, horis oppido paucis a discessu nostro promulgatum, in quo continebatur, Hispanos omnes Urbe facessere, nulli fas esse supplicem libellum porrigere, ambire, prensare. Uno verbo: interdici iis Romana Curia. Relata sunt in album omnium nomina, distributae securitatis schedulae: indictum est, irent quo vellent. Qui maturius obtemperasset, e re sua fore. Contra nitentibus poenae gravissimae constitutae,

tutae, perpetuum exilium, bonorum publicatio, ignominia. Hoc nuncio allato, confeſtim fratri tuo Caeſari negotium per literas dedi, ut meum abſentis nomen profiteretur, diſceſſum noſtrum, ejuſque cauſſam exponeret. Simulac vis morbi remitteret, e veſtigio me affore. Interea Regis juſſum exoſculari atque amplecti. Ea cura expeditus, ad Praeneſtina monumenta rimanda me converti. Veteres reliquias, annorum injuria foedas, ac pene obliteratas, altius ſum contemplatus. Obverſabantur animo antiqui fani majeſtas ac reverentia, fatales illae ſortes toto orbe terrarum celeberrimae, obſeſſi junioris Marii latebrae, ac denique interitus. Sullae item furor atque immanitas, Urbiſque vaſtatio & excidium. Poenitentia deinde victoris, qua acrius pungente, ut Deam ſibi propitiaret, templum illud auguſtiſſimum, amplitudine atque ornamentis ad ſtuporem uſque nobilitavit. Exſtat hodie ſacrarii pavimentum muſaico opere inſigne, artis miraculum, ac Sullano ſceleri expiando par. Nullum ſupereſt toto orbe terrarum praeſtantius monumentum. Quod fruſtra aemulati ſunt recentioris aevi nobiliſſimi artifices. Narro tibi fabellam, ride ſi ſapis. Eſt in ea Urbe ſacerdos quidam ex eo genere quos Graeci appellant περιηγητὰς, quorum erat munus peregrinos circumducere, quicquid erat in unaquaque Urbe illuſtrius iis oſtendere, a majoribus tradita exponere, extricare perplexa, ac loci dignitati augendae impudentiſſime monſtra confingere. Hic igitur periegeta, ut forte reſcivit me harum rerum non incurioſum (erant enim mecum duo ſodales) confeſtim ad me, eruditionis, ut credo, oſtentandae cauſſa. Deblaterare ille ſtatim & garrire, tanquam ſibi res eſſet cum ſtipitibus aut fungis. Addebat illi ſtimulos ad aniles ineptias effutiendas hominum natio rerum antiquarum minus gnara. Itaque videbatur ſibi impune graſſaturus. Interea mihi bilis in naſum, durabam tamen ſuſpenſo bolo. Incidit ſermo in muſaicum: quod quidem nugator futiliſſimus ajebat fuiſſe olim Deae cortinam. Vah! quid ais, inquam, bone vir? Cortina ſemper ex metallo: plerumque ex aere. Vas nempe rotundum, ἢ ἡμισφαιρικὸν, quod ſuper tripodem ſtatuebatur. Quid igitur illi cum pavimento muſaico? Quod erat in abditiſſimo Deae penetrali, ubi ſortes edebantur. Cohibitus eſt aliquantulum ejus impetus hoc veluti ſufflamine. Sed iterum impegit, & quidem turpiore lapſu. Nam ut arcanum aliquod myſterium nobis obtruderet homo vecors, ſubjunxit veluti mirabundus, neminem adhuc mortalium repertum, qui verba illa extricaverit, quae per totum muſaicum ſparſa ſunt. Eſſe enim characteres prorſus ignotos. Cui ego, edito cachinno: Atqui clariora ſunt meridiana hac luce. Neque aliter fieri poterat in opere ſaeculo illo aureo concinnato, & Sullae juſſu, & in Latio. Obſtupuit ad haec verba antiquarius, &: rem novam mihi narras, ſubdidit. Quonam igitur charactere exarata ſunt? Graeco, inquam. Nec quicquam continent ea verba praeter ferarum nomina quibus ſubjecta ſunt, ut lupi, leonis, tigridis, hyaenae, lyncis, rhi-

rhinocerotis, elephanti, hippopotami, crocodili terrestris, corocottae, & similium. Incredibili autem voluptate perfusus sum, quum ubique adpictum vidi sigma illud falcatum, sive lunata forma, quod circa Antoninorum tempora in occidentem primum invectum critici aliqui censent; alii vero retrahunt ad Augusti aevum. Quorum opiniones jugulantur hoc intemeratae fidei testimonio, Plinii etiam auctoritate consecrato. Deinde, ut fere sunt colloquia & varia, & desultoria, Antonini Augusti villae incidit mentio. Quae villa etiam hodie visitur in agro Praenestino, bona sui parte superstes, domestico Antonini luctu nobilis. Amisit enim in ea Annium Verum: quem triduo tantum luxisse, veterum monumentis proditum est. Non sinit nos de ea re dubitare Livii auctoritas, subjungit antiquarius; qui hunc casum elegantissime descripsit. Hui! Livius? (excipio ego) qui sesquisaeculo hoc Principe antiquior? erubuit ad haec, &: Polybium dicere volui, subjunxit. Affinitas nominum me fefellit. Serione loqueris, an libet jocari? Nam id quidem est Scipiones & Laelios Antonino posteriores facere, & bellum Punicum tertium cum eo conjungere, trecentorum fere annorum metachronismo. Quod medius fidius egregie insanire est. Nam quis hic stupor, quando Livii testimonium exsibilavimus, propterea quod ratio temporum adversaretur, Polybii adducere, ex quo ille plurima exscripserat, utpote duobus fere saeculis vetustiore. Ut mihi videtur, propositum tibi est de corio nostro ludere. Bellas nobis affers merces, homo festivissime. Cassas glandes & tramas putridas. Obmutuit ad haec homo plumbeus, & pudore suffusus, stupore quodam velut correptus, adspectui nostro se subtraxit. Caeteris qui huic scenae interterant tantum non eum sibilo explodentibus. Absolvi auream fabellam, cedo quadrantem. Cum dies jam undecim Praeneste agerem, ac magni ad dignitatem nostram interesse arbitrarer quam primum ad Urbem me venire; collectis sarcinulis, essedo conductitio denuo Romam contendi. quo perveni pridie Idus, in ipso diluculo. oculis adhuc lippientibus ob viam pulverulentam. Ut pulverem excussi, potione Indica languentem stomachum recreavi, ac modico somno artus refeci, ex nocturno itinere ac perpeti vigilia confectos; continuo ad aedeis regias, ut optimo Principi Aquae vivae me sisterem. Statuerat ille ea ipsa die Albam Longam proficisci, eratque jam petasatus paenulatusque. Iccirco ad colloquium non sum admissus. Indictumque mihi ut Albam ad se contenderem. Hoc officio functus, in Urbe mansi usque ad XII. Kal. Quinctileis, cum ut ex oculorum languore confirmarem me paullulum, tum ut res domesticas in tuto locarem. Praesagiebam enim vehementer Roma nos absfore usque ad autumnum. Igitur expeditis rebus domesticis, Tusculano secessu uti visum est, amoenissimo juxta ac saluberrimo. leniendum quippe erat diuturnum Urbis desiderium aliquo lenocinio. Ergo XII. Kalendas illo me contuli, vegeto quidem & valente corpore; nisi quod oculi tenelli adhuc ac

ac delicatuli: ex crebra nimirum itatione, nocturno aere, ac pulveris injuria. Est in Tusculano monte, qui hodiernae Urbi imminet, Marchionis Sacchetti (quem tu probe nosti) luculentissimum praedium. In eo villa sita est, & loci amoenitate, & salubritate aeris, & structurae elegantia, & supellectilis munditia, & subjecti Latii Urbisque prospectu, longe praestantissima. Eam vir humanissimus (quem jam olim omnibus amoris officiis, ac singulari observantia prosequor) villicationi nostrae, sive secessum appellare mavelis, liberaliter addixerat. Tam opportuno igitur officio usus, eo me contuli. Ubi omnibus corporis animique illecebris largiter perfusus, vitam quandam nactus mihi videor beatam immortalemque. Quicquid pedibus premo, veteris Tusculi reliquiae sunt ac disjecta membra. Perstat adhuc, obdurata adversus annorum insultus constantia, aedificium quoddam nobile, ac, vel semirutum, majestatem quandam prae se ferens. Fama est eam fuisse M. Tullii villam. Vulgo appellant *Ciceronis Scholas*. Illo ego animi caussa saepius accedo, ac mira quadam voluptate perfusus memoria ac recordatione tanti viri, pene exsulto gaudio, mihique videor illum differentem audire, ac divinas illas Quaestiones Tusculanas recitantem. Adeo ut mihi interdum temperare nequeam quin exclamem: Salve Cicero, aeternum eloquentiae columen. Manes tuos invoco. Sic terram experiare levem, ades pacatus; nobisque divini tui eloquii laticem instilla. Eo nos rapit insaniae loci reverentia. Quem etiam nobilitant circumjacentia antiquitatis monumenta, ut templum Jovis Latialis, sepulchrum Furii Camilli, Villa M. Catonis. Quae omnia si quos non tangunt, nae illi plumbei, vel ipso saxo stupidiores. Si libet spatiari, vel opacum frigus captare, quocumque me verto jocundissimae patent deambulationes, in immensum fere porrectae, densissimis ac procerissimis arboribus opertae aestivo aestui arcendo: quibus nihil illecebrosius excogitari potest, praesertim torrente sole. Adde Philomelarum caeterarumque avium cantus, quibus aures perpetuo demulcentur. Denique affluo omnibus deliciis. Nec quicquam reperiri potest hoc tempore me luxuriosius. Verecunde tamen. Neque enim iccirco librorum curam abjecimus, sed ruris hilaritatem & laxamenta cum studiorum utilitate conjungimus. Legimus enim Chrysostomum Monfalconianum, cujus priora duo volumina dono misit eruditissimus concinnator & scholiastes. Nec desunt graviorum studiorum diverticula, Bucolici Graeci & Lyrici, Catulli lepores, Ciceronis munditiae familiares. Ex oculorum interim morbo paullulum recreatus, A. D. V. Kalend. Quinctileis Albam me contuli. Quo cum pervenissem illucescente die, ac matutinus sopor Purpurati nostri domum adhuc teneret; visum est interea donec expergiscerent, Urbem lustrare, qua nihil edidit natura felicius. Quippe quae immortalem illam Aeneae progeniem, terrarum orbem subacturam, sinu suo fovit, ac stupendo naturae miraculo juvenem genuit aeternae Urbis conditorem. Quo foetu

foetu nihil protulit aevum illuſtrius. Urbe igitur ex ſententia obita, domum reverti, Principem ſalutatum. Quo ille officio perhumaniter accepto, meque ad colloquium admiſſo, omnia in me contulit amoris ſingularis honoriſque teſtimonia. Menſae tandem adhibuit. Di bene faciant mitiſſimo Principi, cui nec aviti ſplendoris magnitudo, nec dignitatis faſtigium, nec commiſſi ſibi a Rege muneris gravitas, impedimento ullatenus ſunt, quominus lenitate ſua utatur in probos omnes, eoſque amplexetur ac foveat. Statuerat Princeps ea ipſa die ad Urbem reverti. Itaque advesperaſcente jam ſole, cum eum ad vehiculum deduxiſſemus, fauſta omnia precati, ad Sacchetti petoritum converſi (aderat enim ille, prandioque interfuerat) eoque conſcenſo, Tuſculum verſus iter arripuimus, juſſo auriga ut quam lentiſſime currum traheret, cum ut amoenitate viae altius frueremur, tum ut Sacchetto, poematia quaedam Thuſca diſertiſſime recitanti, ne rotae obſtreperent, frangeretque impetum dicentis motus concitatior. Tenes omnia, fidemque liberavi, quam fratri tuo dederam. At quoniam expoſui acta, libet etiam agenda explicare. Si ante Idus Octobreis res detumuerint (quod minime autumo) ut Romam repetere liceat, manebo ibi. Sin autem, conclamabo denuo vaſa, & ad vos protinus. Nam ante illud tempus interclusus nobis reditus in Urbem; ob coeli intemperiem. Itaque haec loca tenebimus donec infeſtus aer defervеat. Video periculoſam eſſe navigationem mari clauſo. Sed obſervabo idoneam tempeſtatem, & hoſtiis majoribus placabo ventos. Neceſſitate enim adigimur. jacienda eſt alea. Para igitur te amplexui noſtro, & Paravicino haec nuncia. ſcio enim fore gratiſſima utrique veſtrum. Vellem hujus epiſtolae exemplum ad Ajalam & Mignanam mitteres; quos ſalvere jubeo. Tu autem cura nihil aliud niſi ut valeas, & nos ames. Data VI. Kal. Sext. An. MDCCXVIII. Tuſculo, ex ipſa Villa Tulliana.



VI. EMMANUEL MARTINUS PHILIPPO BULIPHONI,

Ocello ſuo aureo,

S. D.

Alonam.

SAlve, mi Bulipho. Valeſne uſque? Equidem in hoc ſeceſſu, quo me ruſticatum contuli, ut urbani aeſtus vitarem moleſtias, non ſolum eximia uſus ſum valetudine, ac vegetiore corpore; verum & animo longe alacriore. Qui aliter in villa, loci amoenitate, ſalubritate aeris, ſitus oppor-

portunitate, praestantissima? Ego & Sol rem de compacto gerimus. Una enim surgimus. Suum ille conficit pensum: matutinam ego deambulationem: ut purissimo illo spiritu recreatus, si quid superest hesternae sordis, decoquam ac detergam. Domum reversus, interulam exuo sudore madentem, siccam induo. Post id locorum, vel aliquid literularum leviter attingo, vel amicorum colloquiis vaco. Frequenter enim ad me ventitant, cum e proximo oppido, tum e villis circumjectis. Indicuntur in iis bella, panguntur foedera, publica res pro libidine versatur. Saepe etiam ad rusticam divertimus. Magnum fore horno vini proventum, eximiam olivitatem. Quando vineas fodere oporteat, quando ablaqueare, quando depampinare, quando mergos ducere. Quo tempore sit serendum, quo occandum, quo sarriendum. Quid porca, quid lira, quid incilia. Uno verbo, garritur. Advesperascente die, & animi exhilarandi, & exercendi corporis, in aliquam villam diverto: quo majore voluptate perfundar aspectus novitate. A crepusculo ore hiante auram capto, vel cum honestis collusoribus noctem eximo, vel saltantes rusticos specto. Ubinam sunt, qui regum delicias extollunt? Quas equidem prae iis nihil esse duco praeter nugas, & cassas glandes. Perbelle, inquies, haec omnia, & ut hominem decent rure agentem. At, nihilne lucubrationis? Ecquis est tam iners, solutoque otio, qui tot dies per ignaviam exigere possit? Pene dixi, prodigere. Jam enim dies quinquaginta domo abes. Quin igitur more tuo aliquid pangis? Semperne oscitandum, cessandumque, belluarum ritu? Oracula fundis, mi Bulipho. Apage istam inertiam, qua nihil mihi fuit unquam exosius. Intermisi equidem severiora studia, non ludicra. Itaque per hos dies poemation quoddam a me scriptum, argumento nec obvio plane nec illepido. Reliqua tu videris. Ad te enim advolat una cum spongia. Quam, si me amas, Aristarcheo more tractabis, ut soles. Scis enim quanti faciam obelismos tuos. Deum Fidium iratum habeam, si cuiquam mortalium plus desero, quam tibi. Siquidem miratus semper in te sum incredibile quoddam mentis acumen, cum acerrima in judicando solertia: quibus vel minima quaeque ad examen revocas, & rationis trutinam. Fortasse aliquando nimis anxie. Mitto arctissimam inter nos consuetudinem, & data hinc inde mutua fidei pignora. Ad haec studiorum similitudinem, geniumque in easdem literas propendentem. Quare & amo te impensius, carissimum mihi caput, & (praefiscine) amabo te, vel invitus. Amor adversus me Caesaris fratris tui officii quoque nos admonet. Quibus non ille laudibus ingenioli nostri nugas, non tam ornat, quam onerat? Proditne a Martino suo aliquid? Miscenda sunt omnia, & hominum judicia occupanda. Quare, exemplar ad illum quantocyus. Audin Philippe mi? Volo ego te. Ad illum, per fortunas, scribito; ut id poemation cum paucissimis. Lusus enim est. Aetas autem nostra jam vergens. Valeant juvenilia Fratrem jocundissimum

a me salvere jubebis. Tu quoque vale. E Villa Popiliana, IV. Eid. Sext. An. MDCCXXI.



ARCAE

PEREGRINATIONUM COMITIS

Itinerum attritu ac vetustate fatiscentis.

ἈΠΑΣΤΕΡΩΣΙΣ.

ARca rigens clavis & pelle Libystidis ursae,
ARCA meae facilis tu comes una viae.
Heu miseranda jaces attritu & pulvere foeda,
Proscinditque tuum plurima rima latus.
Compages etenim jam nullo insignis honore,
Prodita villoso tergore putris hiat.
Nec compacta manent, crebroque foramine sordent,
Ipsa ruinoso lintea sarta sinu.
Quin etiam ferrum decrevit tempore, & ipsa
Decipit incautas ansa caduca manus.
Denique jam reddis sordentem pulvere vestem,
Excipis & pluvium pervia tota Jovem.
Bis denas hyemes, variis erroribus acta,
Durasti, arcanis fida ministra meis.
Per freta, per scopulos, per inhospita marmora ponti,
Trajectusque vagos praetereuntis aquae;
Per nemora umbrosa, & praeruptas cautibus Alpes,
Quidquid & obstrepera tunditur usque rota;
Haesisti domino, non fracta laboribus unquam,
Aut onus obtrectans fune ligata gravi.
Te primum Roma, repetens Tartessia regna,
Deduxi ad patrios, sarcina grata, lares.
Per maris incerta, atque aestus revolubilis undae,
Venimus ad campos, Barcino pulchra, tuos.
Pergimus hinc pedibus, clitellisque arcta ligarunt
Vincula te, facili non solvenda manu.
Jam Rubricati gelidas trajecimus undas,
Scandimus & Scalas, Annibal, inde tuas.
Tarraco jam petitur sublimi condita saxo,

Tar-

Tarraco clarorum gloria Scipiadum.
Dertosam hinc ventum, atque ad lene fluentis Iberi
Ripam, a quo Hispanus nomina dives habet.
Tandem me reducem complexu Oropesa benigno
Fovit: vagitus audiit illa meos.
Stat rupes praeceps scopulis praerupta malignis,
Quam planus, sed inops, undique cingit ager.
Oppidulum obscurum, tenuique exsangue colono,
Stat super, excelso conspiciturque jugo.
Hinc Boream gelidum versus, lucisque cubile,
Procurrunt montes, eripiuntque polum.
Australe hinc pelagus jacet, & maria alta patescunt,
Ostentatque suas pontus Eous aquas.
Atque in conspectu surgit Colubraria Cautes,
Quam circumfusi verberat unda sali.
Telluris modico constringitur unda recessu,
Et capit exiguas hospita facta rates.
Ad latus Eoum scopulo tutante carinas,
Despicit iratos ancora jacta Notos.
Hunc scopulum a forma capitis rictusque canini,
Saepe Cynosrynchon rustica turba vocat.
Hoc natale solum, hic vitae primordia nostrae,
Hos nobis dederunt invida fata lares.
Pergimus, aequoreamque citi properamus Alonam:
Haec fuerat nostrae meta petita viae.
Aerias rupes, & muros ditis Alonae
Vidisti, & stantes ungue tenente rates.
Ter demessa Ceres, ter semina rure sepulta,
Illa dum injunctum munus in Urbe gero.
Inde Valentinam laeti migramus in Urbem,
Cujus odoriferos Turia findit agros.
Interea antiquae lustramus Saetabis arcem,
Quamque Urbem bifidis tu, Sucro, lambis aquis.
Haud procul Herculeae surgunt monumenta Sagunti,
Et manet antiquae nobilitatis honos.
Ire lubet, laceros lustrare impensius artus,
Et rudera, aggesto saxa sepulta situ.
Actum avibus nimium faustis, atque oscine dextro;
Namque vetus studio gloria macta meo est.
Quippe diu neglecta prius sine nomine saxa,
Inventu nostro facta Theatra, nitent.
Hinc petimus patriam, & gentis cunabula nostrae,

 Iller-

Illercaoniis nota decore viris.
Limine adorato, & lustrato rure paterno:
Ad proprios redii, te comitante, focos.
Illic dum lenti versamur, Olympias acta est,
Signaque per celeres sol quater egit equos.
Hinc iterum instabiles cogor transferre penates,
Et Carpetana figere limen humo.
Mantua nos tenuit septem complexa per annos,
Hostileis inter Marte fremente minas.
Baetica regna vocant, & rura patentia late,
Quae per aperta fluens Baetidos unda secat.
Scandimus ingrati Mariana cacumina montis,
Multum saxosa te quatiente via.
Hinc veterem fessi pervenimus Illiturgim:
Hinc muros petimus, Corduba docta, tuos.
Astigis occurrit veteri speliata decore,
Tu quoque oliviferis, inclyta Carmo, jugis.
Venimus hinc claram, notum per saecula nomen,
Hispalin, egelida quam luit amnis aqua.
Italicae cineres, discerptaque membra saluto,
Quaeque vigent studiis Amphitheatra meis.
Moenia Oripponis, Cauramque, Ugiamque praealtam
Vidimus, & campos, Asta superba, tuos.
Luciferi Fanum, Portumque Menestheos, aestu
Quem lavat alterno labilis unda maris.
Ventum ad extremas Gades, geminasque Columnas,
Queis non sulcanda clauditur Orbis aqua.
Flectimus inde gradum, claramque redimus ad Urbem
Hispalis, & notis sedibus hospitium.
Ergo dum verso saxa & monumenta vetusta,
Est quater aestiva falce refecta seges.
Mantua nos revocat, saltus penetrare malignos
Fors jubet, & positis apta salicta dolis.
Tu tamen accepti custos fidissima semper,
Reddis depositas cura fidelis opes.
Excipit incolumes Urbs regia: cumque viderem
Sponte decennales continuasse moras;
Urbis Alonensis petimus nutantia tecta,
Nec semel eversas Marte furente domos.
Foeda loci facies visu, & teterrima imago,
Avertere oculos, dulcis Alona, meos.
Parva domi requies, cursumque peregerat annus

Vix totum, instabili stat dare vela salo.
Ancora ducta tenax, expansaque lintea ventis,
Et data sunt levibus ligna ferenda Notis.
Narbonae pelagus immane frementibus undis
Fidimus: heu rapitur per vada salsa ratis!
Massiliae Ionicae portus intrámus, & amplum
Complexu scopuli rupe premente sinum.
Hinc Genuam appulsum; sed dira restantibus Euris
(Horresco) irato est ancora jacta Deo.
Nam simul injectus compes, tensique rudentes,
Puppin in objectam proruit unda furens.
Et quatiens clausas robusto vecte fenestras,
Acrius incumbens excutit inde feras.
Admisere fores pelagus, teque ipse natantem
Vidi, & villosae terga madere ferae.
Aequoris impactu assiduo, proraeque renisu,
Viribus haud aequit ancora rupta triplex,
Vidisti sterilem, raroque ligone subactam
Terram, quaeque colit rura maligna Ligur.
Fugimus hinc maria alta, & remige legimus oras:
Saepe per extremas palmula lusit aquas.
Immensos scopulos & saxa Ligustica tandem
Vicimus; ante oculos littora Tusca jacent.
Cepimus optatam lembo volitante Liburnum,
Et stetit immoto tuta carina salo.
Pertaesi ponti rabiem saevasque procellas
Lene per Etruscos continuamus iter.
Ventum est ad Pisas, & pingues ubere glebae
Campos, antiquis tecta superba viris.
Jam facunda suas aperit Florentia turres,
Perspicuit mediam quam secat Arnus aquis.
Hinc petimus Senas, veteremque videre sodalem
Fert animus; constans oscula junxit amor.
Jamque Urbem rerum dominam, Tarpejaque saxa,
Moeniaque audacis sanguine tincta Remi,
Cernimus. Advenit requies sperata laborum.
Servasti clausas, ARCA fidelis, opes.
Altera vix curva seges est demessa securi,
Flavaque solennes sensit arista manus;
Quum Praeneste tuas libuit spectare ruinas,
Et Praenestinae templa sepulta Deae.
Undeni fulsere dies dum multa requiro

Sedulus, obsessi diffugiumque MarI.
Inspexi solers antiqua sacraria Divae,
Et Sullae lapidis versicoloris opus.
Vidi Antonini monumentum nobile Villae,
VERI immaturo quae memoranda rogo.
Hinc Romam celeri revehunt nos esseda cursu:
Heu facta es trita pulverulenta via!
En iterum nos fata jubent discedere ab Urbe,
Et conductitiis subdere calcar equis.
Moenia Telegoni, & prisci monumenta Catonis
Visimus, & villam, Marce diserte, tuam.
Inter relliquias veteres & Tuscula saxa.
Spectamus magni parva sepulcra FurI.
Tendimus hinc Albam prisco cognomine Longam,
Quae fuit a nivea nomen adepta sue.
Protulit haec geminos, Romanae exordia gentis,
Romule teque ferox, teque superbe Reme.
Quos pius extractos servavit Faustulus undis,
Et rumae admotos pavit utrumque lupa.
Aeneadum sedes veneratus, nobile lustro
Tibur, ubi nunquam rasile pallet ebur.
Amphitryoniadis delubrum, & clara Sibyllae
Nomina, praecipitem corripuere gradum.
Tuscula tecta iterum petimus, nam figimus illic
Sedes, dum rabidum sidus biulcat agros.
Dum spuit arentes morbosa canicula flammas,
Atque aer flatu frigidiore fluit.
Ter fuit in sese revolutus menstruus orbis,
Et suetum instabilis Luna peregit iter.
Urbem Romulidum repeto, & Capitolia celsa,
Et domino viduam, te comitante, domum.
Colligo sarcinulas, levioraque vasa reposco,
Et libros notis extrahimus pluteis.
Tum male compactis propere stipamus in arcis,
Et damus aequoreis dona ferenda Notis.
Nos juvat immoto vestigia figere campo,
Et conductitia tundere prata rota.
Ergo cum dubia ruerent jam luce kalendae
Octobris, linquo moenia Romulidum.
Venimus ad montem Rosuli, & tecta ampla Viterbi,
Piscosasque lacus Volsiniensis aquas.
Taurinas per aquas, Physconisque ardua montis

Per-

Pergimus, uviseris prata superba jugis.
Per Senas iterum Tyrrhenaque rura Liburnum
Veni: haec terrestris meta petita viae.
Hinc tentata fides pelagi, & data lintea ventis,
Aeraque purpureum findere jussa fretum.
Et nacti placidos fluctus, Eurosque ferentes,
In Genuae portu constitit uda ratis.
Nec mora, post idus aperit lux tertia pontum,
Et secat aequoreos prora recurva sinus.
Hinc mugire fretum: & feralia murmura tristi
Exaudita sono, terribilesque minae.
Incumbunt Cauri, volat uda carina per undas,
Invitum fluctu percutiente latus.
Turgent immodicis Neptunia claustra procellis,
Et candent toto spumea facta sinu.
Respuit imperium clavus, nec nautica pyxis,
Artis inops, solitum respicit aegra polum.
Torpent attoniti nautae, pavor omnia miscet,
Nec quassae par est antlia multa rati.
Vi tempestatis per quinque volumina lucis
Erramus pelago, dira fremente salo.
Saepe ego te vidi revolutam & rore madentem
Ire per infusas, ARCA fidelis, aquas.
Tandem fessa ratis Remuli statione quievit,
Libamusque hilares oscula multa solo.
Hinc nos jam laetos halieutica cymba recepit,
Et tenui celsi litora Monachii.
Ventum hinc Antibum, remisque undisque relictis,
Admovi insuetas ad nova fraena manus.
Dumque maris rabidi securi carpimus oras,
Squalebant miseris litora naufragiis.
Massiliam hinc opibus florentem, & clausa reviso
Stagna, catenatis non adeunda feris.
Cumque graves pluvius rueret jam Scorpius imbres,
Ac misere algeres tergore nuda ferae;
Attritu laceram vestem, rimasque patentes
Hirta setosi sarcio pelle capri.
Pergimus, & gelidas Rhodani trajecimus undas,
Mirati campos, Urbs Arelate, tuos.
Hinc nos excipiunt Pesulani moenia Montis:
Rara venustatis gloria femineae.
Urbs memoranda patet, quae clarae nomina genti,

Et

Et quae finitimis nomina fecit aquis.
Perpinianaeas arces, altamque Gerundam
Vidimus, & turres, Barcino clara, tuas.
Post varios casus tandem, & discrimina rerum,
Certa diuturni meta laboris adest.
Urbis Alonensis patet eminus ardua rupes,
Jamque ferus celsa Marspiter arce tonat.
Occurrit Bulipho, reducesque amplectitur arcte,
Ac noto fessos excipit ille lare.
Deliciae Bulipho, atque animi pars maxima nostri,
Quos fidus stabili foedere junxit amor.
Nam studiis similes vinxit concordia mentes;
Cordaque fallaci non temeranda fide.
Arsi nempe virum solida virtute nitentem,
Et mirum egregiis dotibus ingenium:
Praeterea sanctamque fidem moresque benignos,
Et nunquam infidis pectora tacta dolis:
Nec minus insignem doctrinam, ac dona Minervae,
Et clarae, fama judice, mentis opes.
Jura etenim prisca, & veterum responsa virorum,
Quam callet, nostri sanctaque scita fori!
Naturae caussas varias, momentaque rerum,
Si dubius quaeras, cuncta retecta dabit.
Quid referam divinae arcana Matheseos, atque
Ardua monstratu pervia facta suo?
Quicquid in antiquis servarunt provida chartis
Fata, nec aligeri diruit ira senis;
Omne tenet, seu pacatas juvat ire per artes,
Seu bellatorum facta superba virum.
Argolica seu scripta manu, seu scripta Latina,
Utraque versanti pagina nota sibi.
Hos igitur lusus, & laxamenta laborum,
Mittit, & innocuos, Musa pudica, jocos.
Tu faciles versus, & verba cadentia, rite
Suscipe, & aeterni pignus amoris habe.
Multa super notis, germano & Caesare multa
Dum rogat, heu praeceps hora volucris abit.
Ille hic est Caesar, quo non mihi carior alter,
Grata nec est oculis res magis ulla meis.
Nobile praeclarae specimen virtutis, honoris
Culmen, & aeternae foedus amicitiae.
Tandem postquam utrimque avidae data tempora menti;

Ad

Ad proprios remigras, sarcina grata, lares.
Ergo jam tempus tuto requiescere portu,
O desideriis ARCA parata meis.
Extera quaeque mihi terraque marique valete:
Errandi insanus jam cohibendus amor.
At tibi fida, sequax, erroribus inclyta nostris,
Conferat emeritus praemia digna labor.
Vive diu incolumis, nec te tegat horrida pulvis,
Morbida nec caries viscera rodat edax.
Insidiosa leves ne texat aranea telas
In te, nec mures foetificent elidae.
Humor iners nec te, nec stilla caduca fatiget,
Tam gratum nec edax ignis adurat opus.
Utque exantlati referas majora laboris
Praemia, fixa polo nobile sidus eris.
Jamque appellabit te Graja carina ΚΙΒΩΤΟΝ:
Tu solers ARCAM, nauta Latine, voca.
Te exoriente hilares sulcabunt alta carinae,
Et linquet clausas navita tutus aquas.
Placabis fluctus tempestatesque sonantes,
Et dabis Alcyones stella benigna dies.
Ipsa viatori splendebis lumen amicum,
Atque is securum, te duce, carpet iter.



VII. PHILIPPUS BULIPHO EMMANUELI MARTINO *suo*,

Amico suavissimo, ac Musarum alumno, immo potius parenti praestantissimo S.

MOriar, mi Martine, ni vera praedico. Forensibus negotiis pertractandis, atque rerum Curiae nostrae actis, sive commentariis, ac pragmaticorum virorum libris in jure reddendo evolvendis, adeo obtorpui, ut ne verbum quidem te dignum efferre possit haec nostra epistola: quam tamen (quidquid est verborum) extemplo, ac ferme currente calamo dare cogimur: exspectat enim tuus tabellarius, quem sine literulis nostris ad te redire nolumus. Cum Musis, ut tu quidem belle scis, omne jam pridem commercium intermisi: omnia illa, venustas, Latinae linguae flos, joci, lepores, si quae unquam in me fuere, exaruerunt. Ita bardus evasi, te absente, ac blennus, ut cum te domum reduxeris, tute

tute ipſe cum fungo aut ſtipite tibi deinceps rem fore exiſtimaveris. Sed venio nunc ad epiſtolam, quam tu hodie ad me. Legi eam, atque perlegi iterum atque iterato: ſed, Deus bone, qua animi voluptate! redolet enim undequaque puriſſimi ac ſaluberrimi iſtius aeris amoenitatem, ſylvarum atque fontium nitorem, ac demum jocundiſſimi receſſus viridem atque umbroſam opacitatem. Qua te perbelle oblectari, atque ad ſatietatem uſque perfrui vehementer gaudeo. At enim quid ego de tua venuſtiſſima Elegia, quam tandem abſolutam, atque ad purgatiſſimi judicii tui trutinam examinatam ad me miſiſti. Ita me Dii bene ament, nunquam ſcripſiſti meliores verſus: in hiſce enim (magnum equidem dico, ac ferme incredibile) pene te ipſum ſuperaſti. Ea eſt enim ſuaviſſimi carminis ſponte ſua fluens facilitas, ac vernacula elegantia. ut omnes Veneres Cupidineſque, omnes denique jocos & lepores, tibi in ea ſcribenda affuiſſe cenſeam. Quidni vero? cum optime ſciam te diuturna ac familiariſſima Muſarum Graecarum Latinarumque conſuetudine tandiu uſum, atque adeo liberaliter comiterque illarum conſortio aſſueviſſe, ut jure merito te earum ſocium ac contubernalem, immo potius parentem appellaverim. Fuit praeterea mihi pergrata humaniſſima illa commemoratio tui in me officii ac benevolentiae, qua pol nihil unquam mihi accidit jocundius: licet enim vi quadam amoris deceptus nimium imbecillitati noſtrae indulgeas, noſque iis laudibus augeas atque ornes, a quibus quam immane diſtem, nemo melius me noverit; quid tibi ego dicam? Vel aſſentatiunculae tuae mihi placent: mihi, inquam, cui ſemper cordi fuit Naevianum illud, quod Tullius refert, *laudari a laudato viro.* Itaque magna me inceſſit cupido hujus Elegiae typis edendae, atque id jam ſerio cogito, ut quam inde immenſam cepi oblectationem, non ſolum cum Caeſare fratre, ſed cum univerſa prorſus literatorum hominum Rep. communicare valeam, atque in ea ſaltem re publico bono aliquantillum operae navare. Caeterum quam impenſe idem Caeſar frater meus eam rem urgeat, ac quam ingenti hujus Elegiae legendae ardeat deſiderio, vel ex noviſſimis ejus literis Mantua ad me ſcriptis cognoſces, quarum exemplar infra tibi ſubſcripſi. Noſti nervulos illius, qui quidquid vult (ut olim de Cicerone tuo Jul. Caeſar ajebat) valde vult. Tui igitur erit officii mihi aeque ac illi morem gerere, ac literarum ſimul commodo, & Hiſpaniarum decori aequi bonique conſulere: quod ut facias te multimodis hortor atque obſecro. Illud autem tibi praecipio, ſi exorare minus poſſim, nihilominus me ſtatuiſſe, vel te invito, huic meae voluntati ſatisfacere, ac eidem fratri meo hanc provinciam mandaturum eſſe, ut in Urbe regia commodius, atque etiam luculentioribus typis, eam rem effici curet. Tu interim, mi vetule, ſi ſapis, tibi tandem ſapies. Iſtam igitur loci, atque aeris ſalubrioris amoenitatem plenis buccis, quod ajunt, excipe. Pota frigidam, fac tibi ventulum, corpus modice exerce, animum a negotiis avoca, amicorum

rum colloquiis, atque colluſorum honeſto commercio fruere, rusticorum ſaltationes lubens ſpecta, i cubitum multa nocte, ſurge primo diluculo, cura te quam belliſſime: haec enim omnia nae ipſe etiam lubentiſſimus facerem, ac in tuo praeſertim contubernio, ſi per nimias occupationes liceret. Demum nos tui amantes redama. Vale. Data Alonae, IV. Id. Auguſti, MDCCXXI.



VIII. BULIPHO MARTINO SUO

S.

QUod bonum fauſtum ac felix fortunatumque ſit, libri Montfalconiani jam tandem ad nos pervenere. Quid ego tibi nunc quam ingenti gaudio eorum primo jocundiſſimoque conſpectu perfuſus ſim? Totam diem illos pervolvo. Sunt typis nitidiſſimis, eleganti papyro, aereis tabulis abſolutiſſimis, ac praeterea ſittybis valde concinnis conglutinati. Neque tam longi itineris attritu atque jactatione multum nitoris amiſere. Habes igitur quicum ſuaviſſimam iſtam rusticationem liberaliter ac gratius peragas: qua te perbelle oblectari cupio, & ad ſatietatem uſque perfrui tam amoeniſſimi loci opportuniſſima hilaritate. Nec dubito quin ſtatim mittas ruſticum aliquem cum jumento, illis ad te tranſportandis idoneo. quod tuae curae erit. illud noſtrae te in paucis ac aeternum diligere, atque omni officiorum genere, ac perpetua obſervantia tuam adverſum nos humanitatem benevolentiamque provocare. Vale athletice atque pancratice. ac nos, ut facis, ama. Data Alonae, XII. Kal. Julias, MDCCXXII.



IX. MARTINUS BULIPHONI *ſuo*

S. optat.

SI ſtudio tantum animi exhilarandi, & ut genio largius indulgeres, montanos fontes adiiſſes; bene eſſet, nec cura ulla me tangeret ſalutis tuae. At quoniam valetudine potius quam ſponte, eo te contuliſti; incerti eventus cogitatione aegreſcit animus, nec quicquam capio quietis. Quare, per ego te hanc dextram, perque fortunas, genium, & ſalutem tuam, oro atque obteſtor, ut de omnibus quae ad te pertinent mihi perſcribas enucleatius; ſatin aqua iſthaec ad imbecillitatem tuam, & quaſſati

pectoris σεισμούς? Num languentem ſtomachum refecerit, ac infenſam illam ἀνορεξίαν depulerit? Tuſſisne illa graſſetur adhuc & ſaeviat, ejuſque comes ἀγρυπνία? An utraque in malam crucem? Liceatne tibi ſtudere ſomno quiete, ac ſine ſtrepitu multitudinis πολυφλοίσβου? Nam per hoc anni tempus convenire iſthuc multi ſolent!, non tam ut frigida largiter ſe proluant, quam ut procaciter agant ac petulantius. A quibus non magis modeſtiam extorqueas, quam ab Hercule clavam. Porro, gratumne tibi ſit quercetum iſtud, umbriſque captandis ſatis opacum? Omitto glandes, quod eae nondum maturuerint. Etſi nullus dubito, jocundiſſima tibi fore (niſi animi fallor) ſimulacra iſta priſci aevi. fruges Saturnias & tecta. Ad haec, Dryades atque Hamadryades, ſtipitibus ſuis deſertis, tibi exhilarando choros texent. Napeae autem ex uvidis antris exſilientes, ſaluberrimae lymphae pocula tibi porrigent. Quam aveo ſcire num frigiditate ac praeſtantia famae celebritati reſpondeat. Ac ejuſmodi ſit, cui aptari poſſit Pindaricum illud:

Ἄριστον μὲν ὕδωρ ——

In ſumma, ſcribes de omnibus, maximis, minimis, mediocribus. Quodque omnium eſt caput, ſatin' ex ſententia iſthic agas? Addes, ſi vacat, quemnam ad modum vitae officia diſpertias: num per tempus diſcubitum eas, an multa nocte. Quid praeterea ſomnus de prandio? ſitne integrum tibi condormiſcere, per congerrones iſtos ac blaterones, id temporis maxime garrientes, ac ſurſum deorſum omnia miſcentes? necne? Elucubresne aliquid, an muſcas captes? Equidem vix credere poſſum inerti te otio marceſcere, atque ἀεργως. Sitne praeterea opportunus deambulationi locus? Num aer ſit frigidiuſculus? Num Venus in ludendo hilari te vultu reſpiciat? Et quando nactus es importunum ſciſcitatorem; omnia diligentiſſime perſcribes. Cupido enim me inceſſit res tuas funditus noſcendi. Vincentio Popilio & Vareneſio a me ſalutem. Januario item. Si modo is apud te. Quod vix dubitem. Quid enim tu iſthic ἀνίατρος? Noſti Homericum illud:

Ἰητρὸς μὲν ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Valetudinem tuam cura diligenter, oblecta te quam belliſſime, atque haveto. E Villa Popiliana pridie. Kal. Sextileis, An. MDCCXXII.

X. E M-

X. EMMANUEL MARTINUS PHILIPPO BULIPHONI *suo*

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

REdditae mihi ſunt a coena noviſſimae tuae literae x. Kal. Novembr. ad me exaratae. Quid facerem id temporis? Reſignavi, legi, ivi diſcubitum. Earum cardo in eo vertebatur, ut Matthaei Aegyptii annotationibus, aliquid appingerem. Quod quidem durius mihi viſum eſt, quam vitae noſtrae conditio poſtularet. Quando id unum agimus atque connitimur, ut tuto atque honeſte lateamus. Tamen etiam poſtquam eruditiſſimo atque optimo Principi ita viſum eſt, ea in medium proferam, quae rei noſtrae ſuffragari poſſunt, ſemota omni altercandi & gravius cavillandi libidine. Nihil enim homini liberali turpius, quam prurigo illa conviciandi verniliter. Neque ego is ſum, qui ſolitus ſim aliorum

Κακὸν ὀξυδερκεῖν, τὸ δ' ἴδιον διαβλέπειν.

ut eſt in Graeca Tragoedia. Impingit ſtatim in limine epiſtolae Aegyptius. Ait enim ſe olim Romae nobis familiariſſimum. Cum ego albus ille, an ater ſit, neſciam. Quare id mihi accidere videtur, quod eſt in veteri proverbio: Fabrum caedere, ferire fullonem. Rei adſtruendae ac memoriae refricandae fabellam narrat. Se nimirum, una tecum mecumque a quodam Romano Thermopola, in potione Indica vafre & veteratorie quondam eluſos, cum dilutiorem appoſuiſſet. Papae! Quanta haec res eſt, ac digna profecto quae poſteris tranſmittatur!

Ait poſtea, me in veteri inſcriptione extricanda, *Graecorum ſacra magis, quam Romanorum reſeraſſe.* Quod Ambroſii auctoritate firmat, cujus haec ſunt verba: *Quis mihi praetendit Veſtae Virgines, & Palladis Sacerdotes? Qualis eſt iſta non morum pudicitia, ſed annorum? Quae non perpetuitate, ſed aetate praeſcribitur.* Quo tamen iſta colliment, prorſus ignoro. Nam, vel de Sacerdotio Palladis ritu Graeco loquitur Ambroſius, vel de Romano. Si de Graeco Sacerdotio ea verba intelligenda ſunt; triumpho ac gaudeo. Nihil aliud quippe agit, eruditiſſimus Cenſor, quam obſervationibus noſtris lumen aſpergere clariſſimo Ambroſii teſtimonio. Quod autem de ritu Graeco intelligendum; vel ipſa jubet Sacerdotii conditio. Quando nihil hujuſmodi, in Minervae Sacerdotibus capiendis a Romanis obſervatum fuiſſe memoriae proditum eſt. Atque ita cenſeo, ſummum Doctorem, cum virginitatis & caſtimoniae praeſtantiam commen-

daret (quae virtus ante divini Verbi ἐνσάρκωσιν ignota) gemino iſthoc exemplo demonſtrare voluiſſe, quam anguſtis finibus illa contineretur, cum apud Romanos, tum apud Graecos. Apud illos nimirum Veſtae Sacerdotio, apud hos Palladis. Nec eo perpetuo, ſed certo annorum curriculo circumſcripto.

Quod ſi de Palladis Sacerdotibus ritu Romano captis, ea verba interpretari lubet; haud equidem Graecorum ſacra magis, quam Romanorum, videbor reſeraſſe. Quando eadem in utriſque praefinitae virginitatis ſuperſtitio. Sed age. Graeca ſacra tractavi. Itane vero? Num debebam Scythica? Juvenatium Apuliae oppidum. Apulia pars Magnae Graeciae. Num in media Graecia Grajos ritus quaerere, nefas? Id deerat ſcilicet, ut inter Graecos, vel Geticos quaererem ritus, vel Thracios. Atqui lapis Latine exaratus. Ride ſi ſapis. Quaſi ſermo Latinus apud Italiae populos vel interdictus, vel ignotus. Immo vel hinc etiam apparet inſcriptionem noſtram ad id tempus referendam in quo Latina lingua Italiam omnem pervaſerat· pene dixi occuparat. Graeci vero ſermonis venuſtas ac nativa elegantia penitus defloruerant. Nam quod ait Vir eruditiſſimus, Verbum *infatigabilem* (quod in eo Epigrammate reperitur) non eſſe barbarica nota inurendum; propterea quod uſus eo fuerit Tertullianus; id quidem lepidiſſimum eſt, & vile profecto viginti minis. Quis enim unquam Tertullianum, ejuſque aevum, idoneum purae Latinitatis accerſivit auctorem? Subdit poſtea, ideo Veſtales capi impuberes conſueviſſe, quod iis eſſet Palladii Deorumque Penatium commiſſa cuſtodia. Quod quam ſit vanum ac futile, nemo non videt. Quid enim ſacris illis pignoribus cum virginali pube? Num Veſtales illae Virgines, cum pubeſcerent, cum adoleviſſent, a Palladii Penatiumque tutela removebantur? Cur non etiam a cuſtodiendo igne foci publici ſempiterno? Ejuſdem farinae ſunt, quae bonus vir de ſenibus Atticis vel ſomniat, vel egregie nugatur. Vertit ſe deinde ad hiulca Epigrammatis ſectanda veſtigia. aitque medicum Roſetum teſtem αὐτόπτην, e literarum ductibus adhuc leviter apparentibus, legiſſe, MESSIA DORCAS. En totius rei proram & puppim. En telum acerrimum, quo me confixiſſe autumat. Quid inde? ſit illa per me capra ſylveſtris. Roſetum fortunatum! qui oculatior tot viris in antiquis lapidibus eximie verſatis. Gruterus legit ex Manucio: MESSI ADO... VT... EI.. B. M. P. ut mirum profecto videatur, Inſcriptionem centum ac decem abhinc annis tam inſigniter deformatam ac mutilam, noſtri temporis ſive ſolertia, ſive praeſtigiis ſanitati priſtinae reſtitutam. Equidem exemplar illud ob oculos habui, quod exſtat in Muſeo excellentiſſimi Juvenatii Principis: quod caeteris omnibus praeferendum, nullus ambigo. In eo quippe legitur: MESSI A. DOL.. CAS. MAT. Quid autem proclivius, quam hiatum illum reficere hoc modo: MESSIA DOL.. CAS. MAT.? Vellit tamen auriculam cognomen illud DORCAS. Quod matrem fuiſſe libertam indi-

indicat. Non enim nescis, servos, cum manumitterentur usurpasse praenomen nomenque patroni; non autem cognomen, cujus loco suum nomen retinebant. Itaque MESSIAE huic DORCADI, dum servitutem serviret, nomen fuit DORCAS. Postquam autem illa libertate donata est ab aliquo ex gente MESSIA, dicta est MESSIA DORCAS. Quo fit, ut Sacerdos nostra esset libertina. Quod genus hominum a Sacerdotiis excludebatur. Oportebat enim ut Sacerdos quae capiebatur, esset ex ingenuis parentibus. Immo fere ex nobilissimis familiis, praesertim apud Graecos. Non me latet reperiri aliquando in vetustis lapidibus libertas Sacerdotio functas. sed id raro admodum. & refert Dio, cum nobilissimi quique aegre filias suas in Collegium Vestalium darent; legem latam, ut eo sacerdotio uti etiam libertinis virginibus liceret; easque, cum plures de eo disceptarent, in Senatu forte lectas, praesentibus earum parentibus. Nullam tamen in Sacerdotium cooptatam. Ubi nota Patrum gravitatem, qui tametsi ut legi latae quodammodo satisfacerent, libertini generis Virgines in Senatu legissent; ullam tamen earum a Pontifice Maximo capi, vel reverentia, vel religione prohibiti sunt, ne Sacerdotii dignitas pollueretur. Sed quorsum haec? Videor mihi asinum tondere. Jubet lapis. fieri potuit. nihil moveo. Res est facti, non juris. Num res ita se habeat, illi viderint, quibus copia. Interim homo levior umbra suberis, tanquam hoste prostrato, paeana concinens; totas viginti quinque pagellas misere confarcit, dicamne Inscriptionibus, an scopis solutis? Quicquid enim veterum Epigrammatum ubique gentium est, in quo Dama illa, sive DORCAS, appareat; id omne converritur, abstrusissimae eruditionis adstruendae. Quod me-hercules frigidius nive Gallica. Non placet viro veterum Inscriptionum apprime gnaro, me legisse: *Messia dolens, infelici filiae.* Quare? Quod ea verba minime referant solennem illam antiquorum formulam ἐπιτάφιον. At exstant exempla apud Gruterum, alios. Gruterus pag. DCLXXIV. II. DOLENS MATER ET MOERENS. Pag. CCCXIX. 10. INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES. Pag. CCCXXXII. 2. & CCCLXXI. 5. INFELIX PATER FILIO INFELICISSIMO. & alibi saepe, & apud alios. Deinde usque ad calcem, merae nugae & cassae glandes. Nihil enim affert, quod virum deceat insigniter eruditum. Haec festinanter. Optimum Principem nostrum, literarumque fautorem, summa observantia persancte colimus. Caesarem fratrem in oculis gerimus. Josephum Capuanum salvere jubemus. Devinxit enim nos, cum egregia hominis virtus, tum memoria inclyti parentis. Te denique suavissime deosculamur, amplectimur. Quod uti cominus facere queam, reditum urge, insta, perfice. Uxori tuae, feminae lectissimae, imminens puerperium felix faustumque opto. Votisque auspicato susceptis, ut proles tibi contingat melioris sexus;

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες,

ut

ut ait Euripides in Iphigenia.. Ignosce garrulitati nostrae, & vale. Alonae, V. Eid. Decembreis, An. MDCCXXVI.



XI. PHILIPPUS BULIPHO MARTINO *suo* S.

Alonam.

SErius, quam par erat, ac desiderium quidem nostrum postulabat, rescribo ad eas literas, quas tu ad me v. Eid. Decembreis anni superioris. Redditae mihi eae sunt, quo tempore adhuc pedes ex diuturna, ac molestissima podagra, manus autem dextera chiragra prorsus impediebantur. Successit illico uxoris mihi charissimae puerperium, quo etsi feliciter omnino puellam hercle non invenustam enixa est: tamen hanc felicitatem octavo die excepit ejusdem diutina, ac gravissima aegrotatio, quae adeo anceps fuit, ac periculosa, ut propemodum de ejus salute desperarem. Quid facerem id temporis? nempe dies, noctesque ab aegrotantis lectulo ne latum quidem unguem, ut laboranti opem ferrem, ejusque curationem diligentissime procurarem. Profecto adeo animo excruciabar, atque amantissimae uxoris (quam merito certe suo persancte quidem amo, ac diligo) jacturam extimescebam, ut omnia susque deque haberem, ac pro nihilo ducerem, prae tanti mali sollicitudine. Servavit eam mihi tandem D. O. M. in eaque re maxime eluxit Petri Rotundi insignis medici, ac philosophi praestantissimi (hominis nomen, ac vires apprime nosti) summa in morbis dignoscendis, ac pertractandis peritia, & amor erga nos singularis: quo ego illi nomine, ac pro caeteris suis adversum me officiis, nihil me non debere profiteor, ac semper profitebor. Quicum etiam post aliquot dies in eo officio se sociavit Franciscus Boncorius ἰατρὸς eximius, ac multis, maximisque literarum ornamentis praeditus, qui nuper Neapoli huc advenit a Metimnae Coeli Duce magnis praemiis evocatus. Interea tu me iterum, atque iterum aliis epistolis (quae tua est humanitas, & erga nos benevolentia!) denuo lacessere non destitisti: ut & uxoris partum mihi primo gratulareris, ac novissime bonam valetudinem, cum primum scilicet meliuscule esse coepit. Utque abundantius tuam in me voluntatem, ac veteris necessitudinis, pene dixerim, amoris vim significares, misisti munus mihi me-hercule pergratum, atque omni auro pretiosius, elegantissimos, ac purissimos hendecasyllabos, quibus festivae puellae ortum magnifice, atque amicissime celebrasti. Quibus equidem mirifice sum oblectatus, utque eandem delectationem etiam amicis nostris parerem, communicavi eos cum Rotundo, ac Boncorio, cum Octavio Bustantio, Josepho Capua, viris, ut scis, eruditissimis, atque etiam cum excellentissimo

tiſſimo Juvanatii Dynaſta, ſtrenuo hoc noſtro, ac literarum fautore, & egregio Muſarum alumno, qui omnibus tuis ſcriptis magnopere capitur: qui omnes illorum venuſtatem, fluidiſſimam verborum rite cadentium facilitatem, ac ſummam, & ferme Catullianam elegantiam maximis laudibus ad coelum uſque extulerunt. Interea loci jam mea Linaria belle convaluerat. Ac principio quidem opportunis ſanguinis per φλεβοτομίαν miſſionibus, fomentis, aliiſque remediis, πλευρίτιδος dolor vehementiſſimus, quo illa miſere divexabatur, reſedit. Diarrhoeae poſtmodum complurium dierum beneficio febris malignitas ſenſim remittere: quam vigeſimo ſexto die magno niſu ac labore ad Acheruntem tandem adegimus. Itaque nunc quidem octo numerantur, a quo morbus illam dimiſit, ita ut ſperare liceat καθαρτικὴν potionem, quam hodie tandem hauſit, valde illi profuturam, ut poſthac viribus tantum reciperandis omnem prorſus operam, & curam adhibeamus. Haec ego ad te pluribus. Satisfaciendum quippe erat exſpectationi tuae, ac benevolentiae praeſertim, qua tu mulieris egregias animi dotes, quas optime noſti, ſummopere proſequeris, & ornare nunquam deſiſtis. Sed potiſſimum purgare me tibi debebam, quod tam diu a ſcribendo, etſi pluries laceſſitus, abſtinuiſſem. Venio nunc ad literas tuas. Illas profecto ſtatim per Caeſarem fratrem (namque ex podagra, ſi neſcis, quinquaginta ſane dies pedes domo non extuli) ad ampliſſimum Mecoenatem noſtrum miſi, qui avidiſſime illas arripuit, perlegit, ac vehementer probavit. Hoc idem jam antea contigerat, cum primum vidit lepidiſſimas illas notulas, quas tu Matthaei Aegyptii epiſtolae appinxeras, quae pol urbanis, facetis, ac vere Romanis ſalibus repletae ſunt, ac magis ſapiunt, quam callus aprugnus, ut Plauti, deliciarum, atque amorum tuorum, verba uſurpem. Itaque illas cum excellentiſſimo Principi, ac praeterea amicis, & ſodalibus noſtris perlegerim, ingentes in cachinnos ſumma cum animi voluptate effuſi ſumus, cum magna admiratione, ac laude ingenii, ac doctrinae tuae. Earum tu igitur ſummam, ac quaſi nucleum in hanc epiſtolam ἀπολογητικὴν conjeciſti, ut optimi & excellentiſſimi viri voluntati, ac noſtro deſiderio morem gereres. Quod profecto fuit illi gratiſſimum. Sed heus tu! ejuſdem verbis moneo ego te, nihil eſſe, quod mireris, quod vir ille tam inſigniter doctus, atque in primis in re antiquaria multum verſatus, nonnulla in ſuam epiſtolam congeſſerit, quae aut fortaſſe minus quadrent, aut ſpecie quadam πολυμαθείας oſtentandae nimium abundare videantur. Nam & ipſe auctor ſuo huic commentariolo, quem feſtinanter ſcripſit, non nimium tribuebat. Quandoquidem Princeps noſter reditum jam in Hiſpaniam expediebat, cum illi tradidit legendam lucubratiunculam tuam ſuper lapide Juvenatienſi, ac proinde pauculorum dierum ſpatio rem totam abſolvere coactus, nec tempus, nec otium illi fuit operis maturius perpoliendi, atque in breviorem, ac ſi vis, elegantiorem formam concinnandi. Etenim, ut ſcis, in multa

impetu quodam, ac veluti flumine ingenii ferimur, cum quid primum fundimus, ac scribimus, quae postmodum relegentes solutiori animo, atque ad severiorem trutinam, expendentes, vel strictius dicimus, atque ornatius, vel omnino resecamus. Caeterum quod in illo lapide, pro DOLENS CASTA, legendum sit DORCAS, pene nullus ambigo: nomine quidem Graecis mulieribus familiari, sed fortasse & Hebraeis, quemadmodum constat e Tabitha, seu Dorcade illa Joppensi, quam mortuam Petrus Apostolorum Princeps in vitam olim revocavit, atque item quod illud INFEL. matri quam filiae sit tribuendum. Quod quidem tibi cavendum fuit, ne tribus illis ἐπιθέτοις, *dolens*, *casta*, *infelicissima*, Messiam matrem onerares. Idem est Mecoenatis nostri judicium. Scis quam acre illud quidem, ac subactum! quem valde movet, cum sensus & ordo verborum, qui hoc pacto quodammodo fluit rectius, & ad veterum inscriptionum formam accommodatius: ac praesertim quod ex hac lectione solvimur scrupulo illo, quem ipse animadvertisti, quod praeter omnium hujusmodi Epigrammatων exemplum, Messia illa suammet castitatem suis quodammodo verbis efferret, atque jactaret: tum denique auctoritas Felicis Roseti medici Juvenatiensis (de quo mihi multa, atque honorifice edixit sapientissimus noster Dynasta) qui non, ut Manutius & Gruterus, ac tu denique ipse, ex aliquo exemplari, forte fortuna non accurate exscripto, vel quod literarum ipsarum ductus tunc temporis essent adhuc terra ac veteri caemento obductiores, sed lapidem ipsum suis oculis vidit, & rem omnem diligentissime perspectam Aegyptio reseravit. Profecto illud ex Plauto tuo bene meministi:

Plus valet oculatus testis unus, quam auriti decem.

Et vero non valde haereo in genere libertino, e quo esse videbatur nostra Minervae Sacerdos, Dorcadis filia: quando & tu recte meministi reperiri aliquando in veteribus lapidibus, libertas Sacerdotio functas: & id etiam novissime edocti sumus ex vetusta inscriptione, quam inter alias satis multas e cella sepulchrali libertorum Liviae Augustae, anno superiore Romae effossae, ad initium viae Appiae, refert eruditissimus vir Franciscus Blanchinus, qui rem totam explanavit atque uberibus notis illustravit. Cujus opus, quod vix nunc in lucem prodiit, magnifice aedepol excusum atque elegantissimis schematis aere incisis exornatum, per hosce dies hic vidi apud eundem excellentissimum Juvenatii Ducem, nuper Roma advectum: in eo igitur prae caeteris inscriptionibus hanc lubens legi pag. 35. num. 66.

PHILEMATHIO. AVG. L. SACERD. A. BONA. DEA. MATER MAENALI.

Nempe (quemadmodum ego arbitror, licet doctissimus Blanchinus in alia omnia) postea quam Romana Respub. ad unius arbitrium redacta est, veteres

teres illae religiones, quae a majoribus acceptae sancte ac caste a Patribus antea colebantur, uti & reliquae leges, jura, ac ritus & caeremoniae, ab una Principis voluntate pendere, atque interdum susque deque haberi coeptae. Ut non mirum fuerit, quod & jus Sacerdotum legendorum, qui antea vel a Collegiis capiebantur, vel a populo cooptari tributis comitiis moris erat, Augustus, vel ejus uxor Livia, sibi arrogaverint: quodve vel in Sacerdotium Bonae Deae, in ea sacra, inquam, quae antiquissima erant ac vere Romana, hominem libertum protrudere non dubitaverint. Quae ideo tibi narrare visum est, quia res est profecto novissima, & ad hunc locum peropportuna. Illud tamen scriptori nostro quodammodo non succensere vix possum, quod vocabulum *infatigabilem*, quod legitur in lapide, pene contendit non esse sequioris aetatis, idque praecipue ex Tertulliani testimonio, illa addita ratione, quod non omnia veterum scripta ad nostras manus pervenerunt. Quod quidem quorsum evadat, in proclivi est. Namque hoc pacto utendum esset vocibus sine delectu, fieri enim posset, ut essent in iis scriptis, quae temporum injuria nobis eripuit. Saltem produxisset Valerium Maximum, Plinium seniorem, alios: scriptores longe melioris aevi, quam Tertullianus, ac proinde testes locupletiores, qui eodem verbo usi sunt: hic quidem Lib. 28. Histor. cap. 19. *infatigabilem cursum*; & ille Lib. 3. cap. 2. num. 1. *infatigabili pugna*, *&c.* Sed quid haec ad te, cujus emunctissimae nari nullus flos bene olet, qui non ex amoenissimis aurei saeculi hortis excerptus sit? Quod autem noster deceptus fuit in te dignoscendo, parcendum est fugienti hominum memoriae in re adeo vetustate remota. Nimirum anni XXVI. effluxerant, cum ea scripsit, ab anno saeculari, quo primum Romam se petiisse memorat religionis causa: quo quidem tempore tu jam totum biennium, ni fallor, illinc aberas, atque praefecturae Ecclesiae Alonensis egregiam operam exhibebas. Novit ille tum in Urbe Antonium Martinium Burgensem, quo tunc temporis utebar valde familiariter, juvenem quidem probum, ac facillimis, suavissimisque moribus, sed qui in literis vel paulum admodum, vel nihil sapiebat: quique postquam in Hispaniam repedasset, paucis ab hinc annis abiit ad plures, & illo,

Unde negant redire quenquam.

Igitur nominum vicinitate seductus in eo falsus fuit, cum immortalia tua scripta illi legere contigit, ut Antonium Martinium pro Em. Martino acceperit: nempe pro amphora urceum, ut est in veteri proverbio. Ac inde memoriae refricandae (ut fieri amat, cum rerum longe actarum recordationem excitare cupimus) fraudem narrat veteratorii illius thermopolae, Martinii comitatem in optima potione Indica illi propinanda, ac lautissimum prandium Monsalconianum, cujus nidore correptus tu pene defecisti. Sed quid haec ad rem? Illud autem mihi in ea epistola fuit perjocun-

dum, commemoratio ſcilicet antiquae amicitiae, quae olim mihi cum illo interceſſerat, dum in patria verſabamur, quae ex animorum, ac ſtudiorum conjunctione, ac vitae conſuetudine magnopere coaluerat, cujuſque memoriam colam equidem ſempiternam, cum ſumma aeſtimatione nominis, ac dignitatis tam chari mihi capitis. Sum etenim, uti ſcis, veterum amicitiarum aeque ſtudioſus, ac retinentiſſimus: itaque cum primum anno ſuperiori Neapoli ad nos rediit Juvenatii Dynaſta, multa patienter me audire non gravatus eſt de veteribus amicis ac ſodalibus, deque omnibus literatis viris popularibus noſtris, curioſius aliquanto ſciſcitantem, qua in re vir ampliſſimus, qua eſt bonitate erga nos ſingulari, curioſitati noſtrae abunde ſatisfecit: itaque incredibili voluptate perfuſi ſumus. Redeo nunc ad epiſtolam tuam. Reditum noſtrum te vehementer deſiderare ſignificas, quod facis tu quidem amice ac benevole: ſed tamen hoc tibi perſuadeas velim, non te vehementius id optare, quam nos, qui te in paucis diligimus, colimus, obſervamus, ac tui deſiderio pene conficimur. Una me hercule deambulatio, ac collocutio noſtra, vel ſeria, vel jocoſa, pluris eſſet, quam omnes Hiſpaniae praefecturae. Quam ob rem jam diu eſt, cum iſthuc ad te revolaſſem, vel potius nunquam a te divulſus eſſem, niſi fatalis quaedam neceſſitas me ad prehenſandum cogeret, quod quidem facimus improbo labore, atque omnino invita Minerva. Non te latet, quantum ab hujuſmodi petitionibus ingenium, ſtudia noſtra, ac vitae omnis inſtituta ratio abhorreant: ſed tamen faciendum eſt, quando hanc occupationem peſſimam nobis Di dederunt. At enim vero jam pridem confecta res eſſet, ſi eſſet fides in iis, in quibus ſumma eſſe deberet: ſed ea eſt temporum conditio, ut nihil firmum, nihil certum ac ſtabile ſit, nulla fides, nulla dictis, promiſſisve conſtantia. Uno verbo: verſutiores ſunt id temporis homines, quam rota figularis. Jubet tamen nunc is, qui ſummam rerum, ac praecipue ad fiſcales rationes pertinentium, moderatur, me ſperare meliora, atque omnibus verbis noviſſime fidem fecit, me propediem ex hac fovea, atque id ex animi mei ſententia, emerſurum. Quod ſi praeſtiterit, nae ille erit mihi ſemper Deus! Haec igitur quanti ſint, brevi experimento edocebimur. Denique quod votis rite, atque ex antiqua illa tua augurali diſciplina ſuſceptis, prolem mihi melioris ſexus exoptaſti, itidemque quod, quam mihi ſors dedit, tuis carminibus exornare voluiſti, ingentes tibi habeo gratias. Utinam referre aliquando poſſim. Illud quidem adverſum accidit, quod nihil renitente magna illa gregariorum Deorum Dearumque γενεθλιακῶν caterva, quos in illius praeſidium tuis hendecaſyllabis advocaſti, puella noſtra viceſimo die vivere deſiit. Porro

Κόυφη σκιὰ, καὶ ἀτμός ἐςιν ἀνδρῶν βίος.

Sed illi quidem invidendum eſt, quae uſa meliori fato tam brevi ac facili emenſo itinere ad aeternam patriam contendit, ac vix nata ſtatim feli-

cissimo τῶν μακαρίτων consortio se adjunxit. Qua propter in ea potissimum illud verissimum est, quod

Ὃν φιλεῖ θεὸς ἀποθνήσκει νέος.

Jam demum tibi e Graecis tuis tantundem rependi, atque ad omnia rescripsi epistolarum tuarum capita, licet cursim, ac aegrotantis lectulo plerumque assidens, mulierum nostrarum garrulitate identidem interpellatus, ac in alia omnia distractus. Quam ob rem ignosces imbecillitati atque occupationi nostrae, quod non accuratiori stylo haec exaravimus. A Caesare fratre charissimo salvebis, qui te plurimum suspicit, colit, & amat; itemque a mea Vincentia Linaria. Tu vicissim nos, ut facis, redama, & vale. Data Mantuae Carpetanorum, XV. Kal. Martias, An. MDCCXXVII.

XII. EMMANUEL MARTINUS

PHILIPPO BULIPHONI,

Amico suavissimo, bene rem gerere.

Mantuam Carpetanorum.

An vero, mi Bulipho? Arrisere tibi literae nostrae ad Bustantium scriptae? Estne hoc mihi palpum obtrudere? Absit ut id de te suspicer, & viro probo, & mei amantissimo. Amor nostri transversum te agit, & κρίσει illi tuae Aristarcheae tenebras offundit. Tamen, ut ut est, fateor me laudum tuarum quasi quadam illecebra titillari. Praesertim cum me vehementer deterreant acres illi tui ὀβελισμοί, quos semper exhorrui. Haud secus ac Cicero Attici ceras miniatulas. Si excellentissimi Juvenatii Principis, Hieronymi Pardi, & Rotundi judicio steterim; sordebunt prae me Crassus & Lucullus. Tibi meliuscule esse a podagrae morbo, pedesque aliquanto expeditiores, legi summa cum voluptate. Heus tu, si te, si me salvum cupis; quam primum per tricas & negotia ista urbana tibi licuerit, ad nos advola. Fruere me-hercules puriore coelo, atque aere salubriore. Audio enim teshuc quantocyus. Quem ego diem si videro! Iniisti salutare consilium. Nam decantata illa ac πολυθρύλητος Urbis regiae salubritas mihi merae nugae. Pol ego, nisi maturius ei vale dixissem, jamdudum ivissem ad plures. Scis me eodem podagrae morbo laborare. Tamen, amplius quadriennium nihil ab eo incommodi.

Quando quidem autem otii tui literati rationem, vitaeque institutum, nobis aperuisti; pari mutuoque officio diligentiam tuam compensabo. Jam trien-

triennium e manibus non dimitto praeclaram illam Criticen Antonii Pagli in Annales Ecclesiasticos Baronii. Papae! Deos omnes iratos habeam, si quicquam legi cum majore animi voluptate & uberiore fructu. Obstupesco admiratione ad singula capita eximii operis, tam insigniter dedolati, & ad severissimae criseos trutinam expensi. Nihil limatius, nihil certius. Habemus in uno hoc scriptore summum chronologum, egregium historicum, & criticorum omnium longe principem. Itaque, e quatuor praegrandibus voluminibus, quibus id opus constat, primum, alterum, & tertium, pugilice jam devoravi, extremi calcem pene attigi. Adde iis, bis a me primum non perlectum tantum, sed mansum. Quod me-dius-fidius majoris videtur operae, quam Pacuvii *Teucrum* ediscere. Habemus tamen, ut ne studio impar natura fatiscat, honesta quaedam laboris diverticula. Quaenam haec, inquies. Avicularum ᾠδικῶν argutissimi cantus; quae instigante natura suavissime cantillantes, quasi in id officii conductae, modulatione sua aures nostras demulcent. Riden'? Nosti illud: *δὶς παῖδες οἱ γέροντες.* Aetas nostra jam ingravescens, eoque a diuturnis laboribus ad otium devexa, ludicris hisce mirifice oblectatur. Nec ideo tamen in eam insaniam deveni, qua teneri solent ὀρνιθομανεῖς. Est mihi argutissima philomela, sponte oculis capta. Amisi alteram anno superiore eximie garrulam, diuturna podagra confectam. Quo morbo lusciniae maxime infestari solent. Sunt itidem aviculae tres, quibus a Canariis insulis nomen inditum: & cardueles duae. Quarum alteram, quod modulatissime cantillet, permagni aestimo. Alteram ob mirabilem solertiam atque industriam, qua sibi potum parat. Obstupesce sagacis naturae mysteria. Est ea, catenula argentea per pectus ducta, machinae cuidam alligata: (non enim caveae inclusa est) pendet ad duas spithamas, triplici funiculo serico, quiddam instar putei. Appellabo, si per te licet, *puteolum.* Vas nimirum quo utimur in sorbitione potionis Indicae. In eo demissa est situla argentea, quae itidem catenula pendet. Digitabulum nempe, quo in farciendo utuntur. Quoties autem sitis adigit, arrepta rostro catenula, sursum trahit; eaque sinistro pedi commissa, denuo rostello tractim ad se trudit. Quod identidem facit, donec sitellam in loco statuat, unde sitim commode sedare possit. Qua exstincta, unguibus illam demittit, quasi labore suo defuncta. Ea vero praecipiti lapsu in subjectum veluti puteum decidit. Mirabilem in tantilla avicula sedulitatem! Id ipsum nempe est quod innuit Plinius: *Minimae avium cardueles imperata faciunt. Nec voce tantum, sed & pedibus & ore pro manibus.* Putidiusculi sumus quum haec ad te scribimus. sunt enim levissima. Spero tamen nugas hasce fore tibi non injocundas; si minus ob stylum impolitum & rudem, saltem ob argumenti novitatem leporemque.

Porro, quando tenet me garriendi libido, etsi aures tuas obtundam, abutar patientia tua. Ac referam elegantiora quaedam animi nostri laxamenta.

menta. Reliqua enim antiqua numismata, quae Romanam tempestatem evaserant, & apud me supererant temere dispersa, concinno ordine digesta, in thecam quandam congessimus. Scriniolum nempe, factum satis fabre, nec inconcinnum, pro captu fabrorum nostratium. In eo sexdecim sunt loculati asserculi, ita apte dispositi, ut eorum quemlibet vel leni tractu foras elicias, vel leni impulsu intro recondas. Horum singuli loculos habent sex & triginta τετραγώνους excavatos. In iis tabellae buxeae inclusae sunt diligentissime politae atque exasciatae. In iisque rotundi quidam loculi, sive fossulae, torno ductae, in quis numismata apte concinneque locantur. Quorum epigraphae inscriptionesque, sive Graeco illac charactere, sive Latino, sive denique prisco illo Hispaniensi, expressae sint, manu nostra in tabella buxea exaratae sunt oppido eleganter. Visum quippe mihi est ignavi hominis & inelegantis, reliquias nummarias e veteri nostro thesauro superstites temere nulloque ordine penes me habere.

Petro Rotundo velim gratias, ob librum quem tibi tradidit mihi transmittendum: cujus lectionem mihi fore perjocundam, certò scio. Cum propter eximiam auctoris eruditionem, scientiamque ἰατρικὴν, qua plurimum antecellit; tum ob amplissimas laudes, quibus tu libri praestantiam commendasti. Sed amabo te, Philippe mi, mitte una exemplar aliquod Sacrorum Bibliorum typis grandiusculis. Nam duo quae penes me habeo, literarum exilitate oculos non solum fatigant, sed fallunt. Sum enim jam hebetiore oculorum acie. Pretium reddam bona fide. Gratiam autem si minus referre potero, habebo saltem. Exemplar literarum tuarum novissime ad me scriptarum accepi magna cum voluptate. Sed minus aeque tanquam de intermisso officio mecum expostulas. Per aliquot menses nullum a me verbum. Nec respondi novissimis tuis abs te lacessitus. Superbe scilicet. Male sit rusticationi nostrae, quae me in has angustias conjecit. Dicam tamen, id quidem esse nimis anxie ad calculos vocare amicitiam, ut par sit ratio accepti & expensi. Veruntamen tibi saepe scripturio. Cessandi autem quadam illecebra in otium sensim devolvor. Auget socordiam nostram reverentia tui, tot tricis impliciti, atque involuti. Lacessamne inanibus literis hominem rerum urbanarum fastidio ac desperatione pene confectum? Itaque hoc officium consulto intermisi. Josephus Linarius, socer tuus, matrem extulit. Nec dubito quin tua Linaria, sanctissima atque optima femina, in maximo luctu & squallore sit ob funus domesticum. Amisit enim aviam neptis amantissimam. Quando autem praesens ejus moerorem solari nequeo; utere saltem apud illam meo nomine antiqua illa formula: VELLEM, QUAE VELLET.

Jubeo Caesarem fratrem, τὸ φιλοπράγμονα καὶ πολυπράγμονα. Illum nimirum, cui candidati aerumnas, gravissimasque subire molestias, inania & cassa verba sectari, captiosa & sublestae fidei promissa, technasque veteratoria arte concinnatas, spesque irritas, & impudentissima vorare ludibria,

bria, lusus ac deliciae sunt. Hominem lepidum ac facetum! Si a visendo, prensando, ambiendo, salutando, deducendo, aucupando eorum gratiam, qui potentia maxime pollent, avocare eum tentes, frustra eris. Nec polypus tenacius haeret scopulo, nec parasitus regi suo, quam strenuus noster candidatus sui studiosis fautoribusque. Umbram putes, non hominem. Ab hac officiorum consuetudine revoca: illum occides.

Jano Interamnensi Ajalaeo, si ille uspiam est, salutem a me plurimam. Si modo ille hoc officium nostrum non fastidierit. Ajunt enim illum postquam Λεξικὸν Academicum in lucem prodiit, nummos aureos modio metiri. Quam ob rem fastum hominis ζαπλούτου jure pertimesco. Deterret enim me illud Phocylidis:

Ὑψαυχεῖ δ' ὁ πολὺς πλοῦτος, καὶ ἐς ὕβριν ἀέξει.

Sed haec joco. Pungit me cura salutis suae, in aetate praesertim effoeta; augeturque silentio. Itaque amori nostro vix queo temperare. Sed quousque aures tuas obtundam garrulitate nostra? Verborum copia obruor. praesertim quum te alloquor, jocundissime Bulipho. &, ut scite Theognis,

Κωτίλῳ ἀνθρώπῳ σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος.

Cura nihil aliud, nisi ut valeas, & bellissime te oblectes. Alona, Feralibus, An. MDCCXXVIII.

Patriae nostrae palus quaedam objacet modico intervallo, nullis aquarum scatebris aucta, sed hibernis imbribus illuc confluentibus. Ea fundo est minime alto; propterea quod diuturno aquarum trudentium impetu humo aggesta, obruta pene fuerit atque oppleta. Quo fit, ut aquae illae inertes stagnantesque aestivo calore facile corrumpantur, aeremque respirent gravem mortiferumque. Unde oppido anniversaria lues, solennesque morbi. Incolisque facies luridae, foedoque pallore deformes. Itaque miseri illi quotidie migraturiunt, salubrioris aeris desiderio. Confeci cum Castelvinio, ut fossa in longitudinem ducta torrentes, montiumque confluges exciperet, & in mare evomeret, arctissimi litoris angustiis a palude disjunctum. Id negotium uti urgeret, scripseram Castelvinio. Imminet etiam oppidi exitium, nisi temperius huic damno itur obviam. Inquies forsitan: Tam tenuis obscurique πολιχνίου cura tantopere te angit? Certe hercle. Admonet siquidem me illud Euripidis:

Εἰκὸς δὲ παντὶ καὶ λόγῳ καὶ μηχανῇ
Πατρίδας ἐρῶντας ἐκπονεῖν σωτηρίαν.

Iterum vale. Viresque tam longa epistola exhaustas, refice.

XIII. PHI-

XIII. PHILIPPUS BULIPHO EMMANUELI MARTINO,

Viro ornatissimo, atque amico singulari

S.

Alonam.

POl, mi Martine, nae tu homo minus aequus es, pene dixeram injustus, qui mihi toties illud inculcas, de longitudine epistolae tuae, quam nuper ad me. Quasi vero non ego is sim, qui omnia tua scripta avide semper quaesierim, exceperim, lubentissimusque perlegerim ac summa cum animi voluptate? Aut non identidem tibi edixissem, quod de Demosthenis orationibus ajebat quondam Cicero noster, eam mihi epistolam tuam, quae longissima esset, fore gratissimam, ac visum iri meliorem? Per Jovem lapidem jurabo, Romano, uti scis, vetustissimo more, cum primum novissimae literae tuae mihi redditae sunt a proximo tabellario, easque primo statim haustu devoravi, tanta me affectum esse laetitia, ut prae gaudio exsultaverim, ac confestim ad Bustantium, ut statim ad me festinaret, quo eadem ac ego oblectatione perfrueretur: quam eandem & cum Rotundo, viro tui studiosissimo, communicavi: & cum caeteris amicis nostris communicabo. Quam ob rem si qua te cura nostri tangit, ac desiderio, sive potius amori adversum te meo vis satis facere, quaeso, id in animum inducas tuum, ut saepius scriptites, cumque semel calamum arripueris, nunquam deponas nisi defatigatus. Garrito, rogo ego te, mecum deblaterato, quidquid in buccam venerit scribito, omni denique ratione efficito ut literae ad Buliphonem tuum sint perquam oppido uberiores. Quando enim ita fors tulit, ut quotidie aliud ex alio me impediat quin ad te citius revolem, fruarque jocundissimo aspectu ac consuetudine amici mihi in primis suavissimi, uberrimis saltem ejus epistolis potis sim magnum hocce incommodum compensare, & animi mei moerori solatium id tandem petere ac levamentum. Cave tamen inde putes me pristinam sententiam mutavisse, atque omnem spem de proximo reditu nostro deposuisse. Moriar, mi Emmanuel, si quidquam hac mihi cura est antiquius, aut si quid magis fixum haeret animo meo. Coelum hoc frigidissimum est, uti probe calles, ac creberrimis, immo quotidianis alternationibus obnoxium ex vicinitate saltus Guadarramensis, qui vel fervente canicula alta nive ut plurimum albescit: ac proinde minus commodum, immo

mo prorsus adversum, podagra laborantibus. Hinc evenit ut quotannis per totum ferme hybernum tempus pedes mihi obrigeant, obtumescant, acrioribusque morsibus identidem dolorem cieant: aliquando & manus aut poplites, aliaeque corporis partes: ita ut vix domo egredi possim, aut ne vix quidem, nisi carpento vectus, ut amicos aliquando revisam, ac Divini Numinis cultui debitum in sacris aedibus officium impendam. Idque etiam muneris non usque obire licet: namque jam hac praesertim hyeme duos integros menses ita totus obtorpui, ut e lectulo, aut saltem e cubiculo, pedes nunquam extulerim, ad omnia prorsus vitae munia inutilis ineptusque: nisi quod capite tantum bene valens, jocundissima mihi, ut scis, optimorum scriptorum lectione me recreabam. Sed & id quoque maximum solatium iniqua sors mihi invidere, quando a frequentibus amicorum, & quorundam hominum otiosorum, officiis assidue ac pene incessanter interpellatus, neque hoc praesentissimo remedio exitialis morbi incommoditatem lenire concedebatur. Evasi tandem, ut nunc est, quam rem tu pro tua humanitate mihi gratularis, in eoque agnosco animi tui candorem benevolentiamque mihi, me hercules, gratissimam, pro qua ingentes me tibi usque gratias habiturum profiteor, *dum spiritus hos reget artus*. Quam ob rem id volo ego te pro certo habere, nihil magis mihi cordi esse, nisi ut, quam primum a tricis hisce, quae adhuc detinent, me expediero (potiorem autem ex illis fortasse conjectura recte assequi possis, ac nihil opus est ut apertius eloquar) citissime ad te excurram, ut reliquum vitae cursum, quem mihi Deus dederit, una tecum peragam absolvamque. Et vero taedet me jam diuturnae hujusce prensationis, atque omnes Urbis regiae ac potentis aulae illecebras, ac falsas & inanes aulicorum spes, quibus hominum παθήματα, sibi assentantium palpo lactantur augenturque; nae ego omnes duim pro vitiosa nuce. Atque id quidem in maximi beneficii ab immortali Deo accepti loco pono: cujus memorem ad extremum usque vitae spiritum me fore, eodem afflante, spero atque confido. Igitur eo viatico utcumque contentus, quod ab optimi Regis beneficentia mihi tributum est (scis dimidium esse illius, quod olim mihi decretum fuerat pro Quaestura Illicitana) nihil aliud ferme cogito, nihil urgeo, nisi nostram ἐπανήλυσιν; ut in isto veluti quietis portu, post varios casus, totque rerum discrimina, saeva disjectus tempestate, tandem conquiescam, atque in nostro ἀμαλθείῳ, sive in tuo potius, una tecum frequentissime (etenim tu unus mihi eris pro magna ac lectissima Bibliotheca) quoad ejus fieri poterit, colloqui, disserere, commentari, jocari denique, & garrire, ac legendo, meditando, scribendoque tranquillam vitam, sive potius aeternam aevitatem, aucupari liceat; in qua omnis salutis ac felicitatis spes Christianis hominibus est collocanda. Id profecto si mihi contigerit, prorsus ego nec Crassi divitiis, nec Luculli hortis, nec C. Caesaris opibus invidebo. Neque enim, credo, timendum est ut nec

id

id mihi liceat per purpuratos noſtros. Quando ſcilicet πρόσοδον hanc anniverſariam Princeps munificentiſſimus mihi largitus eſt pro praeſenti ac temporario inopiae meae remedio ; quidni potius eam inſumam Alonae , aut alibi locorum , quam Mantuae ? Praeſertim cum facile ſit , ſicubi opella noſtra ad aliquid publici muneris aut negotii uti voluerint , iſthinc me accerſere, ac quovis gentium aut locorum amandare. Sed enim vero , ne ſis neſciens, non omne interea, dum hic verſor inter Urbis ambages, atque inexſuperabile ſaxum volvo , cum veteribus amicis noſtris commercium intermiſi. Scis porro quantum a candidatorum operoſiſſimo labore & miſerabili calliditate, atque ab ambitus & prenſationis moleſtiſſima diligentia vita noſtra abhorreat. Itaque Caeſari fratri optimo, ac vere φιλαδέλφῳ, quem tu πολυπραγματώτατον appellas, quemque jocorum ac facetiarum tuarum ſtimulis ſane quam lepide fodicas atque perſtringis (quae hic quidem pulchre excepit, uti par erat, atque ita ingentem ea nobis riſum pepererunt) totam, inquam, hanc ego illi Spartam ornandam commiſi : quam noſter egregie exſequitur, tueturque: quippe qui illud Xenophonteum apprime didicit , ἑαυτοῦ τι κήδεται ὁ προνοῶν ἀδελφοῦ. Itaque paucos ego tantum amicos fautoreſque noſtros ſaluto ac reviſo, idque hercle haud frequenter, ac me ut plurimum domi occulo, libriſque utor, qui mihi in hac rerum inopia praeſto ſunt ab amicorum liberalitate, ac praecipue a Joſepho Capua, viro officioſiſſimo (quicum vetus ac profecto a pueris nobis amicitia mihi intercedit) atque etiam ab excellentiſſimo optimate Juvenatii Dynaſta, atque itidem a Hieronymi Pardi Clar.^e Viri Bibliotheca porro locupletiſſima: cujus beneficio praeſertim, praeter Graecos aliquos ſcriptores, incumbo pene totus in lectionem Commentariorum Auguſtini Calmeti in ſacra Biblia , qui haud diu eſt cum Pariſiis in lucem prodierunt. Opus, ita me Deus amet, egregium, ingens, eximium, ac ſuperius omni laude: quos qui viginti tres tomos habeat, haud ille ad pleniorem ſacrorum Codicum intellectum, uberioremque divini ſermonis doctrinam , quicquam deſiderabit. Quidquid enim utile ac concinnum ad hanc coeleſtem diſciplinam penitus exhauriendam ſcribi aut excogitari unquam potuit a veteribus , mediis , recentioribus , Graecis , Latinis, Barbaris, atque noſtratibus , Ethnicis , Rabbinis , Catholicis , atque heterodoxis Scriptoribus, omnia, inquam, in hoc opus contulit digeſſitque , atque ad purgatiſſimi judicii cenſuram revocavit expenditque ingenioſiſſimus auctor, ac criticorum ſane omnium ὑπερκριτικώτατος. Itaque , mi Martine , mirum eſt quantopere me hujus lectione oblecter, quamque uberem lectiſſimamque omnis doctrinae & eruditionis ſegetem hinc me capere poſſe intelligam. Namque, fatebor enim, aetas noſtra jam matureſcit, atque ex omni ante actae vitae ratione, ex variis rerum humanarum eventis, ac demum ex multiplici ſtudiorum varietate, quibus non leviter deditus fui, hunc maximum fructum colligi poſſe ac debere cenſeo, contemtum vani-

tatis rerum omnium, *quae geruntur sub sole*, nihilque credere esse firmum, nihil sincerum, nisi cognitionem veritatis, quam in divinis eloquiis ipsa summa ac prima veritas, pro sua in hominum genus bonitate nobis manifestavit. Quandoquidem verissime Euripides in Helena

—— νῦν δ' ἔχω
Τί τὸ σαφὲς, ὅ,τι ποτ' ἐν βροτοῖς.
Τὸ θεῶν ἔπος ἀληθὲς εὗρον.

Ergo illud tibi pro certo spondeo atque confirm o, fore ut cum primum hosce tu libros pertractaveris (spero enim non diu me iis cariturum) tunc demum dictis pleniorem fidem habeas, atque ingenti gaudio ac laetitia perfundaris.

Caeterum de Pagii, viri me-dius-fidius eruditissimi, animadversionibus in Baronium a te pene jam ad umbilicum perductis, vehementer gaudeo, atque id eo magis, quod in ea re potuit museolum istud nostrum (quod equidem aeque tui juris ac mei esse semper volui, ac volo & jubeo) tibi commodare. Quod autem severiores hasce, caeterasque animi tui exercitationes ὀρνιθοτροφίᾳ ista tua, ac sedula avicularum procuratione, earumque suavissimo concentu temperare cures, nihil miror, immo rem valde probo ac laudo. Quando quidem, uti recte tenes, ille etiam M. Cato, ut ne alios memorem, Vir sapientissimus, ac Romanorum omnium laboriosissimus, idemque severissimis moribus, in magnis licet gravissimisque Reip. negotiis occupatus, hujuscemodi deliciis senectutem suam confirmabat, uti testis est noster Tullius: iisque de rebus luculentissime scripsit in suis de re rustica commentationibus. De reliquiis κειμηλίων nummarii a te in ordinem seriemque quoad ejus fieri potuit digestis, ac tam splendida theca accuratissime inclusis, bene est: idque ex αὐτοψίᾳ aliquando probatum, erit mihi profecto jocundius.

Venio nunc ad meam Linariam. Graviter quidem haec tulit aviae amantissimae jacturam, quam semper matris loco suspexit atque amavit, filiae prorsus obsequio ac reverentia: matrem enim amisit dum erat in primis, quod aiunt, unguiculis, & ab hac sancte & caste educta usque atque exculta fuit, ab eaque multa omnino accepit eximii amoris argumenta, quorum memoria ejus animo alte insidet nunquam intermoritura. Hinc recte conjici potest, quantum hic casus ei dolorem attulerit. Sed tamen bona vetula aetate erat praegrandi, immo jam effoeta, nonagesimum, credo, annum, prope attigerat, atque in extrema hac tempestate magnis praeterea incommodis ac morbis afflictabatur: itaque jam certum erat ejus vitae cursus finem instare, ac propediem affuturum: quae quidem cogitationes non parum valuerunt ad hujus luctum minuendum. Namque ita natura evenit, ut mala ante provisa minorem nescio quomodo vim habeant, ac facilius perferantur. Accedit & illud, quod graves fortunae casus

caſus in re domeſtica ac familiari, ac vehementes morborum, ac ſenectutis ipſius moleſtias fortiter ac ſancte in extremo tanquam vitae actu ſuſtinuit, ac potiſſimum poſteaquam ab ἀποπληξίας inſultu linguae vitium triſte illud ei ornamentum attulit, de quo Sophocles:

Γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει,

ut hinc ſperare liceat per ea malorum laborumque experimenta animum illius, *tanquam aurum in fornace* ab omni prorſus humanarum affectionum labe expurgatum, ad τῶν μακαρίτων ſedem ſtatim evolaſſe. Atque hac, & maxima quidem conſolatione, qua carent illi, *qui ſpem non habent*, mea haec plurimum ſe corroboravit, atque ab ſuo animo omnem prope moerorem abſtergens, ad Chriſtianae pietatis officia exſequenda aptius ſe comparavit. Caeterum ejus verbis maximas ego tibi gratias pro iis, quibus tui doloris συμπάθειαν ſignificaſti. Ajalae tuo optime erat, cum noviſſime illum viſi, ſex ſcilicet abhinc menſibus, una cum Ma'anſio noſtro. Et certe quidem id raro admodum contingit. Namque a Caeſaris fratris domo (cujus ego hoſpitio utor) quae eſt in vico reginali, uſque ad Mercedis παρασάγγην pene eſt: ac praeterea a porta Coenobii uſque ad illius Coenaculum arduus ac prolixus adſcenſus per longas ſcalas, atque tortuoſa & inextricabilia callium & contignationum diverticula: habitat enim in ſupremis ferme aedibus, quas vir bonus ſibi praeoptavit propter amoeniorem camporum proſpectum, aëris purioris hauſtum, atque aeſtivae aurae flatum liberiorem. Quod quidem iter arripere atque exſequi laborioſum eſt, homini praeſertim pedibus impedito. Sed tamen ut tuo officio ſatis faciam, hominem adibo primo quoque tempore, atque ei tuas literas legendas tradam. Incumbit quidem vir ſtrenuus, etſi adeo aetate provectus, in eas lucubrationes, quas habet in manibus, ac praeſertim in verbis, elocutionibus, atque apophthegmatis Hiſpanicis Latinitate donandis, pro confectione Dictionarii, quod a regia Academia exornatur. Sed quid amplius quaeris, aut quid vis tibi dicam? Vir optimus valde repueraſcit. Quod cum ervilionis Comite diligentiſſime egeris pro popularium tuorum ſalute, agnoſco hominem φιλοπατριώτατον, atque in hac re te maxime laudo. De adjiciendis illis verbis in epiſtola tua ad Caſtelvinium, Octav. Buſtantium eruditum atque optimum juvenem, atque utriuſque noſtri amiciſſimum, monui, qui ſibi hanc curam arripuit. Et vero in hac quoque re plurimi facio eximiam iſtam animi atque ingenii tui comitatem atque indulgentiam, qua leviſſimae animadverſioni noſtrae tantum tribuiſti. De ſacrorum Bibliorum exemplari tibi comparando, quod quidem typis nitidioribus ac grandiuſculis excuſum ſit, omnino hiſce duobus tribuſve diebus rem conficiam. Sed jam garrulitati meae finem tandem imponam: cui quidem prudens ſciensque indulſi, ut hoc pacto literas a te elicerem longiores. Id igitur praeſtabis pro tua in me benevolentia, ac ſalvebis a Caeſare fratre

tui obſervantiſſimo, atque itidem a mea Linaria. Vale. Data Mantuae Carpetanorum, prid. Non. Martias, An. MDCCXXVIII.

Sed quid ego? Exciderat mihi, ut te admonerem de Rotundi libro, quem Aug. Ramirii procuratori, qui nuper Alonam petiit, tradidi tibi reddendum, quod ut efficiat tibi curae erit. Sed & illud. Calmeti Diſſertationes omnes, ac Praefationes in ſingulos Bibliorum ſacrorum libros, in duos treſve tomos conjectae, iſthic ſunt penes eximium virum P. Varenium Bigodetianum, ſuae Galliae negotia in iſthoc emporio procurantem, qui eos mihi Lutetia attulit: a quo illos accipere poteris legendos, atque ex iis modo judicium facere de integris ejuſdem Commentariis. Iterum vale.



XIV. BULIPHO MARTINO SUO

S.

Alonam.

EUgepae, mi Martine, pullarius iſte tuus bellus homo eſt, atque auguralis ſuae ſycophantiae callentiſſimus! Qui quidem recte nuntiavit, aves iſtas magni Jovis internuntias libenter offam arripuiſſe: ſed conjectoris vitium fuit, quod terripavium illud non recte, atque ex ſubdolae artis praeſcripto interpretatus, quid fata oſtenderent minime intellexerit. Quid enim convenit inter fruſtulum pultis ab pullorum ore delapſum, ac reditum meum in iſtum Alonenſem receptum, ut hoc inde portendi videretur? Videſis igitur, an non alia potius fuerit augurii ſignificatio. Equidem a tripudio illo ſoliſtimo, cum tenue ψωμίον in terram decidit, illud potius juxta abditiſſimam iſtam tuam augurandi ſcientiam innui conjiciendum, brevi ſcilicet fore ut Linaria mea quidquid in utero geſtabat deponeret. Idque pol eventus comprobavit. Quando enim tu, peritiſſimus homo, μὰ τὸν Δία, in auſpicio mihi eſſe voluiſti, tu ſilentium eſſe, ac pullos paſci denuntiaſti: tum ego, quamvis is ſum, qui uti phyſicus ille Pacuvianus, Tullio noſtro memoratus,

> —— *Iſtis, qui linguam avium intelligunt,*
> *Pluſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ex ſuo,*
> *Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo;*

nihilo minus extemplo omen arripui, atque (bonum factum!) uxorem monui fore uti actutum ventris onere levaretur. Quid quaeris? Auſpicatiſſimae omnino mihi fuerunt literae tuae. Commodum enim eas acceperam, cum poſtridie ejus diei, Idibus nempe proximis, poſt primas luces mulier

mulier ὑπὸ τῶν ὠδίνων correpta eſt. Qui dolores principio quidem minus vehementer eam vexare, ut eorum levitatem propemodum accuſaremus, inde rem in longitudinem protenſum iri exiſtimantes. Sed tandem uno aſſultu ac morſu acriori res omnis confecta eſt: idque adeo feliciter, ut vix ingenti clamore edito pepererit puerum me hercule ſcitiſſimum, ea quidem forma, ea tenelli corporis firmitate atque εὐεξίᾳ, atque ea membrorum ac coloris venuſtate, ut profecto nihil ad eam rem, atque ad meam cumulatiſſimam laetitiam accedere poſſe videatur. Matre praeſertim incolumi. Quam mei amantiſſimam, non neſcis quantum ipſe magnifaciam, atque amore proſequar prorſus ſingulari. Qui illud ab Heſiodo acceptum uſque in ore habeo,

Οὐ μὲν γὰρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς ——

atque illud Homericum probe memini:

—— οὐ μὲν γὰρ τοῦ γε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ, ἠδὲ γυνή. ——

Sed quid profanos mihi auctores promam, cum e divino eloquio paſſim doceamur, maximum Dei immortalis donum eſſe *mulierem bonam & prudentem*: remque acceptiſſimam eſſe ipſi Deo ac hominibus, *vir & mulier bene ſibi conſentientes*. Igitur, ut tu quoque (qua es animi bonitate, ac ſumma adverſum nos benevolentia) meum hoc maximum gauderes gaudium, nihil differri debere ratus ſum, quin te ſtatim laeto hoc nuntio onerarem. Qua propter ſtatim haec ad te, licet hercle magno atque operoſo labore, ab aſſiduis enim ſalutantium matronarum, amicorumque officiis, atque a mulierum noſtrarum ἀδολεσχίᾳ (adde ſis non infrequentes nitidiuſculi altelli vagitus) identidem diſtentus atque in diverſa diſtractus: in hujuſce praeſertim domus, qua, ut peregrini, ac Caeſaris fratris hoſpites, hic utimur, brevitate atque anguſtia, adiuncta praeterea podagrae moleſtia, quae me hac ſaeviſſima hyemis tempeſtate indignis habuit modis; vix quidem verbum exprimere potis ſum te dignum, quodque non invivita, uti ajunt, Minerva, atque omnibus iratis Diis, in lucem prodeat. Quid ais? inquies: adhuc te pedibus debilem audio? Quin tu jam dudum infenſiſſimam iſtam podagram migrare juſſiſti in morboniam, atque

In fuſtitudinas ac ferricrepinas inſulas?

Vellem quidem ego jam pridem id effeciſſe. Sed tamen non ita ſuperis placuit. Tres jam integri ſunt menſes, quibus pedem e lectulo, aut ſaltem e cubiculo non extuli, ac quibus teterrimum hoc ῥεῦμα artus propemodum

modum omnes, modo hunc modo illum, torquet: ac postremo pedem utrumque ac crura, etsi non adeo saevis dolorum stimulis, ita obsedit, ut quasi utres vento inflati ac distenti, omnino videantur. Itaque nec momento temporis rectus stare possum, nec unum quidem gressum ponere: utque puerperae lecto assidere queam, horis saltem pomeridianis ac vespertinis, pueri e grabato extractum sella insidentem me sublimem ferunt, quasi lapidem aut stipitem, ad omnia prorsus vitae munia inertem, ac pene immobilem. Vides, mi Martine, non te solum hyeme hac male multatum ab immani frigoris truculentia: adversus quam probe te muniisti iis victibus, atque ea διαίτης ratione, quam lepide admodum, ac profecto graphice tuae literae depinxerunt. Quamque vehementer probat summus amicus ac familiaris noster Petrus Rotundus, medicus, uti scis, sapiens ac diligens, atque in pervestigandis morborum, caeterarumque rerum naturalium causis, rimator solertissimus, qui te quidem magnopere colit ac diligit: ac suum alterum opusculum tibi probatum fuisse, probatissimo nempe judici, eidemque oculatissimo, in certissimi triumphi loco ponit.

De reditu nostro, quem tanto urges opere, nihil muto. Illud in primis mihi certum est, nullum posthac hybernum tempus sub hoc frigidissimo coelo, tempestatis simul ac podagrae ferociam perpeti. Quam ob rem hic tam diu commorabimur usque eo dum Linaria mea a puerperii incommoditatibus se omnino expedierit: atque infantulus noster (cui in aquae salutaris lustratione nomen indidimus Carolo, pro nostra, quod scis, in sanctissimum Mediolanensem Antistitem devotione ac reverentia, quod nescio quomodo mihi exciderat ut supra adscriberem) donec, inquam, Carolus noster viribus convaluerit ad perferendos itineris labores idoneis, ac tempestas advenerit peregrinantibus minus adversa. Classis interea Peruana ad Gaditanum portum feliciter appulerit: quod quidem propediem speramus fore ex nuntiis noviter allatis per Arnaldum quendam navarchum cercuri Gaditani, qui ab insula Havana simul cum ea classe profectus, postquam aliquos dies sub ejus praesidio navigavit, eam reliquit cis sinum Bahamensem A. D. XVII. Kal. Februarias, ut suum ipse cursum maturaret. Quin nuper auditum est, duas aut tres ejusdem classis onerarias, vehementiori vento ingruente dispersas, Ulyssiponem, aliosve nostri continentis portus jam tenuisse. Itaque sperare licet, brevi Montaletium nostrum ad nos regressurum, qui possimus tandem nimium diu jactatis familiae nostrae rebus rationem aliquam expeditiorem, ac σύστημα firmius stabiliusque constituere. Ac post illa ab caeteris omnibus curis expeditus, id tibi confirmo fore ut in eam unice incumbam, ut quam citius ad vos, ac tibi referam Buliphonianam rhedam, fatiscentem hanc quidem vetustate, ac diuturna viarum Matritensium quassatione substridulam, ac pene disfractam: sed cum domino, qui in te amando observandoque nunquam con-

consenescat, quique tuorum amplexuum & colloquiorum desiderio usque juveniliter exaestuet.

De vasis Indicis quod denuo me mones, facis tu quidem rem minime necessariam, pene dixeram damnosam. Scis illud e Plauto deliciis atque amoribus tuis.

Memorem immemorem facit, qui monet quod memor meminit.

Caesari fratri hanc provinciam demandavi, quem te non latet hominem esse ad amicorum desideria promovenda sedulum, ac naviter industrium. Qua propter timere minime debes, ut ille hac in re νδρομανία isti tuae lautitiaeque morigerari detrectet. ab eodem salutem accipies, non auream neque argenteam, etsi Gaditanam, sed tamen verbis locupletissimam. Salvebis etiam a Rotundo, Bustantio, & Capua, qui epistolam tuam avide legerunt, & summo plausu una mecum collaudarunt. Idemque a mea Linaria. ὑγίαινε. Data Mantuae Carpetanorum, XI. Kal. Martias, MDCCXXIX.



XV. MARTINUS BULIPHONI *suo*

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

SEro tandem, mi Bulipho, ad officium redit Martinus tuus: quod ab se intermissum, non quidem oblivione tui, aut fastu; sed valetudine, & truculentia frigoris. cujus assidua comes, inertia. Pridie Eidus Octobreis, coelo advesperascente, horrore quodam vehementi correptus, ac doloris totius corporis morsu acerrimo, decubui. Qui quidem dolor ita in universa membra saeviebat; ut vel digitum erigere minime possem; nedum crus aut brachium movere. Supervenit febricula cujus aestu per aliquot dies jactatus; incidi in ἀγρυπνίαν & ἀνορεξίαν. Quodque erat omnium longe miserrimum, in ὑπηνέμιον nauseam. Quae me per duos fere menses vehementer afflixit, matutino tempore, ac praeeunte tussicula. Eo infestior molestiorque, quo ab inani jejunoque ventriculo. Nihil enim ejiciebam, praeter aquulam pituita mixtam, sive, ut Hippocratis verbis utar, σίαλα καὶ λάπην. Mane igitur premebar nausea: horis autem pomeridianis siti cruciabar. Quam sitim potu aquae gelidae, vel exstinguebam, vel saltem levabam. Quid quaeris? Indulsi pancratice nostrae φιλυδρίᾳ. Etsi dehortante tumore illo crurum φλεγματώδει. Medico usi sumus familiari nostro Antonio (pene dixi, Musa. Nam ille etiam morbos frigida

cura-

curabat) Bernabevo, egregio illo cunctatore. Qui vulgarium medicorum praeproperam festinationem temeritatemque exosus; tutiore incedit via, exemplo Q. Fabii Maximi Verrucosi. Inter haec stomacho graviter languebam, infestante copia τῶν φύσων. Genuum vero poplitumque imbecillitate adeo laboro; ut vix stare in vestigio queam; nedum incedere. O rhedam Buliphonianam! Quam me torquet recordatio tui! Quando te nanciscar praesente domino, fatiscentium membrorum, dejectique animi levamentum? Quam saepe votis nuncupatis, Fortunae Reduci aures obtudi! Quas illa obstrusas surdasque. Licebitne aliquando ea solvere. Videntur mihi aves addicere. A dextra cecinit oscen. Tripudio auspicatus pullarius, ait pullos e cavea eductos, offa libenter pasci. Euge. Salva res est. Videbo te denuo, Bulipho mi: & in amplexum tuum animi impotens ruam. Sed ad reliqua corporis nostri νοσήματα, unde divertimus. Ab initio autumni laboramus quadam alvi intemperie & ἀνωμαλίᾳ, perturbato intestinorum officio, cum naturae tenore atque οἰκονομίᾳ. Omnia ὕστερον πρότερον. more Homerico. Eaque ventris inconstantia, ut domo pedem efferre non queam. praesertim vesperi. Nam mane quidem minus vexor. Sed quid mane? Non te latet quam semper ego fuerim φιλόψυχρος. Hac autem teterrima coeli tempestate, hyemeque frigidissima, adeo obtorpui; ut ejus diritati sustinendae impar; pristinam vitae rationem & consuetudinem immutarim. Surgo multo die. fere hora tertia. aliquando serius. Et id quidem, ut rem divinam faciam Hora nona, interdum octava: denuo me in lectum immergo, multis stragulis, culcitris, lodicibus, suffarcinatum. Incedit cupido literularum aliquid exarandi ad Buliphonem nostrum. calamum in manum. Ille autem rigentibus digitis sponte labitur. Tametsi nunc, languente jam frigore, ac de acerbitate nonnihil remittente, in pristinum vitae institutum sensim delabor. Surgo maturius, eo cubitum nocte jam adolescente. Redit enim amor lucubrandi. Habes, mi Bulipho, historiolam infirmae valetudinis nostrae. Quam tibi enucleatius exponere visum est; ut ne viderer ordinem deseruisse. Nunc ad alia. De vasis Indicis auriculam tibi vello. Hominem luxuriosum inquies. Quid? volo laute bibere. Addunt ea vasa aquae potui nescio quam illecebram. Facessant illa Samia veterum luxui tantopere commendata. Quare, in eam curam serio incumbe. Donec perficias, tenebo te mordicus. Rotundo nostro velim gratias pro transmisso opusculo. quod legi libentissime. Spero te ad nos propediem. Simulac Linaria tua ventris onere se expediat. Quod utinam auspicato! Caesarem fratrem ad Herculis stelas profectum, & extrema Mundi; vehementer probo. Ut, si quae supersunt; in rebus afflictis, fortunarum reliquiae, colligantur. Etenim nescio quid sinistri praesagit animus. Utinam ille locupletior Gades appellat, quam solverit! Vale, cum uxore tua lectissima, & manus pedesque cura diligenter. Alona, V. Eid. Februarias, Anni MDCCXXIX.

XVI. MAR-

XVI. MARTINUS BULIPHONI *suo* *S. D.*

Mantuam Carpetanorum.

ITane, mi Bulipho? (Quod felix, faustum, fortunatumque siet.) Linaria tua auspicatissimo partu marem edidit? ὑπέρευ! O laetum nuncium! Vix mihi temperare queo, quin aliquid pangam

Nuper foemineam peperit Linaria prolem,
Atque auxit sexu deteriore domum.
Scilicet illa rudis Lucinae forte laborum,
Non explorato pondere fudit onus.
Nunc emendatum profert lepidissima pignus,
Edit & optatum, patre volente, marem.
Quare? ut virtutem genitoris proderet infans,
Doctrina, & clari dotibus ingenii.

Vale, & congerrones tuos saluta meis verbis. Alona, IX. Kal. Martias, An. MDCCXXIX.

XVII. BULIPHO MARTINO *suo* *S.*

TU quidem homo in jure cavendi peritissimus, ut audivisti proximum adventum nostrum in hanc Urbem, statim hinc in recessum istum tuum evolasti, ut vel sic ab invitandis nobis ad rusticationem amoenissimam honestius abstineres. Sed enim vero neque hoc pacto effugies impudentiam nostram. Scis cum quo hominum genere tibi res sit. Statuimus ergo proximo die lunae A. D. V. Eid. recta ad te, vel cum Salafranca nostro (hujus rheda viatoria usi, quam enim Mantua attulimus amplior est, quam ut viarum istarum ratio postulet) vel si hic minus poterit (quod confido fore) cum mea Linaria. Tu igitur cursipedi isti tuo rei culinariae praefecto classicum cane, bubulam, vervecinam, suillam, botulum, lucanicam, ventrem Faliscum, brassicam, adde sis gallinam, in ollam majorem conjicito, magnam enim ὄρεξιν, ac ferme Matritensem βουλιμίαν ad te afferemus. Animus est, non modo te effictim amplexandi, sed etiam

 me-

medullitus exhauriendi, vorandique. ὑγίαινε. Data VII. Eid. Julias, MDCCXXIX.

XVIII. EMMANUEL MARTINUS CAESARI BULIPHONI,

τῷ φιλαδέλφῳ, *Juveni ornatissimo atque optimo*,

S. D.

EST te alloqui, mi Caesar? Certe nisi animum tuum nossem, plenum amoris, suavitatis, officii; putarem profecto hominem te esse, vel fastidiosum, vel austerum. Addam, vel inurbanum. Quaenam haec injuria? Gades Phoenicias & extrema Mundi petere, ne tribus illis verbis prolatis? NUM QUID VIS? At navem exspectas auro Indicisque mercibus onustam. Esto sane. Icciro sordere tibi debet Martinus tuus? Quoquo tamen aufugeris, nunquam vitabis tragulam, quam in te injicere jam dudum adorno. Ubi hae literae tibi redditae fuerint, spero classem Peruvianam fore in ancoris, affine tuo Montaletio salvo & incolumi. Solent illinc asportari vasa quaedam fictilia, quae aquae potui scitissimum addunt lenocinium: quo ego maxime delector. Eorum vasorum, si tibi nanciscendi copia, ut mihi aliquod (pene dixi, aliquot) bona fide eximas, oro te atque obsecro. Heus tu, satin' audis? Diu me nosti. Odi πλοκὰς & involucra verborum. Nam quo quis urbana consuetudine eruditior, eo mihi suspectior. Utrumvis igitur opta. vel tu vasa mittito, vel tibi ego nuncium remittam. Minoris enim pendo gazam omnem Indicam, quam fictilia isthaec. Scio fratrem tuum re de hac serio ad te scripsisse. Quam ob rem. Sed ad alia. Audio te isthic bene rem gerere, & ex sententia. Nec miror. Conveniunt enim maxime hilaritati tuae Gaditana illa crusmata & saltationes nequitia ac petulantia infames. Est tamen aliquid quod tibi invideo. Ostreas nimirum, squillas crangones, soleasque. Quorum piscium apprime antecellit ἡ ἐκτὸς θάλασσα & copia & praestantia. Praesertim mare istud Gadibus objectum. Cave autem a Lethaeo flumine, quod Menesthei portum alluit, e regione Gaditani emporii, brevissimo freto ab eo disjunctum. Pol, simul ac temere ejus undis te commiseris; rerum omnium oblivio sempiterna te capiet. etiam nostri. Quod Di avertant. Sed haec joco. Si illuc unquam animi caussa trajeceris; peto abs te, mi Caesar, ut visas meo nomine Leonardum Clander; qui in ea Urbe moratur; virum probum, honestum nec illiteratum, mihique mutuis officiis conjunctissimum. Sed quid audio? Dum haec scribo rumor per Urbem diditus est, Mon-

Montaletium nostrum tandem aliquando, post diuturnam molestissimamque navigationem, Coronii portum appulisse. O faustum nuncium! Qui, siquidem verus est, ut spero, scire avemus suspenso animo, quorsum rationes tuae vergant. An illo proficisci pares, an manere isthic, donec Montaletius Gades se recipiat. Quicquid statueris, docebit me frater tuus per literas. Interea id tibi persuadeas velim, neminem esse tui amantiorem, studiosiorem, observantiorem, quam me. Vale. Alona, IX. Eid. Martias, An. MDCCXXIX.

XIX. EMMANUEL MARTINUS CAESARI BULIPHONI, ANTONII F. PHILIPPI.

Fratri viro ornatissimo,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

ETiam in Villam Popilianam me conjeci, adigente urbano aestu. Satin' lepide? Certe fratri tuo anniversaria haec rusticatio & perbona visa est, & necessaria. Num & tibi? Non credo. Nihil illi rure gratius, vel agresti hac simplicitate venustius. Te contra, urbanae capiunt praestigiae; nec turbidae negotiorum procellae pervicacem tuam industriam vel deterrent, vel frangunt; quo minus accurate exhibeas quotidiana illa, molestissimi officii plena: ire salutatum, prensare, deducere. Ut autem agnoscas, jure me hisce latebris tantopere delectari; haud gravabor Popilianae Villae situm, commoditatesque, tanquam in tabella depicta, tibi ante oculos repraesentare. At cum in literis superiore aestate ad fratrem tuum datis, ejus salubritatem opportunitatemque luculente ostenderim; circa ea tantum in praesentia versabor, quae ad voluptatem pertinent, Villaeque ipsi adhaerent. Primum omnium est in ea areola quaedam ad solem occidentem obversa. Huic ab oriente aedificium imminet. Ab occasu autem procerissimae quaedam sorbi, in tabernaculi morem oppansae, umbram quidem efficiunt opacitate sua longe jocundissimam. nec tamen sine molli aeris perflatu. Frondes enim aurae Zephyrive appulsu ac motatione leniter micantes, illecebroso quodam susurro aures demulcent. flatuque frigidiusculo cute perstricta, summa voluptate recreatur animus atque perfunditur. Praeterfluit rivulus, gratissimus, me-hercle, leni murmure labentis undae. Etsi non ille perennis ac jugis. Statis enim diebus tantum adlabitur. agrorum nimirum irrigationi. Quo fit, ut eo gratior ille adfluat,

quo exſpectatior. Superne vitis expanditur, quae transverſis perticis ridiciſque ſuſpenſa, per eaſque laetiſſimis palmitibus flagelliſque perrepens, ſoli torrenti intercluſo aditu, univerſam aream obumbrat. A meridie hortus excurrit, quem mites cicureſqve plantae fructuum varietate atque praeſtantia adeo nobilitant, ut in eo Pomonam Vertumnumque verſari, facile credideris. Fama eſt eum locum in tutela eſſe Priapi, fureſqve nocturnos, ſaligna ejus falce deterritos, religione quadam illum formidare. A Septemtrionibus aperta omnia atque patentia; quo ſaluberrimus ille ſpiritus libere meet, ſeſeque diffundat. Nec tamen oculis ſua deſunt illicia: procerae ac luxuriantes ficus matureſcentibus fructibus onuſtae, amygdali, ſycamini. Denique, quo me verto cumque, amoena omnia, laeta, viridantia. Adde avicularum lenocinia, philomelas, cardueles, regulos, modo cantillantes, modo procaci volatu atque petulco, quaſi laſcivientes ac ludibundas, ſe invicem petentes. Univerſam Villae frontem vitis alia penſilis opacat: quam ſtatuminum loco pilae quaedam ſuſtinent, quae tranſverſas trabes excipiunt, tanquam juga canterii. Videas illic pendentes botros, & mirabili naturae ſolertia capreolis fultos ſerpere palmites. Quid ea deambulatione jocundius fervente aeſtu? Quid opportunius amicorum congreſſibus? Illaepſae pilae horti frontem, quae e januae regione protenditur, tanquam pinnae quaedam coronant. Ut ne autem maceriae objectu horti proſpectus adimatur; totum illud ſpatium quod ad Villae angulos pertingit, decuſſatis arundinibus, quibuſdam veluti clatris, ſepitur & clauditur. Ad laevam eſt via publica, praeter ipſam Villam hortique macerias. Quo fit, ut ultro citroque commeantium aſpectus, animum loci amoenitate jam delinitum, nova afficiat voluptate atque oblectamento. Scatet quippe via praetereuntium frequentia. ducit enim ab oppido ad ſuburbiolum quoddam. Medium ſpatium tenet Villa. Cujus horti maceria, oppidi extremas aedis contingit. Quod oppidum ſi percurras, in novas incides voluptates, animique laxamenta. Non enim illud, ut fere ſolet, in vicos, angiportus, latioreſque vias, ac plateas, diſſectum eſt atque expanſum. Sed uno tractu ſecundum amnem porrectum; cujus utramque ripam aedificia occupant, relicta in medio via novo me-hercle ac feſtiviſſimo conditu. Itaque domus quae orientale latus occupant, ſingulos habent ad januam ponticulos, rivi trajectui. Ad haec ſuas arbores exadverſum oppanſas, arcendo aeſtui. Identidem vero arboreta quaedam vitibus illaqueata, continuam illam ſeriem interſecant. Latiore ſpatio iis relicto. aedificiis aliquanto retractis. Qua ſtructurae novitate atque illecebra nihil eſſe poteſt jocundius. Dicas in iis arboretis Napeas, Dryadas, atque Hamadryadas ſuas exercere choreas ac laſcivire. Ita omnia laeta, hilara, amoena. Uno verbo. deliciae omnes manipulatim in me. Satin' ergo tibi videor ſapere? Vereor enim ne tibi haec ſordeant, qui ampulloſum illud geris CAESARIS nomen. Etiamne perſonam? Ne Di ſirint.

Ap-

Appellarem enim te mortalium omnium aerumnosissimum. Omnia hic ad simplicis naturae praescriptum. Nemo palpo me percutit, nemo mihi os sublinit, vel ludos facit, nemo sutelas struit, nemo fidem fallit. Itaque vestras istas delicias, quas tanto extollitis opere, non emam vitiosa nuce. Monfalconii libros acceptos referimus curae, industriae, diligentiae tuae. Absque iis fuisset, periissent profecto studia nostra, & spes omnes contabuissent. hominem acrem atque solertem! Quo te ego appellem nomine ob tam eximium in me collatum beneficium? Nullum certe occurrit neque amplius, neque magnificentius, quam illud ipsum quod merito geris. Addam autem honoris gratia ambitiosum illud cognomentum Orientis regibus indi solitum. teque in posterum appellabo: CAESAREM EVERGETEM. Nimis languide: CAESAREM ΘΕΟΝ. Certe visus mihi es e coelo delapsus. Quid plura? Tu unus nobis es τὰ πάντα.

Jani Ajalaei Dissertationem criticam legi summa cum voluptate. Nec tam in ea miratus sum auctoris eruditionem, diligentiam, atque judicium; propterea quod ea omnia jam dudum mihi sunt cognitissima; quam CURIONIS nugas. qui levissimis conjecturis, ac perfunctoria opera ea e proprio cerebro conatus est evellere, quae altissimis haerent radicibus. Tamen ejus modestiam laudo, quod manus dedit. Bene est. resipuit CURIO. Tu haec meo nomine Ajalaeo nuncia. Eumque complectere arctius. Et in hoc ferventissimo aestu languentes spiritus nivata recrea. Et vale. E Villa Popiliana in Agro Alonensi, IV. Eidus Sextileis, An. MDCCXXII.

Pene me fugerat quod minime fuerat praetereundum. Nimirum ut meo nomine gratias agas humanissimo ac liberalissimo Principi, cujus ope & impensa ea ad nos pervenere volumina, quorum desiderio tantopere cruciabamur. Saneque spes nostrae exaruissent, nisi tanti Moecenatis majestas ac reverentia tot difficultates extricasset, ac Gordianum illum nodum, velut gladio adhibito, praecidisset. Di illum fortunent, diuque perennare sinant, literarum praesidio, optimatium splendori, Hispaniaeque nostrae decori atque ornamento.

PRAEFATIO ΑΠΑΣΤΕΡΩΣΕΩΣ.

XX. CAESAR LAURENTIUS BULIPHO

Amico Lectori salutem.

Adesdum, candide Lector, paucis te monitum volo, antequam ulterius progrediaris. Jam primum omnium excusatum me tibi esse oportuit, quod, cum optime sciam quam mihi sint vires imbecillae ac curta supellex, cum ingenii, tum maxime in dicendi scribendique facultate; nihi-

nihilominus hujusce Praefationis scribendae provinciam susceperim, atque ausus sim inania mea haec verba viri clarissimi ac praestantissimi Emmanuelis Martini, Alonensis Ecclesiae Decani scriptis adtexere, ac veluti fucum Minervae comparare. Quando quidem, etsi a teneris, quod ajunt, unguiculis, vix pene lucem vidi ac libros colui & pertractavi, atque ab Antonio patre (strenuo illo studiosissimoque literarum alumno atque fautore) inter literatorum hominum studia, ac per familiarissimam perpetuamque illorum consuetudinem altus eductusque, scientiarum atque multigenae eruditionis uberem segetem me collegisse oportebat; attamen fateri me piget, ac pene etiam pudet, fato quodam adverso aliter rem cecidisse. Porro, cum prima fere juventute, tumentibus per Italiam undique rebus, ac fervescente bellorum incendio, non tantum a libris, sed e domo patriaque avulsus, domesticis commodis fortunisque omnibus ab hostium immanitate profligatis, extorrem exinde vitam ac ferme tumultuosam agitaverim, multisque saepe periculis atque aerumnis obnoxiam, ipsemet identidem in admirationem rapior, aliquantillum tamen mihi mentis adhuc superesse, ac non omnem prorsus humanitatis & pristinae eruditionis sensum exuisse. Id autem eo narravi, ut intelligas, me ipsum mihi apprime notum, non sponte, sed vi quadam amoris atque officii adactum (quo Philippo fratri meo amantissimo aeque ac amatissimo ab ineunte aetate valde deditus fui, atque aeternum me fore polliceor) dum illius voluntati obsequor, id oneris vel invitum me subiisse. Res enim ita se habet. Emmanuel Martinus, vir egregius atque omnium hujus aevi scriptorum facile princeps, praeterita aestate secesserat in villam quandam Alonae proximam, ut torridam sideris vim amoenissimi loci temperie, atque assiduis suavis aurae flatibus, temperaret: animumque hoc curarum laxamento recreatum ad severiora subinde studia capessenda redderet alacriorem. Sed enim non ita se a Musis avellere potuit, quin illi se rusticationis comites adjunxerint: namque ita evenire solet, ut literatorum hominum diverticula & secessus majorem illis studiorum atque elucubrationum vim ac desiderium instillent, & commoditatem praebeant opportuniorem. Igitur noster poemation quoddam, inter alia, elegantissimum Latine composuit, quod Philippo fratri inscripsit, jam pridem sibi studiorum communione, ac quotidiano familiaris consuetudinis usu mutuisque officiis conjunctissimo: cui etiam epistolas saepe numero Latine itidem scribebat, ea elegantia, atque eo melioris aevi spiritu, & nativo ac vernaculo quodam sapore, ut felicissimis illis Tullianis temporibus scriptas fuisse merito existimes. Atqui frater meus statim miratus styli venustatem summam & castimoniam singularem, suavissimi praeterea carminis fluidam ac purissimam elegantiam, ac demum lepidissimi sane argumenti novitatem, quo perbelle praeclarissimus poeta vitae suae cursum ac varios casus recenset, atque itinera, quibus tam diu nobilissimas provincias lustravit: statim, inquam,

quam, ingenti exarsit cupiditate Elegiam illam in publicum edendi. Quod, ut amico prodidit, restitit vehementer vir gravissimus, atque impense huic illius desiderio adversatus est, reputans juvenilem illum lusum (ita enim ajebat) utpote suae aetati minime consentaneum, in scriniorum aut pluteorum latebras conjiciendum esse, ac perpetuo occultandum. Sed enim frater omnino, quod semel animo praeceperat, vel amico reluctante, efficiendum esse decrevit, ut suo erga humaniores literas studio, & adversus literatos viros amori aeque satisfaceret, ac praeterea ut Hispaniensem novum hunc Ovidium Hispaniis suis manifestaret. Novit enim optime, quod etsi viri hujus doctissimi fama per universam ferme Europam, ac per summorum ora virorum undique clueat, hic apud suos, ac potissimum in Alonensi illo terrarum orbis veluti recessu, pro nimia animi sui modestia atque ingenii moderatione, quasi ignotus admodum delitescit: ac proinde sui officii esse duxit hominem a suo latibulo in publicum protrudere, hoc edito poemate. Cui mihi in animum venit epistolam adnectere, qua vir clarissimus illud fratri meo misit, ac praeterea alias nonnullas ad eundem datas in novissima sua Italica peregrinatione, atque aliquas subjicere, ex iis, quas frater rescribebat (quarum exemplar, dum Alonae agerem, mihi exscripseram) utpote quae ad Elegiae argumentum quodammodo pertinent, & ut earum series esset hoc pacto veluti continuatior, & sensus intellectu facilior, atque etiam ut locupletiorem pleniorem-que libellum promerem, existimans gratius, quo uberius, id tibi muneris futurum. Licebit autem tibi ex hujusmodi opusculis, tanquam ab ungue leonem, facile dignoscere quantus vir sit Emmanuel Martinus, ac quantum quamque opimum literaria Hispaniensis Respublica scientiarum atque abditioris eruditionis thesaurum in suis visceribus fere reconditum possideat. Etenim ex hac tantum Elegia, atque iis epistolis, quas nunc legendas tibi propono, quis adeo vecors & rudis sit, quin statim internoscat, illarum scriptorem omnem antiquitatem penitissime introspexisse, atque ex omnibus antiquorum ac recentiorum temporum Graecis Latinisque auctoribus, omnem linguarum, humanitatis, historiarum, critices, aliarumque artium notitiam funditus exhausisse, illorumque vim in suum pene spiritum transfudisse? adeo ut suum quasi patrimonium ac peculium ex iis omnibus conflaverit, & gravissimis quibusque rebus scribendis, ac graviter ornatissimeque pertractandis unice sit natura, ingenio, ac studiorum cultu instructus atque institutus. Summus quidem hic vir Oropesiae parvo oppidulo in Edetanis natus, a prima ferme aetate maximam ingenii aciem ac vim (qua in re omnes pene Hispanienses nullis gentibus quidem minores habentur) sibi a natura obtigisse ostendit. Igitur cum ad selectiora quaeque studia animum appulisset, incredibile est quanta celeritate in iis profecerit, & solennes artium ac scientiarum cursus emensus fuerit. Vix inita adolescentia cupide incensus desiderio humanioris atque abstrusioris disciplinae,

plinae, & Graecarum literarum addiscendarum, Romam perrexit, quo innumerabiles Hispani quotidie confluunt sacerdotiis postulandis. Sed, Deus bone! quantopere exoptandum foret, ut, in Urbe pietati aeque ac literarum studiis peropportuna, omnes eundem, ac noster, vitae cursum instituerent. Hic nempe, neglectis omnibus oblectamentis atque illecebris, quibus tantopere Urbs illa abundat, unice se in Bibliothecas contulit, in iisque permultos annos pene latitavit. In primis autem amplissimo doctissimoque viro Cardinali Aguirrio adhaesit, cui in Vetere Bibliotheca celeberrimi viri Nicolai Antonii, atque in nova Conciliorum Hispaniensium, & Novi Orbis Sylloge illustranda ac typis mandanda, egregiam ac laboriosissimam operam navavit. Doctissimus namque ille purpuratus, cum per ea potissimum tempora gravi afficeretur valetudine, quo factum est ut minime in posterum studiorum labori ferendo par fuerit, utrumque opus Emmanuelis Martini (qui illi erat a Bibliotheca) fidei ac diligentiae commisit, adjecta facultate Notas appingendi ipsius Cardinalis nomine ubicumque libuisset, ut ipsemet in praefatione dicti operis Nicolai Antonii sincere testatur. Graecis autem scriptoribus tanto studuit opere, ut nullum eorum non accuratissime perlegerit: atque ut illius linguae (quam matrem, & fontem uberrimum omnium doctrinarum recte appellaveris) omnem penitus notitiam interioremque sensum expiscaretur, diuturna atque assidua quamplurium annorum exercitatione versionem quatuor illorum ingentium voluminum Eustathii commentariorum in Homerum aggressus est: quam ad umbilicum jam fere perductam deseruit, vel temporum calamitate, vel Mecoenatis inopia, qui magnum illud opus praelo mandari juberet: vel potius quod ab eruditissimo atque insigni viro Bernardo Montfauconio Parisiensi Monacho Benedictino e Congregatione D. Mauri (praeclarissimo ille hujus saeculi ornamento) monitus est, ab alio quodam Gallo docto viro idem opus jam absolutum fuisse, ac brevi editum iri. Latinos autem omnes, quotus quisque est, vel prisci vel recentioris aevi, assidue omnes pervolvit, atque illorum vim ac praestantiam adeo rimatus est, ut, quaecumque scripserit, mirari liceat illius orationem nitidam purgatissimamque, eloquentem sed castam ac miris sapientiae luminibus undique adspersam, lepidissimam sed tamen prudentem, alacrem vero quandoque & audacem, sed feliciter atque emendatissimam, & ab omni luxuria, ac fucosis sequioris aetatis involucris praestigiisque prorsus alienam, ut profecto minime invideas Augustei saeculi felicitati atque splendori. Vidi ego quidem Romae aliquammulta ac luculenta hujus opera, quae omnia summo ferme plausu ab eruditis exciperentur, si lucem minime desiderarent: ac praesertim Phlegontis Adriani Imperatoris liberti Olympiadarum historiae Epitomen, quam Latinitate donavit, Notisque illustravit: atque etiam eruditissimas Notas, quas in Theocritum (qui pene illi Deus est) atque in Aristophanis Comoedias concinnavit. Tracta-

tum-

tum praeterea composuit de animi Affectionibus ad Stoicorum sententiam. Nec non magnum Etymologiarum Latinae linguae volumen ab eo accuratissima sane diligentia & incredibili labore digestum, ad imitationem operis, quod Julius Caesar Scaliger scripserat de Originibus linguae Latinae, quodque injuria fati in conflagratione aedium illius clarissimi viri periit: & Etymologici illius magni, quod doctissimus Cl. Salmasius, saepe memorat in suis scriptis, & ad hunc etiam diem ab eruditis hominibus magnopere desideratur. Scripsit etiam, dum Romae degeret, ac fere in prima adolescentia, suum *Satyromastigem*, sive Notas criticas in Q. Sectani Satyras, quae per ea tempora (ut sunt hominum ingenia in invidiam & malignitatem prona) maximo favore per Urbem venditabantur, quibus ignotus auctor in J. Vincentium Gravinam (virum eximia eruditione, cujusque praeclara scripta immortalem illi gloriam peperere) atque in alios ornatos viros truculente admodum saeviebat. Habet autem paratissimum ingens epistolarum Latine conscriptarum volumen, quod, qui viderit, praeter variam rerum antiquarum eruditionem, quibus affatim abundant, nae ille Ciceronis simul ac Plauti Terentiique puritatem candorem leporemque adeo admiretur, ut illorum spiritum omnino nostrum induisse crediderit. Ad haec summa cura congessit collectionem Inscriptionum antiquarum ad quingentas, quae Gruteri, Reinesii, Fabretti, aliorumque diligentiam fugerant, quasque suis Notis commentariisque plerumque explicavit exornavitque. Quid vero dicam de illius carminibus Graecis, Latinis, Italicis, atque Hispaniensibus? Vellem ego quidem, amice Lector, ut tute ea legeres, ac tui judicii trutina perpenderes, ut ne existimare possis me ipsum amore magni hujus viri deceptum, ingenii tui aciei nebulam offundere. Sed enim ex iis, quae nunc tibi exhibemus, optime judicare poteris sincerissimum nostrum hoc esse testimonium, ac forme, quaecumque dixerim, illius dignitati atque splendori minus aeque respondere. Jure igitur merito tantus vir acceptissimus fuit Innocentio XII. Pont. Max. ac praeterea charissimus maximis illis Ecclesiae Romanae luminibus, amplissimis Cardinalibus Norisio, Casanatae, & Carpinio, qui ab eodem Innocentio impetrarunt, ut quod illustrius pinguiusque sacerdotium in Hispania primo quoque tempore vacaret, Martino tribueretur: qui subinde Alonensis Decanatus munere (quod unicum ea tempestate vacare obtigerat) cohonestatus, Hispaniam repedavit. Sed triennium tantum Alonae commoratus, Romanae Curiae indulgentia, propter majorem valetudinem, qua id temporis laborabat, coadjutorem sibi alium eruditum virum cooptavit, atque Valentiae primum laribus constitutis, a summo deinde & excellentissimo viro Ludovico la Cerda Metimnae Coelitensium Duce magnis flagitationibus Mantuam accersitus est, ut illi esset a Bibliotheca. Per varias subinde occasiones illustriores Hispaniae provincias peragravit, atque ita vir omnis antiquitatis peritissimus, & in nu-

mifmatibus, lapidibufque, infcriptionibus, caeterifque prifcorum temporum monumentis dignofcendis explicandifque verfatiffimus, mirifice fuum Mufeum locupletavit: nam pene totus fuit in ruderibus, atque omnis vetuftatis veftigiis perfcrutandis veftigandifque, numifmatibus praeterea & fcriptis codicibus eruendis & aucupandis, ut plerifque de rebus luculentisfimas Differtationes fcripfcrit. Quarum unam prae omnibus memorare lubet. Saguntum enim cum veniffet, magnam illam antiquitatis molem fuis civibus antea defpectam ac profecto ignotam, Theatrum, inquam, Romanorum, prifcis temporibus exftructum, ac pene omnino terra maceriaque, nec non fruticibus vepretifque contectum, in lucem extraxit, atque accuratiffime dimenfus eft delineavitque, & eruditiffimam Differtationem compofuit de Theatro Saguntino: quam laudatiffimus vir Montfauconius (tantus ille judex!) exiftimans magnam fore Reipublicae jacturam quidquid inde deperiiffet, integram omnino inferuit maximo fuo operi *Antiquitatis explicatae*, quod decem magnis voluminibus comprehenfum, atque innumerabilibus nitidiffimifque tabulis aere incifis exornatum, noviffime edidit Lutetiae Parifiorum.

Habes igitur, amice Lector, inftituti noftri rationem, & praeclariffimi viri Emmanuelis Martini, & illius operum, aliquam notitiam, quam egomet mihi olim expifcatus fum: namque cum primum Romae praeftantisfimi hujus viri laudes & ornamenta ex fama didiciffem, poftquam illum in noviffimo ejus ad Urbem adventu (quem mihi Philippus frater fuis literis diligentiffime commendaverat) cognofcere licuit, tanta hominem profecutus fum obfervantia, ut annum integrum, quem ibi tranfegit, nunquam fere ab eo me divelli paffus fim; ita ut omnia illius fcripta, atque univerfam antiquariam fupellectilem (quam nempe commode fecum exportare potuerat) fumma animi voluptate legere, pervolvere, ac perfcrutari licuerit: ut proinde mirum non fit, quod hoc quale quale de tanto viro teftimonium tibi exhibere potuerim. Hoc igitur ftudii in te noftri argumentum grato animo excipe, atque aequi bonique confule, & una mecum Deum Opt. Max. venerare, ut ampliffimum aliquem ac infignem Mecoenatem noftris temporibus impertiatur, qui virum hunc eximium, atque ejus immortalia fcripta, in lucem proferat ad perpetuum Hifpaniarum decus & ornamentum, & perennem Reipublicae literariae, ac noftrorum temporum commoditatem. Vale. Mantuae Carpetanorum, Kalend. Mart. An. MDCCXXII.

E M-



EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI

EPISTOLARUM

LIBER X.



I. EMMANUEL MARTINUS M. ANTONIO SEBATINO,

Antiquariorum longe Principi.

S. D.

Romam.

CAve putes, mi Sabbatine, quicquam esse mihi gravius in hoc secessu absentia tui. Discrucior animi quoties subeunt congressiones illae nostrae, perquam venustae, amoenitatis & elegantiarum plenae. Quid jocundius quam versari in locupletissima illa tua antiquitatis penu, cui ornandae septuaginta jam annos acriter insudas. At quo studio, Di immortales, qua impensa! Tanti enim erat veteris Romae memoriam fugitivam atque abiturientem sistere ac revocare. Quicquid fere in agro Romano vel casus effodit, vel sedulitas invenit, gazophylacii

phylacii tui ornamento paratur. Nec unquam tibi videris locupletior, quam cum in eas elegantias thesauros profudisti. De fragmentis aereis nuper abs te repertis, quae Sellae curulis esse parteis existimas; utar judiciali illa formula: NON LIQUET. Refragatur enim materia, quae profecto erat ex ebore. Nisi ubi singularis honoris caussa decernebatur a Senatu aurea, ut Caesari. In consecratione itidem ac divinis honoribus. Quam ob rem compaginanda mihi videntur ea fragmenta sane quam diligenter, ac mutuo committenda: ut si minus integram formam, aliquod saltem nobis reddant specimen, unde liceat vel conjectura rem assequi. Quod tuae erit industriae, qua summa es. Nummus maximus Cari aversum caput exhibens Magniae Urbicae, praestantissimus est. Cessabunt ergo in posterum acerrimae illae eruditorum dimicationes, quibus tanto partium studio & contentione, ac tam diu digladiatum est. Exspecta nos hoc triduo, & valetudini tuae indulge. Tusculo, III. Eid. Septemb. An. MDCCXVIII.



II. EMMANUEL MARTINUS

Nobilissimo atque eruditissimo viro

LEONI STROZZIO,

S. D.

Romam.

Cum proximis diebus in instructissima tua Sphragidotheca, sive potius omnium elegantiarum thesauro, quam suavissime versaremur; inter innumerabilia antiquae scalpturae miracula incidimus in caput Juliae Piae, sive Domnae, Severi uxoris, Onyche exsculptum, circa quod disertissime legebatur ΕΥΜΟΡΦΙΖΗ ΣΕΒ. Id est, *Augusta formam conciliet.* Quae epigraphe cum nusquam alibi reperiatur; gemmae pretium ac dignitatem mirifice auget. Pupugit utrumque inscriptio insolens; ac, quae tua est humanitas ac modestia, abs me petiisti, ut nostram circa ea verba sententiam scripto aperirem. Est enim interpretatio obvia, sensus autem abstrusus. Quid enim sibi vult: *Augusta formam conciliet?* Tamen, ut tibi potius obtemperem, quam ut in re adeo obscura praestare me quicquam posse arbitrer, eorum verborum involucro ut potero me expediam. Censeo igitur hanc gemmam ea mente ab artifice fuisse exsculptam, ut pro amuleto gestaretur a feminis, formae venustatisque conciliandae gratia. Nam cum mulier haec fuerit insigni pulchritudine, parique felicitate (ut pote quae ex privatis laribus mundi domina evaserit) nihil mirum veterum super-

superstitionem, ad ejusmodi ineptias proclivem, ejus imagini vim tribuisse instillandae pulchritudinis, quae illicio suo gradum promovere solet ad rerum humanarum fastigium. Sic Alexandri effigiem ad conciliandam fortunam pro amuleto olim gestari solitam, & veterum monumentis proditum est, & complures ejus nummi superstites testantur, perforati quidem, & circulo quodam argenteo trajecti, quo appendi possent. Sic etiam Socratis, sic Alcibiadis imaginem. Epicuri quoque vultum secum veteres circumtulisse, auctor est Plinius. Helenae porro Augustae facies, in ejus nummis expressa, praestantissimum remedium censebatur adversus morbum comitialem. Omitto hujusmodi multa. Quare censeo inter praestantissima amuleta recensendam hanc gemmam, eamque limbo inclusam, inter caetera periammata a mulieribus gestari solitam; cum in ea artifex scitissimam bene ominandi formulam expresserit, feminis, quarum praecipuum studium est ambire formam, perquam gratissimam, nempe: ΕΥΜΟΡΦΙΖΗ ΣΕΒ. id est, *Augusta formam conciliet.* Habes ad quaesitum. En praeterea Epigramma hoc pro mantissa.

MUSEUM STROZZIANUM.

Marmoreos vultus, antiqua toreumata, gemmas,
Ectypa solerti sulphure ducta manu.
Mystica sistra, gravi decreta incisa metallo,
Arte laborati fragmina multa vitri.
Murrhea frusta, truces, scenae miracula, larvas,
Eruta longaevo saxa diserta situ.
Amuleta, novo pretiosa nomismata vultu,
Densorum ingentes congeries lapidum.
Denique naturae atque artis cimelia mira,
Praebet inexhausto Strozzia gaza sinu.
Cumque nova specie niteat tam rara supellex,
Rarius at domino nil habet illa suo.

Vale. E Museo nostro, VI. Kal. Octobreis, MDCCXVII.

III. EM-

III. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo viro

LEONI STROZZIO

S. D.

Romam.

CUm proximis diebus Vienna Austriae missum fuerit gemmae cujusdam Ectypon e Caesareo Gazophylacio, insolentis ejus sculpturae novitate motus, a me petiisti (quae tua est humanitas) ut nostram super ea re sententiam proderem. Quod absurdum sane ac praeposterum: quum oporteret potius, ut prior tu, more majorum, sententiam diceres, eruditorum Senatus longe princeps. Parui tamen: quodque in re, ut videbatur, obscura, in promptu habui, in medium protuli. Ut autem opinionem nostram figam clavo trabali; visum est eam veterum auctoritate & testimoniis obfirmare. Exstat in ea gemma praerupta cautes, sive rupes excisa, supra quam aedificium quoddam exsurgit quadrato lapide. Patet fornicatum ostium, ex quo pendet monstri cujusdam exanime corpus, cui caput taurinum, caetera homo. Stat in planicie juvenis quidam toroso ac robusto corpore clavae innixus, & ad monstrum conversus; tanquam periculo maximo defunctus, immanem hostem a se interemptum mirabundus contempletur. Gemma est elegantissime incisa a quodam PHILEMONE. Cujus est etiam opus caput Fauni apud M. Antonium Sabbatinum, virum antiquitatis callentissimum, ac subactissimi judicii. Haec est gemmae facies. In qua nullus ambigo artificem Minotauri caedem exprimere voluisse. Etsi enim in nummis (quos equidem viderim) semper Minotaurus cum corpore bubulo, facie tantum humana repraesentetur; pictorum caelatorumque id industriae ac lenociniis adscribendum est: quo natura illa bimembris in solo capite deprehendatur; quod ut plurimum a reliquo corpore amputatum in nummis conspicitur. Nam cum vulgo id tantum jactaretur, monstrum illnd fuisse διφυὴς; arbitrati sunt nihil referre membrorum ordinem, salva ancipiti illa naturae compage. Philemon autem in hac gemma Minotaurum nobis sistere voluit ea ipsa forma, quam mythologi prodiderunt: superne nimirum taurum, inferne hominem. Testatur id Apollodorus Lib. III. *Bibliothecae*, hisce verbis: ἡ δὲ (de Pasiphae loquitur) Ἀστέριον ἐγέννησε, τὸν κληθέντα Μινώταυρον. Οὗτος εἶχε ταύρου πρόσωπον, τὰ δὲ λοιπὰ ἀνδρός. Accinit Julius Hyginus Fab. XL. *Is ei vaccam ligneam fecit, & verae vaccae corium induxit, in qua illa cum tauro concubuit: ex quo com-*

compressu Minotaurum peperit, capite bubulo, parte inferiore humana. Juvenis ille lacertosus clava innixus, Theseus est. cui

Inerant lacertis mollibus fortes tori.

ut Seneca tragicus cecinit. Fuere enim illius arma, uti & Herculis, ferrata clava. Idem Apollodorus: Πρῶτον μὲν τὸν Περιφήτην τὸν Ἡφαίστου καὶ Αντικλείας (ὃς ἀπὸ τῆς κορύνης ἣν ἐφόρει κορυνήτης ἐκαλεῖτο) ἔκτεινεν ἐν Ἐπιδαύρῳ. Πόδας δὲ ἀσθενεῖς ἔχων οὗτος, ἐφόρει κορύνην σιδηρᾶν, δι' ἧς τοὺς παριόντας ἔκτεινε. Ταύτην ἀφελόμενος Θησεὺς ἐφόρει. Plutarchus in Theseo: Πρῶτον μὲν ἐν τῇ Ἐπιδαυρίᾳ Περιφήτην, ὅπλῳ χρώμενον κορύνῃ, καὶ διὰ τοῦτο Κορυνήτην ἐπικαλούμενον, ἀπτόμενον αὐτοῦ, καὶ κωλύοντα προάγειν, συμβαλὼν ἀπέκτεινεν. Ἡσθεὶς δὲ τῇ κορύνῃ, λαβὼν ὅπλον ἐποιήσατο καὶ διετέλει χρώμενος, ὥσπερ ὁ Ἡρακλῆς τῷ δέρματι τοῦ λέοντος. Ἐκείνῳ μὲν οὖν ἐπίδειξις ἦν φερόμενον, ἡλίκον τὸ μέγεθος θηρίου κρατήσειεν. Οὗτος δὲ τὴν κορύνην ἐπιδείκνυεν, ἡττημένην μὲν ὑπ' αὐτοῦ, μετ' αὐτοῦ δὲ ἀήττητον οὖσαν. Habes Minotaurum βουκέφαλον, habes Thesea clava insignitum: quo genere armorum delectati sunt apprime veteres heroës. Sic apud Homerum Areithous

——— σιδηρείῃ κορύνῃ ῥήγνυσκε φάλαγγας.

Aedificium rupi impositum Labyrinthus est. Cujus inexplicabiles ambages, caecosque maeandros cum artifex in tam exiguae gemmae angustiis exprimere non posset; solerti admodum consilio e longinquo tantum illum ostendit, heroi locando gemmae area relicta, ut artis in eo praestantia magis elucesceret. Haec mihi in praesentia occurrunt pro illustranda elegantissimae gemmae scalptura. Quae si tibi minus arriserint, nugas me egisse puta. E Museo nostro, pridie anni novi; quem tibi faustum, felicem, fortunatum, salutaremque precor, votis nuncupatis, An. MDCCXVII.



IV. *Eminentissimo Principi*

FRANCISCO AQUAEVIVAE ET ARAGONIO,

S. R. E. Cardinali amplissimo, Hispanorum in Urbe patrono fautorique, atque PHILIPPI V. *potentissimi Monarchae apud* CLEMENTEM XI. *Legato sapientissimo,*

JACOBUS PIZEUS

Felicitatem.

Cum JACOBUS PIZEUS *suam* Decisionum Rotae Romanae Collectionem *in lucem ederet; unum ex tot voluminibus dicaverat Eminentissimo Cardinali* AQUAEVIVAE. *Hic autem coram & per epistolas ab Alonen-*

ſi Decano poſtulavit, ut eam προσφώνησιν conſcriberet. Id ſibi fore gratiſſimum. Quamvis autem multi Romae huic rei ſuam operam pollicerentur; reſpondit Eminentiſſimus Purpuratus, ſe id officium ab uno Alonenſi Decano deſiderare. Si id obtineret (uti credebat) votis ſuis eſſe potiturum; ſin autem; nullo ſibi fore in pretio Pizei obſequium. Paruit Decanus, hancque ſcripſit epiſtolam proſphoneticam JACOBI PIZEI *nomine.*

INter egregia ſtudia praeclaraſque artes, illuſtriora itidem officia ac munera, in quibus verſari ſolet mortalium induſtria; ſane principem obtinet locum, longeque antecellit, judiciorum exercendorum, juſtitiaeque vindicandae miniſterium. quod divinum pene dixero. Nam cum ex naturae praeſcripto ſingulorum ortus cum libertate ipſa connexus ſit atque conjunctus; unus ille in eos dominationem exercere poteſt, eorumque animos coercere, a quo de nihilo educti, ac eademmet libertate donati ſunt. Praetereaque illi, quibus vel ob dignitatis faſtigium, vel quod munere aliquo publico fungantur, ſupremum illud jus auctoritatemque commiſit, in eoſque veluti transfudit; ut vel rudes vel effraenes populorum mores divinitatis norma gubernent ac moderentur. Cumque ſummus ille rerum arbiter, ac ſcelerum vindex, ob naturae praeſtantiam ſub adſpectum noſtrum cadere non poſſit; quandam ſui velut imaginem ac ſimilitudinem mortalium oculis objecit in civitatum rectoribus, caeteriſque, quibus legum cuſtodia, ac publica ſalus commiſſa eſt: quorum eſt munus ſocietatem humanae conjunctionis tueri, jus ſuum unicuique pro dignitate tribuere, injurias propulſare, omniumque commodis ac felicitati conſulere; ut propriae ſalutis reique familiaris tuendae cura populus ſolutus, aetatem traduceret beatam atque tranquillam. Unde fit, ut juſtitiae vindicandae munus cum ſtudio ſapientiae conjunctum ſit maxime. Eſt enim ſapientia ars quaedam bene beateque vivendi. Cujus rei cardo in eo praecipue vertitur, ut ab inferenda injuria, a re turpi, a maleficio temperemus, turbidoſque concitati animi motus rationis imperio compeſcamus: denique ut noſmet ipſi in noſtra ſimus poteſtate. Sapientis igitur ſtudium in id unice incumbit, ut tanquam ex aliqua ſpecula ſibi ſemper immineat, ne in animum, vel incautum vel ſecurum, aliqua peccati labes irrepat. Legum autem miniſtri, juſtitiaeque vindices, latius atque illuſtrius potiuntur imperium. Nam & ſe ipſi regere in primis ac moderari debent, caeteroſque deinde ſibi ſubjectos, eorumque curae commiſſos. Eſt ergo finis ſapientis, cura & tutela ſui; miniſtri autem, ſalutis publicae. Quo fit, ut eo ſit illuſtrius hujus officium, quo eſt utilius atque honeſtius alienae incolumitatis ſtudium, quam propriae. In quo ſtat ſumma juſtitiae: quae omnium eſt domina & regina virtutum. In tam eximio autem ac praeclaro miniſterio tractando, nulli mortalium ſanctius ac majore cum diligentia verſati ſunt, quam Romani veteres. Qui cum leges (quas juſtitiae

tiae ac divinae ſapientiae vocem merito dixeris) Athenis primum Romam adſciviſſent; quas leges ab Aegyptiis mutuati fuerant Graeci; ad rationis deinde prudentiaeque normam atque praeſcriptum complures alias promulgavere, ex gentium nationumque ſubactarum ritibus, inſtitutis, ac moribus erutas. Cum autem tum in eas, tum in infinitos pene caſus eventuſque rerum (quorum uberem praebebat ſegetem magnitudo Imperii) magnum ſtudium diuturnamque operam ſummi philoſophi ſummique Juriſconſulti contuliſſent; obſervationes ſuas in medium protulere: quibus decreta illa generalia (quae Graeci vocant δόγματα) ad ſingulos caſus eventuſque accommodando, ampliandove; in eam ſenſim molem coaluerunt eorum volumina, ut adoleſcentium operam ſtudiumque fruſtrarentur; cum ad duo millia librorum juventuti eſſent pervolvenda. Cui incommodo ut occurreret Juſtinianus, ac ſupervacuis & obſoletis reſciſſis, juventutis ſtudia ad ſola neceſſaria traduceret; Triboniano, ea tempeſtate Juriſconſultorum facile principi, diſerte mandavit, ut ex veterum libris ea tantum excerperet quae uſui eſſent; & ex variorum ſententiis atque particulis ſeriem pertexeret, ordine ac ſenſu ita cohaerentem, ut una mens, una vox, idemque ſonus videretur. Quod quidem volumen, propterea quod omnia complecteretur, *Pandectas* appellavit. In eo regulae continentur & praecepta ſapientiae, cum ad uſum ſocietatis humanae ac felicitatis publicae collimantia; tum ad erudiendos mortalium animos ſcientia boni & mali, honeſti inhoneſtique, juſti & injuſti: rerum praeterea humanarum divinarumque notitia: quorum omnium eſt magiſtra Juriſprudentia. Verumtamen, etſi tam late patent Leges Civiles, & immenſam fere rerum congeriem amplectuntur; diuturna tot ſaeculorum experientia compertum eſt, multa evenire quae traditi juris regulis praeceptiſque expediri non poſſunt. Quippe cum tam varia ſint negotia, tamque multiplices caſus, quibus res humanae implicitae ſunt: fieri minime poteſt, ut quaedam, quae raro & inſolenter accidunt, per leges latas earumque principia definiri ac extricari queant. Eo minus quod leges ea tantum reſpiciunt, quae frequentius evenire ſolent. Unde tot ſenticeta, tot difficultates in aptandis legibus ſingulis caſibus. Hinc tot juris controverſiae, tam variae, tamque inter ſe diſſidentes ſententiae, tot fori tricae & ambages, quibus cives importuniſſimis litibus implicantur, juſtitiae faciem fuco & fallaciis deformant, ac Juriſprudentiae dignitati plurimum detrahunt. Hinc tot cauſſidicorum ventoſa crepitacula, tot blaterones, tot rabulae, ac nugivenduli, qui inanium ac futilium verborum nundinatione, miſeri & ignari popelli crumenas mulgentes; ſibi hac arte divitias parant, & aliena patrimonia funditus evertunt. Cum frequenter igitur accidat, ut in caeca dumeta & inextricabiles anguſtias praeceptorum inopia Juriſconſulti compellantur, conſuevere ſaepenumero ſapientiores prudentioreſque ad ſupremorum Tribunalium Deciſiones confugere, eaſque

diligenter accurateque evolvendo, serio perpendere, atque observare quem modum adhibuerint, quave via incesserint, gravissimi Senatores, qui in amplissima dignitate constituti, profecto debent spectata doctrina & prudentia caeteris antecellere. Nec, hercules, sine maximo laboris fructu atque emolumento. Ibi enim apparet quo temperamento, quave arte usi fuerint viri eximii in applicandis praeceptis ac regulis juris ad tot tamque varios casus eventusque, quibus hominum vita continetur. Quam autem sit hoc genus studii non solum utile, sed etiam necessarium; documento sunt tot Decisionum volumina, quae quotidie in lucem prodeunt, ut doctorum hominum desiderio atque exspectationi occurratur.

Cum igitur Rotae Romanae Senatus amplitudine & majestate caeteris praestet; quid rei unquam publicae facere potui vel utilius vel optatius, quam augustissimi hujus Senatus Decisionum texere Syntagma? Etsi non dubito fore plerosque, quibus labor hic noster exilis admodum & inglorius videatur, famaeque nostrae minimum splendoris allaturus atque ornamenti. Quid enim studii vel industriae continet alienas lucubrationes inquirere, in unum congerere, inter se aptare & connectere, & in certa capita seriesque ordinare? Fateor equidem rem esse jejunam & exsanguem, ac vel mihimet ipsi oppido molestam atque injocundam. Sed cum rei prodesse publicae, non modo honestissimum inter mortales, sed splendidissimum etiam judicetur; non est cur instituti nostri, & navatae in hac Bibliotheca adornanda operae nos poeniteat. Si minus ingenium, laudabunt saltem diligentiam. Cujus cumulatissimam me retulisse mercedem tum demum arbitrabor, si hoc qualicumque labore aliquid publicae utilitati contulero. Conferam certe. Ac tametsi ingenii doctrinaeque laudem nec exspecto, nec valde curo; scio profecto, & nostrae aetatis Jurisconsultos, & posteros, maximam nobis habituros gratiam; & cum se opera nostra juvari sentient, fausta omnia nobis precaturos. Satis enim gloriae erit adeptum, si per me justitiae cursus ac tenor fiat aequabilis atque expeditior. Rerum amoeniorum asseclae, & inanis gloriolae captatores, quid garriant, quidve deblaterent; non curat Hippoclides. Quam ob rem de operis utilitate securus, de patrono illi adoptando, more institutoque recepto, subit cogitatio. Nam quemadmodum sine auspiciis nihil publice, nec domi, nec militiae Romae gerebatur; ita nec rite, nec caste, laborem hunc nostrum publicae luci committi crediderim, si auspiciis tuis destituatur, Eminentissime Princeps Francisce Aquaviva. Ad quod officium non una caussa me impellit. Primum beneficiorum abs te in me profectorum jocundissima recordatio, cui nisi perpetuo incubarem, nihil me esset ingratius, ipsumque solem exosum haberem. Deinde generis splendor & amplitudo, quae animi tui virtutes atque ornamenta non tam illustrant, quam comitantur. Ea enim es naturae praestantia, & spectata in rebus maximis prudentia; ut genti tuae clarissimae non tam sit gratulandum,

landum, quod tu majoribus quam simillimus evaseris, quam quod illi tui similes extiterint. Quos etsi non habuisses eximiae tuae nobilitatis & imaginum auctores; tua tamen ipse virtute animique excellentia ad amplissimas dignitates ac praeclarissima munera, in quibus summa cum laude versaris, viam stravisses. Merita enim tua immortalia, non autem honos clarissimae familiae tuae habitus, ad ea te evexerunt dignitatis insignia, quae apud homines summa judicantur. Quippe post legationem Pontificiam gravissime ac diligentissime in Hispania obitam, in amplissimum Purpuratorum Collegium jure ac merito tuo es cooptatus. Quod quidem praemium, si opinione hominum ac judiciis aestimetur, satis est amplum atque opimum; sin autem merito virtutis tuae; pene dixero, impar. Nam etsi inter egregiae virtutis ornamenta honorem hunc eximium ducunt ac singularem; magnitudo animi tui, amore gloriae correpti, ad majora connititur: non quidem apiscendi caussa, cum nusquam exstent, sed merendi. Hanc mentis animique tui praestantiam cum exploratam haberet Philippus V. Hispaniarum Monarcha, cum studio erga se ac felicitate conjunctam, gravissimorum negotiorum in Urbe tibi publice curam commisit. Quod quidem munus qua integritate, quo splendore, qua prudentia, qua gravitate sustineas, & vident omnes, & mirantur. Praesertim tam difficili tempore, & scopulosa Urbe. Incedendum enim tibi est spinosa via & salebrosa, ubi pedem saepe suspendas, atque restites. Si alterius enim Principis rem promoveas, in alterius offensionem incurras. Quod tibi homini gratissimo permolestum esse non dubito, cum utriusque beneficio ac liberalitate ad summos honores ascenderis. Tu tamen, qua es in rebus gerendis industria, ac solertia, officiorum tuorum rationem ita temperas, ut cum omnes muneris tui partes apud Regem sanctissime obiveris; a Pontificis tamen Maximi cultu & observantia nullus recedas. Cui par est te esse addictum, & jure amplissimi Collegii, & splendidissimi sacerdotii. Quod me dius-fidius non nisi acri judicio & perfectae sapientiae contingere potest. Quid referam mitissimum ingenium tuum, comitatem, & in convictu ac familiaribus colloquiis suavitatem incredibilem? quibus velut illecebris inescatos animos ac delinitos allicis atque devincis. Compellit item ad honorem simul ac reverentiam tui, gravitas sine acerbitate, majestas sine supercilio, magnificentia sine fastu. Quae omnia in maximarum rerum administratione, & parta eximiae virtutis artibus gloria, divina potius quam humana censenda, quis dubitet? Nec multiplices commissi tibi muneris curae (quae alios obruerent, te tantum exercent) animum illum tuum erectissimum, non dicam avellunt, sed abstrahunt, a fovendis doctorum hominum studiis, eorumque fortunis promovendis. Sed hoc tibi avitum, ac veluti per traducem a majoribus acceptum. Quando autem incidi in mentionem praestantissimae nobilitate familiae; verecundiae tuae consulens, ad memoriam me convertam laudum domesticarum.

rum. Cum propterea quod multum habet ponderis ac momenti in rebus humanis nobilitatis commendatio, tum ut ex eorum comparatione virtutem agnoſcas ex iiſdem ſeminibus eodemque genere propagatam. Quod ad originem clariſſimae hujus familiae attinet, literarum monumentis traditum eſt, Auguſtiſſimae Auſtriadum gentis eſſe propaginem, auctore quodam praeſtantiſſimo viro, qui ſub Henrico IV. Imperatore ex Auſtria in Campaniam Felicem demigraverat, & ex oppido AQUA-VIVA, ad Apennini radices ſito, ubi ſedes fixerat, cognomen ſumpſerat. Sunt qui ad Bavariae Regulos originem referant. Utut iſta ſe habeant; publicis certe atque exploratae fidei monumentis conſignatum eſt, * Ferdinandum Neapolitanorum Regem, annis abhinc ducentis circiter ac ſexaginta, Julium Antonium Aquavivam, ſeptimum Adriae Dynaſtam ejuſque poſteros, in Aragoniam familiam adoptaſſe. Unde ii poſtmodum *Aragonii* dicti. Quem terrarum angulum non perluſtravit inclyti progenitoris tui Andreae eruditionis ac eloquentiae fama, qua omnibus aevi ſui cultiſſimi longe antecelluit? Fatetur enim Alexander Neapolitanus (qui *Dies* ſuos *geniales* illi προσεφώνησε) ſe acre illius ſubactumque judicium oppido quam formidare. Neque ullum fuiſſe ſua tempeſtate in ſtudiis bonarum artium, omnique antiquitate aequa cum laude verſatum. Pontanus, qui Libros *de Magnanimitate* illi quoque dicaverat, ejus viri laudes longius prolatavit. Ejus verba proferam: *Et ſeni jam mihi, atque annos plurimos maximis in rebus agenti, gloriari etiam liceat, vidiſſe tandem principem virum, & mediis philoſophantem belli ardoribus, & philoſophorum inter libros, naturaeque ratiocinationes, tractantem ducum artes, muneraque imperatoria. Utrumque cum dignitate, neutrum ſine ſuo & decore & laude.* Fuit etiam doctrina morumque ſanctitate inſignis Joannes Antonius Aquaviva: quo illum nomine eorum temporum aequales ampliſſimis laudibus exornant. Joannis Hieronymi Aquaevivae fama, & multorum aeternis praeconiis, & Petri Victorii, doctiſſimi atque honeſtiſſimi viri, elogio conſecrata eſt. En illud: *Quare vere legitime conjuncta ſunt in te poteſtas & ſapientia, & utraque perfecta ac cumulata: quod paucis mortalibus omni memoria contigit.* Quid patris tui, clariſſimi viri, recentem memoriam attingam? quem fuiſſe omnes fatentur, & gravitate, & conſilio, & auctoritate, Neapolitanae nobilitatis facile principem. Vellem profecto Joannis Hieronymi Aquaevivae, fratris tui optimi atque amantiſſimi, nomen praeterire; hancque officii inſtitutique partem potius deſerere, quam tibi vulnus refricare acerbiſſimi luctus. Quid, tibi? imo patriae, regno, ſtrenuiſque omnibus ac fortibus viris. Qui fratre tuo rebus humanis erepto, & animis ſimul, & ſpe recuperandae patriae ceciderunt. Qua ille conſtantia carcerem, vincula, bonorum proſcriptionem, contumelias, denique mortem! ut jurisjurandi ſanctimoniam, ac fidem, quam Regi dederat, illibatam praeſtaret. Nec tu primus es, Princeps Eminentiſſime, qui ſacram iſtam purpuram induiſti. Vetus

tus

tus hoc amplissimae tuae familiae insigne. Ut in Julio, & Vincentio, ac denique praeclarissimo illo Octavio, Neapolitano Archiepiscopo, viro magnanimitate, sapientia, eruditione, liberalium disciplinarum humanarumque literarum cognitione, Graeci Latinique sermonis cultu, ac denique Sacrae Theologiae scientia longe praestantissimo. Ut abunde testantur consignata ab eo posteris clarissima literarum monumenta. Sed inter eos qui sacra tractare, & Ecclesiae ministerio addici maluerunt; maxime praefulget clarissimus ille Claudius Aquaviva, qui cum a cubiculo esset Pontifici Maximo Pio V. jam dudum inter Divos relato, & spe esset optima honores amplissimos adipiscendi; rebus humanis valere jussis, Ignatiani Sodalitii institutum amplexus est. Ubi ea se gessit prudentia & sanctimonia, ut illae sibi fraudi fuerint, quo minus optato otio frueretur, ac coelestibus tantum vacaret. quod unum in votis habebat. Nam perspecta, praeter caeteras virtutes, ejus ingenii solertia, animique praestantia; Neapolitanam primum, deinde Romanam provinciam, ejus curae atque institutioni commendarunt. Quo munere diligentissime obito, universo Sodalitio praefectus est, cum annum ageret octavum & tricesimum. In cujus officii administratione (quam per annos gessit quatuor & triginta) iis Christianae pietatis, & civilis sapientiae regulis praeclarissimi Sodalitii regimen temperavit; ut in posterum Praefecturae munus expeditius, & subditorum onus levius videretur. Cum tot autem, tamque egregia sint praestantissimi hujus viri merita; tamen ea longo intervallo superavit Rodulphus Aquaviva, ejusdem Sodalitii: qui humanae fluxaeque gloriae insignia fugacia & caduca reputans; ut sibi pararet immortalia, ad Indos, aliasque gentes ad solis ortum sitas, incredibili constantia penetravit. Utnimirum eas falsis religionibus & nefario idolorum cultui addictas, a caligine illa eorum animis offusa, ad veritatis evangelicae lumen traduceret. Quo in molimine infinitis pene aerumnis ac periculis exhaustis, cum plurimos salutari baptismate abluisset; barbarorum odio ad necem quaesitus, tandem occubuit. Quoniam vero mirabilis fuit sanctissimi hujus viri in oppetenda morte constantia; visum est funestissimi hujus casus memoriam qualicumque hoc monumento consignare. Cum jam de infesto persecutorum adventu rumor increbresceret; Indus quidam ab eo fidei mysteriis initiatus, cui Rodulphi salus propria salute erat carior; equum in quo ipse vehebatur, magistro obtulit, summis precibus & obtestatione ab eo contendens, ut ne capessendae fugae occasionem dimitteret. Ea esse equum pernicitate, ut persequentium conatus facile eluderet. Gratias egit Rodulphus, & in vestigio perstitit, barbarornm adventui praestolans: qui cum propius accessissent, minaci fremitu insanoque vultu interrogarunt, quisnam eorum esset *Magnus Pater?* Sic enim appellabant Rodulphum. Quod cum ex astantium nutu atque affectibus facile intellexissent; unus eorum stricto acinace aversum feriens, poplitum nervos succidit: quorum

ope

ope destitutus Rodulphus, in genua procidit. Ac protinus nudato mira alacritate collo, rejectaque in sinistrum humerum veste, cerviceque in dextrum inflexa; eam impiis percussoribus feriendam obtulit. Quam alius duplici vulnere impacto pene rescidit. Sagitta deinde per pectus adacta transfixus est, brachiumque totum una cum humero amputatum. Tum demum cecidit, purissimamque animam efflavit. Tradidere viri gravissimi solitum illum fuisse inter fundendum preces, ubi spiritus incaluisset, diffibulato collari, cervicem porrigere quasi mactabundus, hisce verbis clare prolatis: *Paratum cor meum Deus, & paratum collum meum, Deus cordis mei.* Qualem igitur te esse oportet, Princeps Eminentissime, cum tam illustria tibi proponantur a majoribus exempla virtutum? Nimirum qualis es. Quae enim inter domesticos heroas sparsa reperiuntur; in te uno (quae tua est animi amplitudo) collecta miramur atque exaggerata: magnanimitatem nempe, prudentiam, lenitatem cum severitate conjunctam, beneficentiam ac liberalitatem, fidem adversus Regem, morum sanctimoniam, in rebus afflictis constantiam, in laetis temperantiam & moderationem, in arduis praesentiam animi, in tractandis rebus civilibus vim quandam mentis & acrimoniam, in doctorum hominum studiis fovendis alacritatem. Quarum ego virtutum illecebris captus, qualecumque hoc, si minus ingenii, laboris saltem ac industriae monumentum, tibi ultro appendere, ac tutelae nominis tui committere, non erubui. Tu, mitissime Princeps, conatibus studiisque nostris, ut assoles, fave, ac vale.



V. EMMANUELI MARTINO

Musarum Mystae,

CAESAR PORTOLANUS

S. P. D.

Romam.

CUm Joannes Baptista Petruvius, tribulis meus mihi in paucis charissimus, acceptissimusque, Urbe relicta, ubi diutius erat immoratus, se domum retulisset, mecum sermonem instituit de Urbis ejusdem statu, & praesertim de scientiarum cultu, deque literatorum numero, qui in praesentia Romam incolunt, multum disseruit. Sed inter hujusmodi sermones suspirans, & quasi vulnere refricato dolens, heu, dixit, quantum jacturae Latina, quantum Graeca lingua in unius viri morte perpessa est! Janus Vincentius Gravina, quo familiarissime utebaris, quam diu te Roma deti-

detinuit, mi ſuaviſſime Caeſar, ambarum lumen clariſſimum, hoc labenti anno maximo Italiae noſtrae detrimento, Parcarum invidia nobis ereptus eſt. Hem! quid refers, dixi, dulciſſime Petrucci? quid nuncias? Muſarum ergo Arbiter, Parrhaſii nemoris vox unica, & lex, ſpes altera recentis Romae, Gravina noſter mortuus eſt? Occidit equidem, ille reſpondit, & una cum illo pariter utraque lingua occidiſſet, vel penitus ab Urbe exſulaſſet, niſi cura Deum, quae utique in Urbem illam maxima eſt, Emmanuelem Martinum, ſpem alteram Romae recentis, ab Hiſpaniis Romam revocaviſſet. Papae! Quid audio? Emmanuel Martinus, noſtri ſaeculi decus, & ornamentum, gentiſque ſuae rariſſima gloria, ille voraciſſimus librorum helluo, Muſarum myſtes, acerrimus Philodemi vindex, ac lepidiſſimus Sectano-maſtyx, qui tot annos amicis omnibus, mihique in primis, Romae, totique Italiae ſui deſiderium fecit, Romam reverſus eſt? Utique, dixit Petruccius, tantaque laetitia literatos omnes affecit, quantum ipſi maerorem ex Gravinae morte contraxerant; alterum enim ex duobus Romae luminibus Emmanuel Martinus a cunctis habetur. Gratulor propterea tibi, Emmanuel eruditiſſime, amicorum optime, tanti te merito in Urbe fieri, quodque relicto patrio coelo, ſub Romano vivere tibi lubeat, quod hercle facilius poteſt & tuis virtutibus praemia reddere, & tuos labores, in aſſiduo ſtudiorum tuorum curſu pertinaciter impenſos, reficere, & literatis omnibus, de quibus ſemper es optime meritus, ſatisfacere; in quibus Vir clariſſimus, ac Senator ampliſſimus, Philippus Buonarrotus, patronus meus, tuique amantiſſimus, primas haberet, ſi iſtic eſſet; adeo eruditionis, ac elegantiae tuae tenax eſt, adeo priſtinam amicitiam fovet, qua tibi conjunctus erat, ut, cum nuper Florentiam petiverim, ubi inter Patres Florentinos numeratus nulli ſecundus eſt, ipſiuſque patrocinio fruiturus ipſum conveniſſem, commemorata veteri amicitia, quam cum Ciampino habuerat, illico de te mentionem fecerit; multuſque fuit in tuis merito laudibus extollendis, mihique diſcedenti negotium dedit, ut quum primum ad te ſcriberem, a ſe te ſalvere juberem, quod nunc facio lubentiſſime. Dum haec ad te ſcribo, Emmanuel doctiſſime, mihi frui videor tua dulciſſima conſuetudine, in qua tantum delectabar, dum iſtic tecum eram, ut nihil mihi dulcius, nihil optatius, nihil charius, nihil denique antiquius unquam fuerit, quam ex ore tui diſſerentis, ac me ſemper novis eruditionibus imbuentis, diu noctuque pendere. O te felicem literariis tantum modo negotiis implicitum! O te beatum, qui Romam colis! ubi doctrina, & eruditio tua magis magiſque eluceſcet. Ego e contra infelix, ac aerumnoſus inter rupices, ac ſtolones degens, ubi adhuc ignoratur, quid diſtent aera lupinis; inſulſiſſimis morionibus in praeſens exagitatus miſerrimus eſſem, niſi me in Philippi Buonarroti Senatoris ampliſſimi, ac Marchionis illuſtriſſimi Rinuccini, patronorum meorum, clientelam commiſiſſem. Cum fucis ignaviſſimis mihi res eſt, ſed nihilo

 minus

minus mihi negotium facessunt; belluae alioquin suopte ingenio multo miseriores, quam miseros reddere possint homines, in quos feruntur, ac impetum stolidissimum faciunt; quippe proprio livore tabefactae, ne dicam penitus confectae, & alienis meritis exulceratae, poenas luunt antequam laedant. Sed manum de tabula, ne tibi, Emmanuel humanissime, stomachum faciam meis ineptiis nauseam redolentibus, tibi, inquam, tuisque emunctissimis naribus myrrhinam exhalantibus. Si mihi rescribes, commodius literas Bononiam mittere poteris, tamque id mihi erit gratum, quam quod gratissimum: si me literis tuis commendatum voles Buonarroto Senatori clarissimo, illustrissimoque Marchioni Rinuccino, amicis tuis, meisque clementissimis Patronis, me tibi magis magisque devinctissimum reddes; scio enim literas tuas maximum apud utrumque pondus habituras. Vale, Vir clarissime, etiam atque etiam, & fac ut sciam me quotidie plus a te diligi: nam te sicut semper dilexi, ita in praesens & colo & observo. Ex Divi Petri oppido in Valle Balaei, III. Kal. Sextileis, Anno a Virginis Genitricis partu, MDCCXIIX.



VI. EMMANUEL MARTINUS CAESARI PORTOLANO,

Ocello suo

S. D.

Burgum S. Sepulchri.

MAjoremne mihi voluptatem attulerint literae tuae, an aegritudinem, mi Caesar, profecto dicere non queo. Eo enim tempore mihi redditae sunt, quum in Hispaniam erat remigrandum. Nam jussu Regis indictum est Hispanis omnibus, Urbe facessant, domumque se conferant. Si quis pervicacius obstiterit, gravissimae poenae inflictae, perpetuum exsilium, bonorum publicatio, ignominia. Quo tristissimo casu nihil mihi accidere potuit aerumnosius; cum uno hoc ictu non omnia tantum animi nostri oblectamenta, sed & spes ipsae, penitus dejiciantur prosternanturque. Eoque detrudar fati acerbitate, unde mitiorum literarum amor amoeniorumque studiorum nos abduxerat. Sed parendum Diis iratis, ac insanienti fortunae. Tentanda denuo maria, ac venti lacessendi. At cui bono? Quam maximo scilicet. Ut tetra nostratium ingenia, ut futilium blateronum nugas, ut Scholastica tintinnabula, ut inania denique tympana vento fastuque distenta, mirabundi auscultemus; vel, si Dis placet, etiam laudemus; ne nos exploso sibilo inter pecudes ablegent. Incre-

credibili igitur quodam moerore affectus, Caesar jocundissime, literas tuas, caeteroqui gratulatione dignissimas, tantoque mihi opere optatas, non solum ea non legi qua par erat laetitia, sed lacrymis pene delevi. Quo enim in iis clariores notae sese prodebant amoris, studii, officii, observantiae erga nos tuae, eo altiore vulnere conficiebamur. Nec commisissem unquam ut in hoc literarum officio nos praevertisses, nisi animus aeger atque omnia fastidiens, veritus esset eum amorem expergefacere, cui esset mox vale dicendum. Quando quidem autem tua sponte me provocasti; quod vales, quod viget amor nostri, bene est. Unum illud peracerbum perque molestum, a doctorum hominum societate & commercio te penitus exclusum, in moestissima isthac solitudine consenescere. Quo infortunio homini erudito scientiarumque cultori ecquodnam accidere potest calamitosius? Quaerit animus laxamenta, nec invenit, angitur, aegrescit, sensimque contabescens, laboris inanis fastidio in eandemmet devolvitur ignaviam, quam maxime aversatur, ac fatali quadam contagione, quam in aliis detestatur, rubiginem contrahit. Etsi te minime ea peste afflatum, literae tuae plane nos admonent. Scriptae enim sunt perelegantur sane ac pervenuste. Sed ad res nostras, quarum summa haec est. Aestivo calori leniendo, malignoque sideri vitando Tusculum diverti, ubi in praesentia dego. Ubi primum licebit mihi per anni tempus excutere has compedes, e vestigio Urbem repetam, parabo viaticum, sarcinulas colligam, quas committam fluctibus. Ego autem expedito ac terrestri itinere Liburnum contendam. In transcursu tamen Florentiam cogito, ut Rinuccini ac Bonarrotae oculis dissuavier. Ibi, quae tua sint in me officia, quae voluntas (nam de virtute ac doctrina nihil est opus, cum omnibus sint perspecta) coram diligentissime exponam, illisque res ac fortunas tuas quam accuratissime commendabo. Profectionis nostrae nullam habeo praestitutam diem. Multa enim prius sunt expedienda. Si tamen conjectura aliquid assequor, videor mihi circa Idus Octobreis discessurus. Pertinet enim ad incolumitatem nostram, quando mare periculosum vitare non possumus, saltem vitare clausum. Quam tu mihi voluptatem, si Florentiae occurreres! Non mihi tanti essent vel septem vultures, aut si quid est illis auspicatius. Sed de his tu viderls. Equidem exspectabo literas tuas: quibus ubi rescribam, appingam aliquid enucleatius. Viamque indicabo, qua frui nobis liceat in posterum mutuo literarum commercio, incolumi crumena. Interea valetudini tuae consule, & (quod perbelle facis) nos amare pergito. Tusculo, pridie Kal. Septembreis, An. MDCCXVIII.



EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

EPISTOLARUM LIBER XI.



I. *Illustrissimo atque Eruditissimo Viro*

EMMANUELI MARTINO,

SCIPIO MAFFEIUS MARCHIO

S. D.

Alonam.

MIrum est, Vir doctissime, quam ex abrupto, & ab insperato nomen tuum, doctrinamque una, atque humanitatem singularem hac ipsa die didicerim, nullaque interposita mora literas ad te dare, de amicitia instituenda obtestari, opem tuam exquirere, confestim decreverim. Homo Veronensis sum, antiquitatis amore captus, & bonarum literarum studiis impense deditus: Opus molior de re lapidaria, quam ornaturum me, ni fallor, aliquanto, atque illustraturum spero. Florentiae nunc commoror, ut a domesticis tricis liber huic instituto

ſtito vacare poſſim. Querebar autem cum Marchione Carolo Rinuccinio, viro undequaque eximio, ſermonem habens, quod de quavis fere Europae provincia multa ab amicorum epiſtolis didicerim, quae ad rem meam quam maxime facerent, praeterquam de Hiſpania, quae tamen mihi his de rebus agenti prae reliquis cordi eſſet. Tum vero hortatus me ſtatim eſt vir perhumanus, ut de quibuſcumque doceri cuperem, ſcripto declararem, quod in Hiſpaniam miſſurum ſe, & de reſcripto item curaturum eſt pollicitus. Domum reverſus, poſtulationes, quas in adjuncta pagella vides, digeſſi: vix dum deſieram, en bono quodam favente Genio ductus Philippus Bonarrotius Senator advenit, cui cum quaeſita perlegerem, conſiliumque, ut ſoleo, aperirem, bono me animo eſſe juſſit; doctum enim, & antiquariae rei maxime peritum in Hiſpania virum ſe indicaturum, qui mihi tanquam Deum aliquem ſe in hoc negotio praeſtaret. Tum laudes tuas ingreſſus, Diſſertationem de Theatro Saguntino a te pereleganter lucubratam mihi promiſit oſtendere, utque de Hiſpanicis Inſcriptionibus omnino tecum agerem, cur, & quo ſuaſu has ad te literas properanter dederim: cum eas Marchio Rinuccinius ſibi ſtatim tradi oportere monuerit, neque te fuſius alloquendi, neque exaratae jam pagellae addendi quicquam facultas ſuppetit: quam ob rem illam ipſam, ut jam exſcripta erat ad te tranſmitto. Votis meis annuas pro humanitate, qua praeſtas, deprecor; reſponſumque tuum Bernardo Cambio, qui Magni Ducis negotia Madriti procurat, mittas, ut is ad Marchionem Rinuccinium dirigat. In rei literariae bonum cura ut valeas.

„ Ab eruditis Hiſpaniae Viris, quibus quin etiam num ampliſſimum „ Regnum floreat, ut omni aevo floruit, ambigendum non eſt, ſubſe„ quentes expetuntur notitiae, pro quibus maxima habebitur humaniter „ faventi gratia, & ejus nomini publice, & cumulate rependetur honor.

„ In Hiſpaniarum Provinciarum Urbibus, oppidis, pagis, viis, agris „ ſuperſtiteſne ad hanc diem viſuntur veteres inſcripti lapides? ſeu Ro„ manae ejus generis Inſcriptiones, cujuſmodi Gruterus praeſertim vim „ immenſam collegit, ac vulgavit? Fuiſſe olim in iis provinciis plurimas „ ſcimus, ſed utrum hodie ſuperſint avemus ſcire.

„ Si ſuperſunt, magno ne numero, an exiguo? & quinam praecipue „ loci iis abundant magis? praeterea qua forma ſunt? num cipporum, te„ retumque columellarum, an quadratarum baſium? exilium tabularum, „ an ſaxorum ingentium? Lapidis genus nativumne eſt, an peregrinum, „ & exoticum? albo lapide, & ad titulos incidendos apto abundatne Hi„ ſpania multis in locis?

„ Inſcriptiones, quas tanquam in Hiſpania exſtantes edidit olim Grute„ rus, ſuperſtiteſne generatim ſunt? de omnibus quidem vix credendum, „ ſed tamen magna ſaltem parte? Si ita eſt, reperieturne vir doctus ali-

S 3 „ quis,

„ quis, qui spectatiores inter editas cum ipsis lapidibus conferre velit, „ plurimosque, quibus libri scatent, errores emendare?

„ Harum autem, quae in pluribus habentur voluminibus, Inscriptio- „ num, quis primus editor fuit? quis de iis ante alios sermonem fecit? „ Apud Gruterum erutae dicuntur ut plurimum ex Morali, & Schotto, „ & Strada, & Resendio: at quis praecessit? & quo in opere? & quis ex „ istis, sive quis alius majorem earum partem protulit? Forte in MSS. „ Hispaniae Codicibus vetustior aliquis Inscriptionum Collector latet in „ Italia nondum agnitus, cujus notitiam acceptissimum nobis erit adipi- „ sci. Qui fieri potuit, ut quam multae a Grutero ex Hispania Inscrip- „ tiones afferrentur, quas ab Auctore alio nullo vulgatas novimus? Schot- „ tus ille, & Strada iidemne sunt aliis etiam nominibus Reipublicae lite- „ rariae noti, an alii qui literas in Hispania coluerint? eorum Schedas „ tam saepe a Grutero appellatas estne qui viderit?

„ Eruunturne in dies, ut in Italia usu venit, etiam in Hispania monu- „ menta hujusmodi? Si eruuntur aliquando, eritne quem Inscriptiones „ non multo abhinc tempore detectas, ac nondum editas diligenter ex- „ scribere nequaquam pigeat, exscriptasque ad nos mittere, ac per Epi- „ stolas communicare? Qui id fecerit, ejus nomine honorifice praefixo, „ & non sine condignis laudibus in publicam lucem brevi prodituras, „ sciat.



II. EMMANUEL MARTINUS

Alonensis Decanus,

Illustrissimo atque eruditissimo Viro

SCIPIONI MAFFEIO MARCHIONI

S. D.

Florentiam.

Literae tuae, in quibus nulla erat appicta dies, redditae mihi sunt diligentissime. Exosculatus sum in iis antiquitatis studium, eruditionem, humanitatem, caeteraque animi tui ornamenta, quae me altius pupugerunt. At quoniam angustiae temporis, ob brevem Tabellarii moram, non sinunt me singulis abs te quaesitis enucleatius respondere; id unum appingam, rem tibi fore cum homine mortalium omnium φιλαρχαιοτάτῳ ϰ̀ τῶν φιλαρχαίων studiosissimo. Quare, nihil accidere mihi potuit jocundius, Vir humanissime, quam ut a me mutuum hoc literarum officium reposceres. quod equidem praestabo Attica fide. Hem manum. Ad singula autem capita a te missa, alias accuratius. Interea id volo, ut ne nescias,

ſcias, penes me eſſe ultra quadringentas Inſcriptiones veteres, quas fruſtra quaeſieris apud Gruterum, Reineſium, Fabrettum, alioſve συλλογεῖς. Eae omnes, ſi alicui tibi uſui, curriculo ad te. Reperies in ſtupendo Syntagmate Monfalconiano *Antiquitatis explicatae*, Inſcriptionem quandam Iſidis eximio illi viro a me miſſam, qua nihil exſtat elegantius atque venuſtius. Carolo Rinuccino, & Philippo Bonarrotae, cariſſimis mihi capitibus meo nomine ſalutem reddes. Tuque vale, & nos ama. Alonae, Kal. Majis, An. MDCCXXII.



III. *Viro doctiſſimo*

EMMANUELI MARTINO,

Alonenſi Decano,

S. P. D.

SCIPIO MAFFEIUS.

Mihi in antiquis Inſcriptionibus haud perfunctorie deſudanti divinitus plane accidiſſe arbitror, ut quod Hiſpanicas ſpectat, ad te confugerem, & ab eruditione tua cum paucis comparanda, nec minus celebranda humaniter ſubſidium expoſcerem: optime enim ab epiſtola tua intellexi, non aliunde mihi tantundem adjumenti, notitiarum, monumentorum exſpectandum eſſe. Quid ais, Vir eximie, & mihi jam ſupra quam credi poſſit chariſſime? Quadringentas ad me Inſcriptiones veteres miſſurus es Grutero, Reineſio, Fabretto non agnitas! Hoc ego munus ampliſſimum *Theſauris Arabum & divitis Indiae* procul dubio praeferam. Iis ego tanquam gemmis nitidiſſimis Commentarios diſtinguam meos, & nomine tuo ac laudibus praemiſſis ut literatus orbis tibi gratiam habeat, operam dabo. Fac ergo, ut ubi commode poteris, fidem liberes, atque ut merx tam praeclara ad Italas advehatur oras, quam primum cures. Iidem Bernardus Cambius, & Marchio Rinuccinus operam ſuam benigne impertient. Id vero maxime cordi ſit, ut qua Inſcriptiones prodeant auctoritate ac fide, apprime conſtet, & num ab ipſis marmoribus recenter exceptae fuerint, an e veteribus ſchedis hauſtae? Non minus avide quaeſitis ſingulis, quae ſuperioribus literis propoſui, reſponſum exſpecto. Montfauconii Collectionem inſignem nondum vidi: mireris puto: at illa Florentiam nondum appulit. In cauſa potiſſimum eſt, quod Antiquitates ejuſmodi ab hominibus Gallis editae ac pertractatae horumce literatorum animum ne quaquam movent. Ego tamen propediem, ni fallor, aſpiciam, nam ut mihi ea volumina tranſmittantur ad amicum Venetum literas

teras dedi. Varii generis opuscula, quae vulgavi, ad te mittere vehementer opto, & faciam statim ac opportuna suppetat occasio. Eruditissimus Bonarrotius, qui te plurimum amat ac suspicit, Marchio Rinuccinus omnium elegantiarum prototypus, Salvinius quoque Graecarum literarum, ut cum lapidibus nostris loquar Σωτὴρ καὶ κτίστης, cui per me nuper innotuisti, te impense salutant, ac laudant. Ego ut mihi vicissim aliquid injungas, etiam atque etiam cupio, & valere te, ac prospera undequaque fortuna uti iterum atque iterum jubeo. Dabam Florentiae, Idib. Juliis, An. MDCCXXII.



IV. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo viro

MARCHIONI MAFFEIO

S. D.

Multa quaeris, Vir eruditissime, nec sane obvia, nec extricatu facilia: adde, ab homine Hispano. Tamen, quando me per literas compellare tibi placuit; connitar profecto, ut minus te initi consilii ac locatae operae poeniteat. Nulla est toto orbe terrarum provincia, si Italiam excipias, Hispania illustrior antiquitatis monumentis. Scatet universa pontium, aquaeductuum, templorum, theatrorum, circuum, amphitheatrorum, aliorumque publicorum aedificiorum ruinis. Quorum magnam partem nostratium potius, quam saeculorum injuria diruit atque delevit. Ea est Hispanorum natura atque indoles, ut Ethnicorum (ita Romanos appellant) monumenta evertere, pietatem appellent. Seque eo officio Deum maxime sibi propitiare arbitrentur. Hem praeposteram pietatem! Sed qui aliter accidere potest in regno stolidae atque inerti Cucullatorum nationi obnoxio! A Monachorum monitis vel latum unguem discedere, nefas ducunt. Quicquid illi effutiunt, tanquam ex Apollinis tripode edita oracula, venerantur. Quo infami obsequio ignavissimi homines turgentes; inferiorum supplicia iis minitantur, si vel ad aliquod vetustum simulacrum oculos vertant. Itaque simulac ejusmodi aliquid effossum fuerit, sceleratas illi manus injiciunt, discerpunt, detruncant. Neve sol iste ejus adspectu polluatur, disjecta illa membra, vel in aedificiorum fundamenta demergunt, vel pro caemento in interiores parietes detrudunt. Emergit rarissima aliqua protome, vel Caesaris, vel praestantissimi alicujus philosophi, vel oratoris? idolum est, pereat. ac statim Dagonis cladem experta, discerpitur. Itaque fortunae beneficium, indigenarum insci-

inscitia corrumpit. Par insania, eademque saevitia, in monumenta, ut ita dicam, majorum gentium. Exempla duo adferam admodum luculenta. Alterum est Theatri cujusdam Saguntini, alterum Amphitheatri Italicensis. Tu interim harum pecudum stupiditatem mirare,

——— *& crimine ab uno*
Disce omnes.

Exstat Sagunti Theatrum quoddam bona sui parte superstes. Haberemus autem integerrimum, si per maleficas Saguntinorum manus licuisset. Quippe illi monumentum hocce de compacto demoliti sunt, lapidibus fere omnibus, quibus exterius incrustabatur, avulsis; coenobio cuidam, privatisque domibus exstruendis. Nec dubium est quin funditus fuisset eversum, ni operis durities & pervicacia ferri insolentiae restitisset. Ei tamen, quantum in me fuit, vitae lumen aspersi. Extorsi enim a Saguntinis publicum decretum, quo gravissima poena iis indicitur, qui illud cumque igni ferrove violaverint. Porro illius descriptionem elucubravi, quam potui diligentissime. Quam vir eruditissimus Bernardus Monsfalconius Antiquitatis explanatae syntagmati inseruit. Amphitheatrum Italicense cum duriore sorte conflictatum est. Nam cum Hispalenses lapidibus opus haberent ad aggerem murumque exstruendum adversus vim fluminis, a quo Urbi periculum imminebat; publice decretum est, ut Amphitheatrum hocce (quod in veteris Italicae vestigio adhuc exstabat, pulcherrimum mehercules atque integerrimum) funditus subrueretur; allatis eo tormentis, ac suffossis scrobibus pyrio pulveri admittendo. quo tota illa compages prosterneretur. quod egregie factum. Nec tamen eventus eorum diritati plene respondit, obsistente veteri structura, quodam perdurandi amore. Bene sit Baeti, qui primo statim insultu nefarium illud opus diruit disjecitque. Ejus tamen Amphitheatri faciem superstitem, una cum ichnographia, ad clarissimum Monsfalconium misimus, qui ea in eximio suo opere edidit. Hinc facile agnosces quantam cladem experti fuerint inscripti lapides. Credunt enim vulgo, avita quadam superstitione, priscis illis characteribus illigatos esse tetros quosdam spiritus, vel defossae pecuniae tuendae, vel alia de caussa. Rem lepidam tibi narro, quae Hispali mihi accidit. Erat vetus quaedam Inscriptio in angulo aedium Ducis Alcalaei: sat quidem illa longa, & quae multorum versuum serie hominem Antiquitatis studiosum vehementer allexerat. Sed vel lapidum, vel fabrilis upupae ictibus, adeo lacera atque attrita, ut de ea extricanda oppido quam diffiderem. Tamen etiam negotium cuidam dedi, uti uda spongia literarum ductus quam diligentissime detergeret. Injecit primum ea res stuporem spectantibus. Deinde cum contenebrasset, face accensa ad lapidem accessi. Expertus enim sum, tam numismata, quam Inscriptiones, admoto lucernae lumine, obliterata illa vestigia clarius ostendere: propterea

quod illa vegetiore lumine icta, ope densioris umbrae vividius exstent atque emineant. Fit concursus praetereuntium. Quidam rei novitate velut attoniti, immoti stabant. Alii operam nostram irridebant, tanquam inanem ac futilem. Alii denique me thesaurum excantare serio existimabant. Quid plura? Die postera per totam Urbem sermo diditus est, Alonensem Decanum thesaurum quemdam, arcanis quibusdam carminibus excantatum, eruere. Vidistin' homines magis asinos? Est praeterea quod rideas. da operam. Exstat Inscriptio quaedam Hispali, sane integerrima, ad ostium sepulchreti, quod templo maximo adhaeret. Eam ut transcriberem eo me deportavi. Cumque jam palimpsestum ac stylum in manibus haberem, tanquam ad novum aliquod spectaculum, sacerdotes, caeterique fani ministri, glomeratim conveniunt. Forte enim tum temporis sacra peragebantur. Caperare illi frontem prae stupore, mirari confidentiam nostram, vel, si mavelis, solertiam: quod ea enodanda suscepissem, quae nemo mortalium (ut ipsi ajebant) ad eam usque diem extricare potuisset. Erat autem Inscriptio (ride si sapis) grandiore charactere & quadrato, & quidem elegantissimo, exarata: utpote Hadriani tempore. Sed negotium illis facessebant compendia illa verborum. Itaque ut nos viderunt feliciter opera illa defunctos, peritiae nostrae applaudere; nosque praedicare vel Oedipo ipso sagaciores. Haec eo praemisimus, ut intelligas quo in statu sint Humaniores hae literae in Hispania. Scatent omnia ejusmodi Epigrammatis, & quotidie eruuntur: pluresque adhuc superessent, nisi effodientium stupiditate perirent. Per proxima bella, cum eruditi quidam Angli Tarraconensem agrum diligentius lustrassent; magnam Inscriptorum lapidum vim duabus onerariis impositam, in Magonis portum miserunt, ut inde in Angliam veherentur. Etiam in Galliam nonnihil abductum. Etsi autem hujusmodi Inscriptiones per universam Hispaniam passim reperiuntur; frequentius tamen occurrunt in agro Tarraconensi ac Celtiberia. Apud Edetanos in agro Saguntino atque oppidis circumjacentibus. Praesertim autem in universa Baetica. Quae regio inter omnes Hispanienses soli ubertate, ac felici ingeniorum proventu, habebatur eximia. Nec ulla est quam Romani exercitus magis contriverint; vel quae magis exercuerit Romanum militem. Nulla tamen re felicior (ut mea fert) quam Plinii Secundi praesentia, qui P. Romani procurator diu in ea versatus est, cum maximo Baeticae gloriae incremento. Habemus enim ejus regionis topographiam ab eo accuratissime scriptam. quam diligentiam in reliqua Hispania minime adhibuit. Sed saltuatim, ac veluti festinanter, percurrit. Multa quoque exstant in Gallaecia scripta monumenta. Apud Vascones & Cantabros non adeo multa; propterea quod eae gentes duriore vitae genere usae fuerint, & togatis moribus minime congruente. Praesertim Cantabri, qui non nisi ab Octaviano Augusto, fero tandem, & vix quidem, in potestatem redacti. Hispanienses Inscriptiones exa-

exaratae fere sunt in lapide vernaculo, marmore quidem aliquanto obscuriore, sed solidissimo, coelique injuriis sustinendis quam aptissimo. Etsi non idem ubique saxum: sed variat materia pro regionis vel ingenio vel copia. Occurrunt etiam inscripta marmora: quae non dubito olim apud nos eruta. Certum enim est magnam esse hodie in Hispania marmoris copiam; itemque jaspidis, crystalli fossilis, ac cujusdam lapidis, quem aurea scobe, sive ramentis, aspersum dixeris: ex quo mensae fiunt citrinis longe nobiliores. Effoditur etiam genus quoddam marmoris nitidissimi ac pellucidi, simile illi quod nobis exhibet Romae elegantissimus ille Meleager in aedibus Piccinorum. Immo longe διαφανέστερον: illique simillimum, ex quo Nero Fortunae Sejae templum construxit, auctore Plinio. Cui lapidi, in Cappadocia reperto, nomen erat Φεγγίτης.

Quaeris a me, mi Maffei, num Inscriptiones illae Hispanienses a Grutero editae, adhuc supersint? Neque id tantummodo; sed, num universae, num aliquae? Serione id dicis, an joco? Qui enim id scire possumus, nisi adito Trophonii antro, aut consulta quercu Dodonaea? Majore etiam difficultate laborat id quod subjungis. Ecquis reperiatur vir doctus, qui editas Inscriptiones cum ipsis lapidibus conferendi negotium in se recipiat? Papae! Unus aliquis? Non, vel si trecentos adhibeas, huic rei suffecturos arbitror. Porro, si unus aliquis (usus enim es hoc verbo) quo viatico? cujus impensis? quibus viribus? quo annorum spatio? Vix enim toto vitae curriculo haec aliquis summo cum labore conficere possit. Ad haec, unde eruemus virum hunc rei antiquariae gnarum, quem huic provinciae praeficiamus? Nostratibus enim haud magis ista conveniunt, quam bovi clitellae, aut feli κροκωτός. Itaque, mitte istas nugas, & aegri somnia. Quis primus vetera Epigrammata publicae luci commiserit, non satis habeo compertum. Scottus & Strada illi ipsi sunt aliis editis monumentis clari. Eorum tamen schedas nemo, quod sciam, vidit, praeter Gruterum. Sed quid id refert? fidelissimae quidem illae: nec aliquis unquam eas mendacii insimulavit. Morales & Resendius eas protulere, quae ad historiae fidem adstruendam pertinebant. Scripsit enim uterque res Hispanicas. Sed Morali (etsi viro naris emunctissimae, acerrimique judicii) imposuerunt saepe Inscriptiones illae subventaneae atque hypenemiae, quibus veritati bellum indixerunt Cyriacus Anconitanus, Janus Camers, Annius Viterbiensis. Flagitia hominum, non homines, & serendis figmentis nata monstra. Cum Hispali agerem, codicem quendam MS. ad me venum attulerunt. In eo codice nihil continebatur praeter veteres Inscriptiones. Sed ἀνώνυμος plane erat atque ἀδέσποτος, nec manu satis docta exaratus. Quare, etsi vili emere potuissem; nolui tamen abuti pecunia. Quod scire aves, num, quemadmodum in Italia, etiam in Hispania, nova in dies eruantur inscripta saxa? Eruuntur sane. Sed partim in antiquas tenebras redeunt, partim neglecta jacent & ingloria. Caussa

 du-

duplex, ſuperſtitio & ignorantia. Iis auctoribus ſumma obſcuritate laborant res Hiſpanicae. Obſcuritate tantum? Immo commentitiis narrationibus, & anilibus fabulis. Quid enim impollutum reliquerunt impudentiſſimi illi nebulones, qui perſonam ſibi impoſuerunt, Flavii Dextri, M. Maximi, Luitprandi, Helecae, Auberti Hiſpalenſis, A. Hali, aliique hujus furfuris? Qui ut mendacia ſua hominibus bardis fide lapidum obtruderent, Inſcriptionum monſtra commenti ſunt. Unde tot in iis nugae earumque ſubleſta fides. Ego tamen, pertinaci meo ſtudio ac labore, ultra quadringentas colligere potui, partim ex ipſis autoglyphis a me exſcriptas αὐτοχειρὶ, partim ex idoneis auctoribus, qui poſt Gruterum eas in lucem ediderunt. Quippe ego ad illuſtrandas res patrias & ſpem & animos aliquando erexeram. cui rei eas copias paraveram. Sed fregit acrem illum impetum malus quidam Hiſpaniae genius. Facultates enim noſtrae exiguae; procerum opes inertes; eaeque temporum acerbitate attritae. Erat autem res ſumptuoſa quam parabamus. Quo ergo viatico Hiſpaniam omnem peragrarem? antiqua luſtrarem rudera? neglectos verſarem cineres? Nempe regio. Id unum ſupereſt. Fortaſſe id impetraremus ab optimo Principe, ſi eſſent qui ejus auſpicia ſolicitarent. Sed vides nodum, in quo ſolvendo plus ſit negotii quam in Gordiano. Ergo dormiamus in utramque, & altum ſtertamus: quando ad id unum aliena ope non indigemus. Vel, tanquam citharoedus ille ἀνακρέατος, cum aliis non poſſimus, nobis canamus. Reſpondi ad ſingula. utinam ſatis congrue. Scribebam enim haec in villa agri Alonenſis, quo ruſticatum me contuleram eludendo urbano aeſtui. Nec quicquam erat apud me librorum. Quare, ſi minus haec tibi arriſerint (quod valde vereor) & ab homine Hiſpano ſcripta cogita, & librorum ope deſtituto. Illuſtriſſimum virum Carolum Rinuccinum ſalvere jubeo. Item Bonarotam, antiquariorum longe praeſtantiſſimum. A quo ſi Vitrea fracta impetravero, ingentem theſaurum me potitum exiſtimabo. Nondum enim legi. Fodica igitur illi latus, & hanc rem confice. Noſque redama, & vale. E villa Popiliana agri Alonenſis, XVI. Kal. Quintileis, An. MDCCXXII.

V. EM-



V. EMMANUEL MARTINUS SCIPIONI MAFFEIO,

Viro clarissimo,

S. D.

Florentiam.

Literas tuas Eidib. Juliis ad me datas accepi ruri. Adhuc enim rusticabar. Iis perlectis, nihil duxi antiquius quam Urbem repetere, ac nostra omnia studia, officia, cogitationes, tibi uni impendere. Id certe merita tua adversus nos jure flagitant. Itaque Inscriptiones quadringentas decem & octo in fasciculum conjeci, quem Bernardo Cambio transmittendum curavi. Utinam bonis avibus. Quod ut eveniat, Mercurio ὁδίῳ vota nuncupabo. Opuscula abs te edita altius me pupugerunt. Si torpes, fodicabo tibi latus, & utramque auriculam vellam. Expedita via per Liburnum, per Genuam. Adjicies, si libet, Bonarotae erudita illa Vitra, & si quid ejusmodi, quod me in hoc terrarum angulo latentem peneque deficientem recreare possit. Illustrissimum Carolum Rinuccinum (cui multis gravissimisque de caussis sum obstrictissimus) salvere jubeo. eruditissimum item Bonarotam, antiquariorum omnium, si quid video, facile Principem. Salvinium istum, literarum Graecarum σωτῆρα καὶ κτίστην, amplector libentissime, illique dexteram porrigo, sponsore Jove φιλίῳ. Vale meum mel, ac nos ama. Alonae, pridie Kal. Septemb. An: MDCCXXII.



VI. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo ornatissimoque viro

MARCHIONI SCIPIONI MAFFEIO,

S. D.

Veronam.

Quando numismata ad Hispaniam nostram pertinentia tam enixe a me flagitas; en, ad te mittimus centum & sexaginta; partim Latino charactere, partim vetere nostrate. Cujus specimen quoddam al-

phabeticum etiam adjunximus. Poſt diuturnam enim obſcuriſſimae rei meditationem, in hanc tandem alphabeti formam inclino. Sed non acquieſco. Inſanum eſt quantum in iis enodandis ſudaverim, quantum operae impenderim. Quas non adhibui collationes cum alphabeto Phoenicio, Samaritano, Ionico! Sed omnia nequicquam. Quas copias abſtruſiſſimae rei eruendae? Inſignia veterum aliquot Urbium Hiſpaniae, Religionem, veterum oppidorum nomenclaturam. Nummos bilingues, a quibus maximam mihi opem pollicebar: omnes denique nervos, & noctes perpeti lucubratione exhauſtas. Donec ſpe omni abjecta, animum deſpondi, manumque de tabula. Quo me etiam compulit praeſentiſſimum quoddam inſomnium. Sive ὄνειρον illud fuerit, ſive ὅραμα. quod verius puto. Quod tibi referam, etſi videatur putidiuſculum, Sed cur mihi non liceat quod Hippocrati, Luciano, Dioni Caſſio, aliis? Rem quam breviſſime exponam.

Cum ex continenti nocturni laboris fatigatione feſſus, ſomno tandem me tradidiſſem; primo diluculo viſus mihi ſum per quietem, matronam quandam intueri auguſtiore forma, dextra librum tenentem, ſiniſtra expanſa cuniculum. Quo ego ſymbolo facile cognovi, eam ſpeciem quae ante oculos obverſabatur, Hiſpaniam noſtram repraeſentare. Conſtitit illa, ac ſevera oris majeſtate ad lenitatem compoſita, placido ac ſereno vultu, ita me alloquuta eſt: Martine, maximo me devinxiſti beneficio pertinaci iſto labore, opere, ſtudio, diligentia, in quae ad me ornandam, reſque noſtras illuſtrandas, tantopere incumbis. Quare ad officii noſtri rationem pertinere arbitrata ſum, tibi me ſiſtere: cum ut gratias tibi agam ob acre ac vegetum ſtudium, quod rebus noſtris impendis (quod certe per mihi gratum perque jocundum) tum ut conatibus tuis adſim, tibique manum porrigam, tot difficultatum anguſtiis circumvento. Sunt enim tantae rei expediendae copiae tuae impares, vireſque imbecillae. En igitur hunc librum. Mihique eum librum porrexit, quem dextra tenebat. Quem cum accepiſſem alacriter, avideque utraque manu explicuiſſem, oculoſque in eum conjeciſſem, tanquam lecturus; librum arripuit: iratoque ac torvo vultu. Inſanis, inquit. Non enim legitur hoc volumen a fronte, ſed a tergo. Libroque clauſo, indignabunda diſparuit. Somnoque ego e veſtigio experrectus, mirari viſionis ἐνάργειαν. Videbar enim non tam dormire, quam connivere; ipſumque illuceſcentis diei jubar aſpicere. Erat enim jam diluculum, albeſcebatque cubiculum. Tum moniti ambages, & obliqua verba perpendere. Quae longe mihi videbantur obſcuriora, quam ipſius negotii a me ſuſcepti extricatio. In diverſa diſtrahebatur animus, ipſaque fluctuabat cogitatio. Num id ſcilicet monere voluerit: characteres illos ſiniſtrorſum legendos, more Hebraeorum, Phoenicum, Poenorum, Arabum. Nam ſi ſcriptum aliquod a tergo legeris, literis in contrarium verſis, a dextra in ſiniſtram eundum eſt.

est. Num autem indicare in animum habuerit, non mihi auxilium a libris petendum, quod mendis scateant, & chalcographorum σφάλματα; sed ab ipsis metallis. Quae incorrupta sunt antiquitatis monumenta. Tam inopinata igitur severissimi moniti acerbitate spes nostrae corruerunt, ac veluti falce ancipiti praecisae sunt. Ad ulteriora investiganda obtorpuit animus, subsidit alacritas, & quaedam moeroris umbra mentem obsedit. Itaque facem trado. Utinam sis me fortunatior,

——— *Et Phyllida solus habeto.*

Vale. Alona, III. Eid. Jun. An. MDCCXXIV.



VII. EMMANUEL MARTINUS

Illustrissimo Marchioni

CAROLO RINUCCINO,

Magno Etruriae Dynastae ab intimis secretis, viro eximio ac praestantissimo,

S. D.

Florentiam.

Cum proxima aestate in agrum Alonensem rusticatum me contulissem; ne nihil agerem, ac, tanquam bruta animantia, inerti otio marcescerem; visum fuit aliquid pangere, quod animi torporem excuteret. quod mentem exhilararet, non premeret. eique non tam esset oneri quam levamento. Versabatur ante oculos Arca quaedam, jam vetustate fatiscens, quae mihi ultro citroque peregrinanti, vicennalem operam navaverat. Subiit miseratio. Et quadam veluti religione tactus; serio cogitare coepi, quodnam ego adversus illam grati animi indicium promerem, quo ejus memoriam posteris commendarem. Occurrit Consecratio. Haesit sententia. Scis Musas amoena deperire. Ab iis igitur allectus, poematium istud conflavi. Quod statim misi Philippo Buliphoni, Regio aerario in hac Urbe Praefecto vigilantissimo atque integerrimo, Minervae ocello, ac omnibus mihi officiis conjunctissimo. Delectari ille solet nugis nostris atque ineptiis. E vestigio igitur de iis edendis. Ac, tametsi ego ut ab ea sententia desisteret; per genium, per fortunas, per amicitiam nostram obtestatus sum; Hylam tamen inclamavi. Angebant me, cum vitae institutum, parum iis lusibus conveniens; tum reverentia aetatis meae, vergentis jam; quamque unice decerent studia severiora. At ille propositam sibi rem urgere. donec confecit. Tenes omnia. Ad te igitur advolat novum hoc φαινόμενον, cum exemplaribus adjunctis. Diligentiae tuae

tuae erit ut ſingula meo nomine tradantur Bonarottae, & Maffeio. Buliphonis autem, Ludovico Muratori, Mutinenſium Principis a Bibliotheca. Maffeium praeterea, amicum νεόκτητον, ſalvere jubebis. valebiſque. Alonae, Eidibus Juniis, An. MDCCXXII.

Interiorem faſciculum ad Illuſtriſſimum Praeſulem Zondadarium bona fide deferri curabis.

VIII. EMMANUEL MARTINUS SATURNINO LANGLADIO *ſuo* *S. D.*

Mantuam Carpetanorum.

SOlve vota Langladi. Pervenimus enim domum incolumes. Buliphonem merito amas. Nihil inveniri poteſt eo homine ſuavius. Quare habebis me in poſterum rivalem. Pungunt enim me quodammodo deliciae veſtrae. Eſſedario uſi ſumus frugi ac modeſto. Quod in eo genere hominum perrarum. Janum Legionenſem ſalvere jubeo. Ajalam diſſuavia. Et valetudini tuae conſule diligenter. Alonae, XVI. Kal. Majas, An. MDCCXVI.

XI. EMMANUEL MARTINUS *Excellentiſſimo Principi* ANTONIO FELICI JUDICI, *Juvenatii Principi, fautori ſuo,* *S. D.*

Mantuam Carpetanorum.

CAeſarem certe Buliphonem decet auro expendi. Nihil eo homine officioſius, nihil jocundius; & ad captandos plauſus promovendoſque nominis mei rumuſculos (famam enim dicere, nec audeo, nec debeo) ſponte ſua paratius atque inſtructius. Is cum aliquot dies apud nos fuiſſet, & de re antiquaria, deque virtute tua multum eſſet deblateratum; Inſcriptionem quandam veterem ἐπιτύμβιον apud te eſſe nunciavit, eamque inter

inter pretiosiora cimelia asservari. Ea me res alte pupugit. Ac legendi desiderio correptus, negotium illi dedi, ut simul Mantuam attingeret, illam ad me protinus. Nihil plane dubitans, quin monumentum quod subactissimo tuo judicio caeteris praestaret, aliquid profecto haberet eximium. Non enim nescio; ornatissime Princeps, ingenii tui praeclari vires ac nervos. eruditionemque ac πολυμάθειαν, quas nobilitatis tuae comites adscivisti. Raro quidem apud nos exemplo. pene dixeram, singulari. Non defuit Caesar officio suo. Itaque vix Mantuam tenuit, Inscriptionem ad me actutum. En illam:

D. M. S.
PETILIAE Q. F. SECUNDINAE.
SACERDOTI MINERVAE VIX.
ANN. * VIIII. M. VII. D. XVIII. OB INFATIGABILEM PIET.
EIUS MESSI A DOI † CAS. MAT. INFEL. FIL. B. M. F.

Adjunxit: sententiam te nostram de hoc Epigrammate noscere, vehementer cupere. Gratissimumque tibi fore, si in hac re desiderio tuo indulsero. Misit una Josephi Capuani, Leonardi F. viri eruditissimi, notulas quasdam, quae effossi lapidis tempus locumque indicabant. Ad haec, ipsiusmet sepulchri delineamenta, quam scitissime ac diligentissime expressa; una cum ornamentis vetusto operi a te adjectis, & appicto tetrasticho. Qua facie conspicitur hodie Juvenatii in hortis tuis, cultissimis me-hercules atque amoenissimis. Quid caeterum? Obruit me Caesar precibus atque obtestationibus. In summa pervicit, expugnavitque verecundiam nostram reverentia nominis tui. Itaque non tam sponte nostra, quam studio tibi parendi, gerendique illi morem, quicquid ad elegantissimam Inscriptionem illustrandam pertinere mihi videtur, in medium proferam.

Duo sunt praecipue in hoc Epigrammate valde notanda, & quae frustra alibi quaeras, neque in saxo, neque in metallis. Alterum est, sacerdotium puellae impuberis. Alterum, ejus matris expressa castitas. Utrumque (ita me Di) fugacis atque abstrusae eruditionis. Operam enim perdes, si omnes Inscriptionum congeries lustrando, simile quicquam quaesieris. Quod attinet ad sacerdotium, ait Livius extremo Libro XXIX. *In M. Pomponii Mathonis, auguris & decemviri, locum creati, decemvir M. Aurelius Cotta; augur Ti. Sempronius Gracchus admodum adolescens. Quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat.* Quod a Romanis observatum est in omnibus sacerdotiis, excepto Vestae. Vestalem enim, minorem annis sex, & majorem annis decem, capi fas non erat. Primo autem decennio sacra tantum ac ceremonias discebant. altero, sacrorum mi-

Al. VIII. † *Grut.* AD O.

ministerio addicebantur. Tertio, docebant. Quod reliquum erat aetatis, extra Deae penetrale traducere, fas erat. etiam nubere. licet eae nuptiae inauspicatae haberentur. Verum haec notiora sunt, quam ut in iis diutius immoremur. Illud non item. Petiliam nostram Minervae sacerdotem, vixisse annos novem, menses septem, ac dies octodecim, cum in tantilla aetate infatigabilem (ut ipsius lapidis verbo utar) erga Deam pietatem jam ostendisset. Haesissem profecto in hoc luto, nisi Pausanias manum porrexisset. Sic enim ille in Arcadicis cap. XLVII. de Minerva Tegeatide: Ἱερᾶται δὲ τῇ Ἀθηνᾷ παῖς, χρόνον ὐκ οἶδα ὅσον τινά, πρὶν δὲ ἡβάσκειν, καὶ ὐ πρόσω, τὴν ἱερωσύνην. *Minervae rem divinam facit puella. quam longum tempus haud satis scio: illud habeo compertum, antequam pubescat, se illam sacerdotio abdicare.* Igitur eo tantum ministerio fungebatur, dum erat investis. Id ipsum refert, sed expressius, de sacerdotio Minervae Cranaeae. In Phocicis cap. XXXIV. hisce verbis: Ἐν ἱόντῳ τῷ λόφῳ τὸ ἱερὸν πεποίηται καὶ στοαί τέ εἰσι, καὶ οἰκήσεις διὰ τῶν στοῶν, ἔνθα οἰκοῦσιν, εἰς τὸν θεὸν θεραπεύειν καθέστηκε, καὶ ἄλλοις, καὶ μάλιστα τῷ ἱερωμένῳ. Τὸν δὲ ἱερέα ἐκ παίδων αἱροῦνται τῶν ἀνήβων, πρόνοιαν ποιούμενοι πρότερον τῆς ἱερωσύνης ἐξήκειν, εἰ τὸν χρόνον πρὶν ἡβῆσαι. Ἱερεύεται δὲ ἔτη συνεχῆ πέντε, ἐν οἷς τήν τε ἄλλην δίαιταν ἔχει παρὰ τῇ θεῷ, καὶ λουτρὰ ἀσάμινθοι κατὰ τρόπον εἰσὶν αὐτῷ τὸν ἀρχαῖον. *In eo vertice templum exstructum est, & porticus, in quibus cellae per intervalla: ubi & alii habitant Deae ministri, & is praesertim qui sacris praeest. Eum ex impuberum numero deligunt. Cavent autem summa religione, ut eo munere se abdicet, priusquam pubescere incipiat. Annis quinque continentibus sacerdotium terminatur: quo tempore vivit apud Deam, & in soliis, veterum more, lavat.* En plana omnia atque expedita in Petiliae inscriptione. Capiebatur nimirum puella anno septimo exacto. Sacerdotio se eximebat expleto duodecimo: ubi primum pubesceret. cum per quinquennium sacra tractasset. Decessit Petilia anno aetatis suae nono, cum mensibus septem, ac diebus duo de viginti. Sacerdotio igitur functa est biennium, menses septem, ac dies XVIII. Quo tempore ostendere satis potuit infatigabilem erga Deam pietatem. Quo illa ornatur elogio a moestissima parente. Non eadem severitas in Dianae sacerdotibus. quamquam & illa virgo. Sed ministerio fungebantur donec nuberent. Idem auctor in *Achaicis* cap. XIX. de Diana Laphria verba faciens: Ἱερωσύνην δὲ εἶχετο τῆς θεοῦ παρθένος, ἐς ὃ ἀποστῆναι παρὰ ἄνδρα ἔμελλε. Et de Diana Agrotera in Urbe Aegira, ib. cap. XXVI. Ἱερᾶται δὲ παρθένος ἔς' ἂν ἐς ὥραν ἀφίκηται γάμυ. Idem reperio in Neptuni fano apud Calauream. *In Corinthiacis* cap. XXXIII. Ἱερᾶται δὲ αὐτῷ παρθένος, ἐς τ' ἂν ἐς ὥραν προσέλθῃ γάμου.

Sequitur in Inscriptione: MESSIA DOI. CAS. MAT. INFEL. FIL. B. M. F. Lego: MESSIA DOL. Totam Inscriptionem: *Messia dolens, casta mater, infelici filiae bene merenti fecit.* In quo loco singularis est, matris appicta castimonia. Nec immerito. Non enim virginem tantum sacris addictam, caste

caste atque integre munus suum obire oportebat, atque illibatam pudicitiam servare, sed jubebat lex, uti esset *Casta e castis*, *pura e puris*, ut refert Pompejus Silo apud Senecam Rhetorem Lib. 1. Controversiarum, Controv. II. Quod ad parentes maxime referendum est. Quare apiscendo sacerdotio impedimento erat mater incesta, uti monet ibidem Porcius Latro. Imo, ea erat legis severitas, ut verba illa: *Casta e castis*, *pura e puris*; non de parentibus tantummodo interpretarentur, sed de penatibus, de disciplinis, deque iis omnibus, quibuscum virgo versata esset; Messia igitur, Petiliae mater, ut filiae pietatem commendatiorem redderet, suaeque etiam virtutis merito legentium misericordiam captaret; elogio huic ἐπιταφίῳ castitatem suam jussit insculpi.

Haec sunt, humanissime Princeps, quae ad elegantissimam Inscriptionem illustrandam facere mihi videntur. Quae in pauca verba, more nostro, contulimus. Quorsum enim testimoniorum hinc inde excerptorum acervi ac struices? Obruunt ea lectorem, non instruunt: ac priusquam ad capita rerum pervenias, natura fatiscit. Ad haec, novi ego ingenii nostri vires quam sint tenues atque imbecillae. Quare, eo minus videbor ineptire, quo minus legentium aures obtudero. Tu interim, literarum praesidio nate Princeps, non tam ineptias nostras repútes velim, quam modestiam parentis atque obsequium. In fidem tuam & clientelam me confero. Vale. Eidibus Sextil. An. MDCCXXIII. Alona.



X. JOSEPHUS OCTAVIUS BUSTANTIUS EMMANUELI MARTINO,

Alonensis Ecclesiae Decano, πολυμαθεστάτῳ viro, ac praeceptori suo dilectissimo

S. P. D.

Alonam.

Nisi *basilicas editiones atque imperiosas* haberet (ut a Plauto dicendi initium capiam) suavissima epistola tua, qua me ad Latine scribendum adhortaris, vel potius compellis, profecto ne literulam quidem auderem exarare. Quis enim non insanum me crederet, qui tibi, tanto viro, quemque universus orbis literarius tanquam elegantiarum omnium parentem colit, ac jure veneratur, ineptiis meis sapientissimas aures obtunderem? Sed, cum reluctari nequeam, morem gero jubenti. Vereantur alii acerrimum judicium tuum; commiserationem ego, non censuram a te exspecto. Quid valeant pusillae ingenii mei vires jam satis perspectum habes.

habes. Scis quam desultoria sint studia, quibus operam huc usque dedi. Desidia mea, iniquitateque fortunae, quam jam dudum experior, plura quidem degustavi in literis, nihil vero profeci. Adde negotia, quibus summopere agitor, ac distrahor. Quamvis itaque ex penitissima barbarie missae hae literae tibi fortasse videbuntur, cum nullam ab eruditis laudem, vel gloriam aucuper, sed tantum addictissimae erga te observantiae meae qualecumque officium praestiturus scribam; ea humanitate, qua maxime polles, illas abs te acceptum iri confido. Eadem spe fretus, iisdem tuis jussis obtemperans sisto tibi epistolae exemplar, quam Majansio nostro scripsi, ac ejus, qua mihi ipse reposuit. Si purpura juxta purpuram, ut vetus fert adagium, dignoscitur, sermonis elegantiam, facilitatemque disertissimi juvenis nusquam melius perspicies. Obstrinxit ille me vinculis plus quam ferreis, dum innumeris argumentis in dies erga me benevolum, beneficumque se praebet. Quam ob rem impensissime illum amo, ingeniumque ejus, ac infatigabile studium non laudo tantum, sed miror. Merito χαλκέντερον illum dixerim. Utinam tamen saluberrima monita, quibus sufflaminare aliquando eum soles, aequis auribus exciperet. Uberrimum certe quaestum faceret, Hispaniaeque suae, cujus gloriae tam enixe studet, maximo ornamento esset. Loquenti mihi de Majansio succurrit charissimum caput Bulipho, cujus opera ego illi notus. Nihil mihi antiquius, quam Buliphonis amicitia. Nihil jocundius, quam ipsius omnigena doctrina, ac dulcissima facundia. Plurima inter nos colloquia, quibus non mediocriter mira cum oblectatione erudior. Si qua literaria contentio, ad commune oraculum provocamus, nempe ad te, cujus sapientissima quaeque dicta utriusque memoriae tenaciter insita. Sed heu! miser multis abhinc diebus atrocissima podagra correptus jacet in lectulo. Incomparabilem hominis patientiam nemo non sine laude mirabitur. Cum ipso communicavi epistolam tuam. Protinus mecum exarsit cupiditate incredibili ut quam de Hispanis nummis abs te conscriptam mihi nuncias, nobiscum communices, uti benigne pollicitus es. Heus tu ne velis spem nostram decipere. Ipse te plurimum salvere jubet. Propediem prostabit Bibliotheca Marchionis Aitonii; quae non magna quidem librorum supellectile instructa; sed non paucos Graecos, Latinosque codices illic inesse audio. Confestim advolabo tibi comparaturus Photium, Diodorum, Arnobium, & Lactantium, quos olim a te desiderari mihi significasti, si, uti reor, illos invenero. Sed quo usque humanitate ac patientia tua abutar? Manum igitur de tabula. Vive & vale quam diutissime, Praeceptor optime, & Bustantium tuum, ut facis, tui amantem redama. Claudat epistolam Ovidiana Laodamia. *Sit tibi cura tui, sit tibi cura mei.* Mantuae Carpetanorum, IV. Eid. Jan. MDCCXXVIII.

XI. E M.

XI. EMMANUEL MARTINUS JOSEPHO OCTAVO BUSTANTIO,

Juveni ornatissimo, amoenitati suae,

S. D.

Mantuam Carpetanorum.

VEl hinc saltem, agnosces, mi Bustanti, quanti ego te faciam. Exscripsi epistolam αὐτοχειρὶ, quam de re nummaria veteri Hispanorum proximo Octobri Viennam dederam. Exscripsi, inquam. Quod mihi profecto durius, quam versare molam trusatilem. De amicitia cum Mansio nostro conglutinata vehementer gaudeo. Est enim optimae spei adolescens, industrius, diligens, literis deditus. Denique (si quid ad rem attinet) mei amans. Utinam & monitorum meorum. Vellem enim, ut acriores illos spiritus aliquantulum cohiberet. Quando Buliphonis nostri (carissimi illius capitis) mentionem refricasti; acerrimum mihi aculeum inflixisti. Quoties enim cumque cum animo meo cogito (cogito autem quam saepissime) quo loco sint fortunae nostrae; in eam aegritudinem me conjicio, quae constantiam animique vigorem pessundet atque prosternat. Avulsit ab amplexu nostro iniquitas fortunae amicum optimum atque integerrimum. Gravissimi tamen casus jacturam tui praesentis consuetudo quodammodo compensabat; animumque moerore dejectum erigebat confirmabatque. Invidit quoque nobis id quod supererat solatii malus aliquis genius, & rebus nostris calcem impegit. Amisimus te tandem, tecumque laeta omnia. Quo me vertam non habeo. Moesta cuncta atque horrida. Quodque in tanta fortunae acerbitate miserrimum, cum omnia circumspicio, nihil sese ostendit, quod imbecillam spem sustentare possit, recreare languentem. Ita sunt omnia perplexa, variisque difficultatibus, caecisque rerum ambagibus implicata. Quam vere Eubulus!

Ποτ᾽ ἂν ὁ μάγειρος ἐξαμαρτάνει,
Ὡς φασὶν, αὐλητὴς παρ᾽ ὑμῖν τύπτεται.

Pungit deinde, infirma amici optimi valetudo. Nam, ut vetus est sententia,

Ὑγεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Cruciatur identidem miser triplici illa face, quae pedes, genua, manus adurit. Quare hominem mei amantissimum (nisi molestum) meo nomine vise

vise meisque verbis suavium da. Si Bibliothecae Aitonianae libri venierint; mihi Photium eximito. Diodori, Lactantii, Arnobii, curam deposui. Legi omnes, perlegi, evolvi. Diodorus nimio prostabat. Sed cum typis Batavicis denuo in lucem prodierit; non dubito quin bibliopolarum fastus subsederit. Itaque si nummo aureo confici res poterit, meus esto Diodorus. Minoris enim emptus est olim ex residuis Bibliothecae Regiae. Porro si in libellos aliquos incideris levioris impensae; bene erit locata pecunia. Fratrem tuum omni observantia colo. Valetudinem tuam cura diligenter. & vale. Alona, VIII. Kal. Februarias, An. MDCCXXVIII.



XII. JOANNES THEODORICUS SCHOMBERGIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi Reverendissimo

S. D.

Alonam.

Vix ab itineribus meis in patriam reversus, statim ab eruditis hujus loci hominibus iterum frequentari coepi. Hi igitur, ut sunt rerum & literarum apud exteros curiosissimi, cum nulla de regione magis, quam de Hispania sciscitarentur, nihil mihi potius fuit, quam ut Hispanorum ingenia, studia, &, quod vel praecipuum ducebant, erga peregrinos humanitatem depraedicarem. Percunctantibus autem, quinam potissimum viri apud vos principatum in literis tenerent? Ego, qui Alone, si recordari placet, aliquando te conveneram, te in primis indicavi, &, quid scripseris, quamque praeterea multa eruditissime elaborata, & ad editionem matura in manibus haberes, copiose explicui. Quo facto, tantus omnes incessit ardor, etiam reliqua tua scripta videndi, ut, tanquam totius Germaniae literatae nomine a me flagitarent, providerem quantum possem, ne ea interciderent, posse enim facillimo negotio apud nos typis exscripta, vel sic ab interitu vindicari. Recepi ergo, omnem me operam impensurum, ut hoc tibi persuaderem. Testis mihi hoc in conatu erit doctissimus Gregorius Majansius. Hunc inter alia id quoque obnixe rogaveram, ut qualicumque modo abs te obtineret, ne dubitares manuscripta tua mecum communicare, curaturum enim me, ut hic in Germania typis excudantur. Rescripsit clarissimus Majansius, se hoc de negotio ad te retulisse; at vero te negasse, longinquae ac periculosae navigationi, opera te tua commissurum; cumque idem suggessisset, ea saltem describi, atque

atque sic eorum exempla minori cum periculo transmitti posse; addidit, caeteris difficultatibus quae tibi suboriri visae fuissent se jam satisfecisse, nec restare nisi solam de papyro Lipsiensium querelam, quae non sit admodum bona. Tantam tuam in me benevolentiam, quae eo usque tandem profecta est, ut jam Notas tuas Criticas in Satyras Q. Sectani, & Tractatum de Passionibus animi, clarissimo Majansio eum in finem permiseris, non possum non gratissimo animo amplecti. Est tamen quod adhuc te orem atque obsecrem, nimirum ut & reliqua opera tua omnia describi, atque sic descripta ad me transmitti patiaris. Horum quo plura, eo erunt apud nostros homines gratiora. Ego, quantum in me est, omnem curam adhibebo, ut non modo, quam correctissime, sed etiam elegantissimo typorum charactere, & in charta nitidissima excudantur. Potest enim Lipsiae, modo sumtibus non parcatur, tantae bonitatis charta ut in ipso Belgio inveniri. Qua de re fidem tibi meam interpono, atque ut editioni operum tuorum diu superstes vivas, laborumque tuorum gloria fruaris & valeas, opto. Dabam Dresdae, Quinto Idus Sextileis, An. MDCCXXXII.



XIII. EMMANUEL MARTINUS JANO THEODORICO SCHOMBERGIO,

Viro doctissimo atque optimo,

S. D.

Dresdam.

Redditae mihi sunt a Majansio nostro literae tuae A. V. Kal. Sextileis Dresda ad me datae. Quibus avidissime perlectis, incredibili voluptate perfusus sum. Qui aliter? cum & ab optimo viro profectae, a literarum fautore, meique, famaeque nostrae amantissimo? Itaque nomen tuum exosculatus sum ac pectori appressi. Non tamen sine doloris morsu, quod aditus mihi pandatur ad tanti viri amicitiam, cum ea frui vix licet. Laboro enim hebetudine oculorum, & quicquid adsciscunt externae opis aversantur ac respuunt. Eoque a librorum commercio avulsus, &, ut ita dicam, excuneatus; inter homines versor tanquam corpus exanimum atque umbratile. Quod quidem infortunium levius profecto esset, minusque haberet incommodi; si aliquid operae auxiliive a nostratibus liceret accipere, queis tanta calamitas leniretur. Sed ubi sunt qui Latine apud nos non dicam scribere, sed exscribere sciant? Dicam enucleatius. qui legere?

gere? Quicquid in rixosis suis thesibus effutiunt ac deblaterant, Scythicum est, verborumque monstra. Quo lutulentior quis fuit, eo disertior habetur. Desipere autem atque insanire sapere vocant. Quos tu cachinnos? quos ego! Nisi stomachum potius moverent tot ineptiarum nugarumque sterquilinia, quibus purgandis nec Hercules quidem sufficeret, qui Augiae stabulum repurgavit. Jam decennium aliquem quaero, cui nugas nostras exscribendas committam. Sed Hylam inclamo. In has igitur angustias redactus, quo me vertam nescio. Laboro miser incredibili quadam ἀπορίᾳ. Jacet bonarum literarum honos; eruditionis, amoeniorumque studiorum gloria exaruit. Qui haec profitentur, ab ignavis stultisque derisui habentur atque ludibrio. Adeoque id verum est, uti ego, ut existimationem nostram sartam tectamque servarem, consulto semper usus fuerim silentio ac latebris. Ne stolonibus impurisque hominibus caput objectarem; iique de corio nostro impune luderent. Cum haec ita sint, uti re vera sunt, abs te peto, mi Schombergi, rem hanc expedi. Exscribentis copia haud magis hic suppetit, quam apud Getas aut Nomadas. Latinum est? Cimmeriae tenebrae. Si quicquam elucubravi (quod sane levissimum est, nulliusque ponderis) id totum inter lituras jacet ac saepe inextricabiles. Adde aliquibus in locis a bibula charta literas exsuctas. Quae omnia auctoris ope, immo & opera maxime indigent. Hinc illa desperatio animique abjectio, quam professus sum in carmine a Majansio nostro edito in Collectione Epistolarum. Iis difficultatibus interceptus, multa flammis tradidi. Quaeque supersunt, in idem fatum propendent. Nulla quidem rei literariae jactura. Tamen etiam. Quo igitur me vertam, nescio; nisi quis bonus genius manum porrigat laboranti. Nequeo tamen non mirari egregiae tuae indolis praestantiam, ac benevolentiae adversus nos eximium testimonium: qui unius Majansii judicio tantum detuleris, ut eo impulsus, in hominis exteri atque ignoti ornamenta & commoda omnes amoris officiorumque copias effuderis. Quem Majansium, etsi juvenem acerrimi judicii, amor tamen nostri transversum agere potuit, uti re vera egit. Nihilo minus omnem movebo lapidem, ut tibi morem geram. forte aderit Deus aliquis ex machina. Interea id tibi persuasum habeas velim, me in hanc rem omni opera, cura diligentia, totisque viribus incumbere. Neque aliter de me merentur studium in me tuum ac virtus. Quod subjungis de Animadversionibus nostris Criticis in Q. Sectani Satyras nonnullam affert molestiam. Nihil enim sunt praeter lusus juveniles, quibus genio litavi Romae quadraginta fere abhinc annis. Adde, eas, si typis excudantur, absque Satyris ipsis prodire non posse, quae Satyrae quam sint impurae & lutulentae, ac maledicentia infames; nemo non novit. Quare eas publice legendas proponere, res esset pessimi exempli. Adde, Animadversionum luce clariores multo evasuras. Tamen quod ad me attinet, in isto campo nec seritur nec metitur. In Dissertatione autem *de Animi*

Affec-

Affectionibus multa deſunt. Eſt enim opus affectum tantum, non perfectum. Elucubravi illud arcano quodam impetu impulſus. Cumque jam ſecunda navigatione altum tenerem, domeſticae quaedam calamitates, ac publicae rei ſaeva tempeſtas, coegerunt me invitum vela colligere atque inhibere remos. Cumque illa altius incubuiſſet, nec ulla ſerenitatis ſpes illuceſceret; eoque literas valere juſſiſſem; penitus ille vigor emarcuit & ſcribendi alacritas. Nam ſaepe conatus promovere opus, fruſtra tentavi. adverſante quodam animi languore, ac literarum faſtidio. Ad Majanſium autem miſi, propterea quod ille ſaepius a me per literas flagitaſſet. Fide tamen prius interpoſita, ſe illud ſcriptum ſervaturum ſancte ſe penes. Nam, ut ne neſcias, opus eſt non tantum μείουρον, ſed & ἀκέφαλον. nec ſecundis curis exaſciatum. Qua propter efflictim abs te peto, ut exiſtimationi noſtrae conſulas. Nihilque in hoc negotio perficias, niſi quod tibi videatur honeſtum nobis fore, caeteriſque utile. Cave putes, de fama te aliena in hac deliberatione agere; ſed de propria. Id enim de me merentur gravitas, fides, virtus, benivolentia, atque egregia officia in me tua. Quibus me ita devinxiſti, ut profecto fatear in aere tuo me eſſe. dicam amplius: tuum me fore nexu & mancipio. Cura ut valeas, Vir eximie, & tibi, & reipublicae literariae ornamento. Alonae, VII. Eid. Novembreis, An. MDCCXXXII.





EMMANUELIS
MARTINI,
ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,
EPISTOLARUM
LIBER XII.



I. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi

S. D.

Alonam.

JAm diu est, Emmanuel Martine, Vir praestantissime, ex quo ego suspicio tuam egregiam doctrinam in disciplinis omnibus, & cognitionem perfectissimam optimarum artium. Nam & Valentiae Thomam Vincentium Toscam, & Josephum Mignanam tuas virtutes praedicantes per saepe audivi; & Salmanticae (postquam in hac Urbe sum) nullus fere dies abiit, quin honorifica mihi de te mentio esset cum Josepho Borrullio tui amantissimo. Hic aliquot epistolas tuas exscribendas mihi dedit; quibus legendis, mirificam atque incredibilem voluptatem

tatem accepi, propter summam illam eruditionis copiam, singularem dicendi praestantiam, ac prope divinam in explicandis rebus perspicuitatem. Hisce tuis impulsus laudibus, incredibile dictu est quanto studio, quanta benevolentia te amplectar; ut te non solum prosequar amore, quo magnum quemque hominem diligere solemus; sed quo vir amicissimus, cujus virtus nobis diu perspecta & cognita est, visceribus nostris inhaeret. Quam ob rem, amore meo indignum ratus hanc meam benevolentiam tibi notam non esse; rogavi Josephum fratrem tuum, adolescentem optimum, uti has literulas ad te mitteret; ut vel ex me uno intelligas quam multa in nominibus tuis sint quae tu nescis; debitores tui se tibi debere non inficiantur. Equidem tua interest, Emmanuel, quantum in aere habeas scire. De me ultro fateor. Diligenter rationes tuas computabis, si omnino nihil tam tuum esse, quam mea omnia, meque ipsum existimaveris. Quare opera, studio, diligentia mea defruere, vel, si mavis, abutere. Mihi autem curae erit, magnos ex amicitia tua fructus capere: suavissimos dicam, cum, quae aliorum palatum pungere solent erratorum admonitiones, crebro inter pulcherrima literarum tuarum folia invenero. Icciroo habebis cum his literis Oratiunculam fere extemporalem, quam cum Borrullius in Salmanticensis Academiae Senatum cooptaretur, ad amplissimum Ordinem habui. Mittam & alia opuscula, si de erratis, quae in Oratiuncula ista sine dubio erunt, libero animo me admonueris. Scilicet novi januam ad sapientiam esse cognitionem erratorum. Quam ob rem, si ullum in me esse putas sapientiae amorem, cave credas, quicquam gratius jucundiusque mihi posse accidere, quam ut me mihi notiorem reddas, inscitiam meam manifestando mihi. Libere igitur hanc lucubratiunculam recognosce, cancella, dele, stilo tuo confige. Aude, mi suavissime Martine, te verum amicum esse: incipe. Atqui vereor ne gravissimas occupationes tuas plus quam par erat, longis his ac molestis literis interpellatum iverim. Quare rogo te atque oro, ignoscas confidentiae meae, qua ego adolescentulus nulla literatura praeditus, & ab schola literatoris nudius-tertius prodiens, eruditissimum hujus saeculi Virum adloqui audeo. Erit indulgentiae tuae, Emmanuel humanissime, ut qui literas ipsas dum iis deditus es, humaniores reddideris, literarum studioso humanitatem tuam avide cupienti experiri, ne deesse videaris. Vale, o hujus aevi gloria, nostraeque laus Hispaniae. Salmanticae, IV. Non. Decembr. An. MDCCXX.

ORATIO

Habita a

GREGORIO MAJANSIO,

Generoso Valentino, ad Salmanticensis Academiae Senatum, cum

JOSEPHUS BORRULLIUS,

Valentinus, Primarius Juris Civilis Antecessor in eum Ordinem adlectus fuit.

VIdeo, P. C. magnopere animos vestros excitatos incredibili voluptate, quam cepistis ex maturo prudentissimoque consilio ornatissimi viri Josephi Borrullii in Ordinem vestrum cooptandi. Idque non inanis conjectura, sed vestra abunde declarat hilaritas, & exsultans laetitia, adeo ut tantorum conscii meritorum vobisme tipsis gratulari videamini. Quae igitur est mea persona? quae partes? Profecto nullae, nisi caussa talis oblata esset, in qua earum rerum est habenda oratio, quas licet animis vestris penitus infixas habeatis; earum tamen repetitio, vel me dicente, non potest esse injucunda. Etenim gratulandum est vobis de summa vestra aequitate, justitia, religiosoque more, quo non nisi Collegio vestro dignissimos in Doctorum numerum adsciscitis. Praecipue vero gratulandum de maxima cura & studio, quo eximium hunc Antecessorem in sapientissimum vestrum Ordinem ingredi decernitis. In quo profecto quantum emineat consilii vestri maturitas, finite ut breviter exponam. Ego enim sic existimo, in maxime probato perfectoque Doctore duas has res inesse oportere, morum honestatem, scientiarumque cognitionem minime vulgarem. Quis igitur hoc homine moribus honestis dignior? qui profectus e pueritiae disciplina sub Patre viro integerrimo, pristinum animi candorem, facilitatem, & egregiam indolem conservavit: qui adolescentiam ingressus ea erat naturae bonitate, & ad virtutes propensione, ut modestiam, continentiam, sobrietatem mirifice coleret; & non solum dissolutorum conventicula fugitaret, sed & vitam viveret perquam frugalem, & ab omni juvenili levitate alienissimam: qui denique nunc, & in omni vita talem tantumque virum se praestitit, ut praeclara honestatis, pietatis, & religionis exempla dederit. Et quid ego dicam de divinarum humanarumque rerum cognitione, de illa, inquam, justi injustique scientia, qua praeditus est hic sapientissimus vir? Libenter plane me huic orationis parti concederem, nisi vererer incurrere in hujus viri modestissimi offensionem, si

si, quae sentio, dixero. Sed pace tua, mi Josephe Borrulli, pace tua aliquid de te, tamquam absente, dicam: quamquam ita moderate, ut majorem habeam rationem mei erga te obsequii, quam officii & muneris. Ego, P. C. sum in hac sententia. Ingenio viros praestantes videmus plurimos: qui ingenii vim judicio temperent, admodum paucos: qui dotibus hisce studium ardens adjungant, unum, aut alterum. Ex numero horum postremorum est Josephus Borrullius, qui felici est praeditus ingenio, judicio acerrimo, diligentia vero tanta, ut alium hominem literarum studio aeque deditum nunquam viderim. Fatebitur haec quicumque legerit ejus Dictata, quae quoties ego lego, mirum est quantum me capiat, atque delectet, doctrinae gravitas, copia, & electio. His tantis Juris consulti partibus accedit cognitio caeterarum facultatum, quae sunt quasi administrae comitesque Jurisprudentiae. Accedit perfecta Latinae linguae intelligentia, qua intimas Jurisconsultorum sententias facili negotio detegit; antiquitatis scientia, qua veluti quodam lumine obscurissima quaeque illustrat, immortale sophismatum odium, quo sine fuco & fallaciis caste & cordate philosophatur. Accedit denique omnium (ut uno verbo dicam) bonarum Artium instructio, ut homo haberi debeat absolutissimus. Tot vero tamque excellentibus virtutibus, proh Deus immortalis! quam moderate utitur! ut in eo facile possimus animadvertere magnam illius praeclarae virtutis copiam, quam tam parce hominibus natura concessit. Prudentiam intelligo, quae novam atque copiosam orationem desiderat. Sed quoniam tempus est praefinitum; dicendi finem jam facio; pariterque morem gero huic modestissimo Viro, cujus ego voluntati nullo modo deesse possum. Is voluit jussitque, non ut rebus suis praedicandis; sed ut recepto mori accederem, eum quasi per manus, uti feci, tradendo. Restat igitur, P. C. ut quoniam nullo meo merito hanc suscepi personam ut vobis agerem gratias; referendas putem immortales. Equidem ego sic existimo, omnes qui huc frequentes convenerunt, ita vobis gratulari, non quasi de unius solum, sed de communi Academiae bono, hodierno die statueritis. Cum enim tantus ad hunc diem provenerit ex hoc viro fructus in hanc Scholam, jure merito sperant eventurum fore, ut qui hactenus existimarit nihil esse in hac vita expetendum praeter virtutis, doctrinaeque laudem; eundem hoc maximo beneficio vestro obstrictum, enixius in posterum elaboraturum, ut ne unquam vobis, ac sibi deesse videatur. Vestrum igitur, P. C. vestrum est hoc tam salutare consilium, vestrae prudentiae, vestrae dignitatis, vestrae sapientiae. Recte hoc quidem a vobis decernitur, ut Virum doctum, Antecessorem clarissimum, multorum annorum experimentis probatum, uberrimisque fructibus cognitum, existimetis dignum gremio vestro, ut omnes intelligant, apud vos suum esse locum virtuti, sua esse praemia doctrinae.

Dixi *Pridie Non. Februar. An.* MDCCXX. *aetatis meae* XX.

II. EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO,

Optimae spei adolescenti,

S. D.

Salmanticam.

Longioresne appellas tuas literas ac molestas, suavissime Majansi? Atqui vereor, inquis, gravissimas occupationes tuas interpellare. Itane vero? Apage istas ineptias. Et quando me, hominem tibi ignotum, officii caussa tam liberaliter lacessisti, profecto scire te oportet, cum homine tibi rem esse lenissimi ingenii, & ad novas amicitias conglutinandas colendasque sua sponte paratissimo. Quanto magis tuam, adolescentis & studiorum laude florentis, &, ut ex literis tuis plane perspexi, virtute ac modestia singulari. Denique, si quid ad rem pertinet, nostri etiam studiosi. Itaque scribe confidenter. Non enim fieri potest quin ad nominis tui illecebras me convertam, etiamsi ad aras velato capite Diis facerem. Quid enim literis tuis venustius? praesertim in id aetatis adolescente? Quare, postquam id tibi visum est, ad rationes nostras & copias accedito: quo veluti cumulo fortunae nostrae quam amplissime locupletentur. Borrullium, Mignanam, Toscam, viros sanctissimos atque optimos, quod de me honorifice loquentes audiveris, cave sis ne tibi imponat. Quid enim ab iis elicias, nisi quod eorum probitati, modestiae, integritati conveniat? Habeo equidem meam ipse decempedam, qua fundi nostri angustias dimetiar. Quaecumque ultra eas sese effundunt, non tam verae laudes existimandae sunt, quam veri amoris praeclara testimonia. Orationem tuam legi, non solum perlibenter, sed perjocunde. Illabebatur enim in intimos sensus munditia illa sermonis atque elegantia, qua animus inescatus atque illectus nova quadam voluptate perfundebatur. Tene ego stilo nostro confodiam? Tam pulchram venustamque orationis faciem notis compungam? Nimirum ejusmodi, quae etiam Aristarchi obelismos eluderet. Eugepae! Macte virtute esto adolescens praestantissime. Nava operam strenuam iis studiis, quorum amor non nisi generosas animas tangit. Caetera fere lucri contagione vel afflantur, vel sordent. Fratrem meum arctius amplectitor. Quicquid doctrinae in illum contuleris, acceptum referam. Maximamque a me inibis gratiam, si praeceptis, consiliis, monitisque tuis eum adjuves atque promoveas. Est enim, nisi me fallit, adolescens ingenio non pravo, nec a literis abhorrente. Mathiae Chafreoni

freoni meis verbis salutem imperti. Facio enim illum maximi, cum ob multiplicem rerum cognitionem ac scientiam, tum ob modestiam incredibilem, morumque suavitatem. Cura nihil aliud nisi ut valeas. Alonae, X. Kal. Januarii, An. MDCCXX.

III. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

ME subrustico pudore praeditum, qui ad te antea non scripserim! Tu me jubes, Emmanuel humanissime, scribere ad te confidenter? Faciam utique, & omnibus nervis enitar, ut tuae communicationis usuras, quibus ego ad hoc usque tempus frui non potui, partim officiorum inopia, partim pudoris infantia, literarum crebritate sarciam. Idque, quoniam tu ita praescribis, puto me sine molestia facturum. Nec me terruerit praestantissima dicendi vis, qua vel ipsum Periclem oratorem concitatissimum reprimeres. Non enim fieri posset, quin ora, oculos, sensusque omnes ad humanitatem tuam converterem, etiamsi prae marmoreis signis minus mihi sensus esset. Quid enim literis tuis liberalius? Quid in me honorificentius? Ego quidem omnia abs te honoris puncta tulisse videor; & vel amicitia tua, quam per se expetendam unice concupivi, vel egregio tuarum laudum testimonio, quo meum ingeniolum amplificare voluisti, nihil est quod me non assequutum putem. Licet enim hae laudes honesta potius sint ad veram gloriam incitamenta, quam rerum mearum, quas facere nihili debueras, justum pretium; amplissimum tamen, mihique gratissimum est, te libenter amicitiae dedisse, quod liquido veritati dare nequisti. *Ea est enim profecto* (ut Cicero noster ait) *jucunda laus, quae ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.* Quanto magis abs te viro laudatissimo, cujus vitae probitatem, atque constantiam gravissimam cum singulari literarum omnium cognitione conjunctam, qui non miratur ac laudat; nae ille parum debet judicio suo. Complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam vero osculatus, mihique gavisus, quod cum inique adeo (pace tua dico) dimensus fueris latissimas ingenii tui possessiones, ex illis adimens multum; nostris adjudicasti angustiolis, quantum ego nunquam sperare auderem. Liberalissimum mensorem! Nimirum ille modestissimus tui despectus, qui nimio te plus elevat deprimitque; idem ipse altius tollit & amplificat exiguitatem meam.

Ego

Ego cum fratre tuo jucundissime vivo, magnamque cum ex ingenio ejus, & ardenti studio, quo se ad Jurisprudentiam contulit; tum ex probitate multisque ejus virtutibus voluptatem capio. Pollicitus ei persaepe antea fueram omnem meam operam, diligentiam, pecuniam, denique quicquid possem. Idque prolixo animo feci tum propter ejus suavissimos mores, quos statim perspexi, tum propter te ipsum, quem semper studui, vel cum ignotus tibi eram, demereri. Ille quidem eo loci est mihi, quo apud te. Quid tua caussa pristinae addam voluntati, non habeo: nisi illum amem plus quam possum, hoc ipso quod amare magis opto.

Mathiae Chafreoni, quem ego ob lenitatem ingenii, & in omnibus literis praestantiam nimium quantum amo, salutem dixi tuis verbis. Cum ei significavi, me literarum commercium iniisse cum Emmanuele Martino, *obstupuit tanto perculsus nomine*. Adhuc cum haec scribo praedicat virtutes tuas.

Quod me ad eruditionis studium hortaris, gratissimum est. Ut audii tuam vocem, e carceribus exivi. Quod superest, perge incitare tuo currentem hortatu. Et qui pede fausto eruditionis metas praetergressus es, quo pacto eas evitare debeam, inclama. Effice ne praeceptis tuis indignus videar, qui dignum iis me cogito praestare. Ad nutum ero. Praeter te in hoc cursu aspiciam neminem. Ad te contendo, curro, advolo. Huic tu, huic tu cupiditati, *quam potes*, *affer opem*. Ego vero barbarorum inscitia, & insano eorum clamore neglecto, non antea deferam arreptum iter, quam mihi contingat palmam ferre. Tu me ama, longius scribe, vale. Salmanticae, III. Eid. Januar. An. MDCCXXI.



IV. EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO

Bene rem gerere

Salmanticam.

Geres autem profecto, mi Majansi, si ita in elegantiora haec studia & humaniores literas incumbas, ut Jurisprudentiae tamen praecipuam curam impendas. Quid enim illa, non solum utilius, sed pulchrius? In qua regulae continentur & praecepta sapientiae, cum ad usum societatis humanae & felicitatis publicae collimantia; tum ad erudiendos mortalium animos scientia boni & mali, honesti turpisque, justi & injusti: rerum praeterea humanarum divinarumque notitia. Quorum omnium est magistra Jurisprudentia. Quare id serio cogita, hoc maxime tibi volvendum esse

esse saxum. Ea enim ad amoeniora studia viam sternet, caeterasque disciplinas feliciter apiscendas, quod equidem moneo, non quasi te deficientem excitem, sed ut calcar addam gnaviter currenti. Praesagit enim animus fore te quondam genti nostrae decori atque ornamento. Quod ut facilius assequare, confer te, per fortunas, ad Gravinae Origines. Nihil enim in lucem prodiit, neque doctius, neque nitidius. Veritati lito, non amicitiae. Etsi ea tam arcte conjuncti fuimus, eaque fidei mutuae constantia, ut vel extremum ille spiritum in amplexu nostro efflaverit. In iis enim Juris Civilis primordia & scaturigines detectae, abditissimi Romanarum antiquitatum explorati recessus, Latini sermonis reseratae divitiae; tanta verborum concinnitate, tam apto & congruenti ordine, tam naturali rerum caussarumque nexu; ut si cujus animum non statim mira quadam voluptate pelliciant, nae ille plumbeus sit, & stupidior lapide molari. Hortarer te ad Graecas literas capessendas, nisi me deterreret quaedam studiorum tuorum reverentia. Vocare te volo ad Jurisprudentiae lauream, non ab illa avocare. Etsi non nescis, quales in ea partes sustineat Graeci sermonis peritia. Ab eo fonte viri illi praestantissimi, Budaeus, Petitus, Fabrotus, Brissonius, Faber, Cujacius, Gutherius, alii. Vacillat enim sine illo fulcro Jurisprudentia, debilisque est ac veluti manca. Illam dico Jurisprudentiam liberalem ac pene divinam, quae versatur in erudiendis mortalium animis, ea tantum fini, ut sint legum custodes, & justitiae vindices. Non hanc sordidam & prostitutam, fuco & fallaciis deformem, cujus tricis & involucris miseri cives importunissimis litibus implicantur. Hinc tot causidicorum ventosa crepitacula, tot blaterones & rabulae, ac nugivenduli, qui inanium & futilium verborum nundinatione ignari popelli crumenas mulgentes, sibi hac arte divitias parant, & aliena patrimonia funditus evertunt. Sed de his nimis forsitan. Num autem Graece scire e re tua sit, tute accuratius perpende. De fratre meo multum te amo. Devinxisti me tam praeclaro officio & liberalitate. Devincies autem quam plurimum, si opera ac diligentia tua profecisse illum sensero. Mathiae Chafreoni a me salutem. Jubeo etiam P. Emmanuelem Navarrum Benedictinum, qui donavit mihi olim eruditissimum Syntagma suum *de Geniis Veterum*. Vale Alonae, III. Non. Febr. An. MDCCXXI.



V. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Eruditorum Principi,

S. D.

Alonam.

AMabam te quidem antea plurimum, Emmanuel jucundiſſime (quid enim non te amarem, cum virum integerrimum, tum de praeſtantiſſimarum artium diſciplinis optime meritum, & Hiſpanae gloriae aſſertorem?) idque excitatus ſapientiae tuae ſplendore, & coactus imperioſa illa virtutis vi faciebam. Nunc autem cum acceptis noviſſimis tuis literis, altiori cogitatione perpendo graviſſima praecepta & monita, quibus animum meum informas, paſciſque; tantum ardoris acceſſit ad priſtinum illum amorem, ut mirer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi paullo ante cumulatiſſimum eſſe videbatur. Nimirum in te agnoſco ſinceram, & amico (ut tu es) ſapientiſſimo dignam benevolentiam. Sancte auſim dejerare, per hoc quadriennium, quo Juriſprudentiae operam impendo, praeter te nec unum verbulum a quoquam accepiſſe (Patrem meum excipio) qui ad illius ſtudium me hortaretur. Quare monita tua eo libentius amplector, quo magis intelligo ejuſmodi eſſe, quae non niſi a ſuaviſſimo Patre meo proficiſcuntur. Juriſprudentiam ego amavi ſemper. Poſtquam vero ſuis coloribus depinxiſti eam, propius divinam illam faciem intuitus, depereo. Huic ſtudio a puero favi. Atque literas vix noveram, cum jam veluti ſollemne carmen canebam: *Jurisprudentia eſt divinarum.* Noſti reliqua. Hanc ego non amem poſtquam nomen meum profeſſus ſum, & veluti ſacramento addixi me apud tantam Scientiarum humanarum Imperatricem? Qui fieri poſſet, ut pectus meum non accenderet divina illa fax? ſummae Juſtitiae (ſi ita loqui fas eſt) particula, in animis hominum veluti ſcintilla quaedam abſtruſa, praeclariſſimis praeceptis ab honeſtate ipſa petitis excuſa, experimentis aucta, ſapientiſſimorum populorum moribus, inſtitutiſque propagata, prudentiſſimae gentis diligentia conquiſita, & ad mortalium animos illuſtrandos, repurgandoſque vitiorum fecibus in medium poſita. Quamquam fortaſſe non, ut debui, dilexi eam. Amavi quidem. Sane vero. Sed ad eam propius accedere, non, ut par erat, contendi. Peſſimos ſagittarios imitatus ſum. Imparato laxove arcu quid prodeſt ſagittam collineare! Tu tuis hortatibus dormitantem excitaſti me; & ad ſtudia iſta omni contentione amplectenda mentem meam accendiſti.

Poſthac.

Posthac stolidum existimato me, & communi sensu carentem, nisi nactus hanc spartam, quantum in me fuerit, exornavero. Ipsam Philosophiam testor, qua nec mihi sanctior ulla unquam res in vita fuit, neque humanae menti quicquam in terris debet esse sacro-sanctius, me non alia via ad sapientiam perrecturum, quam quae patuerit mihi per Jurisprudentiam. Dum autem ego viam istam ivero, frequenter legam hanc tuam epistolam, ne unquam a via regia per te veluti Mercurium quemdam admonitus, aberrem. Interea vero non alium suscepti laboris fructum exspectabo, quam ut scientiae tam divinae studiosus videar, & ab sordida illa verborum nundinatione, misero patrimoniorum everriculo, & implicatissimo conscientiarum reti quam longissime abhorrens. Aliam gloriam, neque spero: neque, si velim, juste possim, etiamsi tu me jubeas sperare. Optime novi ingenii mei imbecillitatem. Tu cave ne quae animus tibi de me praesagit, amoris sint fallaces cogitationes, quae non minus evanescunt, quam facile animo concipiuntur. Vide, quaeso, ne ex una, aut altera epistola, quae bonis auspiciis ad te provolavit (nullo meo merito, sed quia tu sic voluisti) non optimus augur vanissimos exitus interpretere.

Gravinae tui Origines legi, perlegi, concoxi, ac in succum & sanguinem pene converti. Manibus ejus bene precari cogor, qui mentem meam non modica luce illustravit. Illo fere totius Romanorum Juris specimine nihil vidi pulchrius. Singularum autem partium primordia & scaturigines adeo diligenter exploratae, ut quae antea perpaucis erant nota, nemini non pateant. Altero libro de duodecim Tabulis nihil plenius legi exquisitae solidaeque eruditionis, si duorum virorum excipias libros, Ant. Augustini, & Jac. Gothofredi, Hispaniae, & Galliae clarissimorum luminum. Tuus tandem Gravina effecit ut intelligerem, non ambitione quadam, sed ex animo Ciceronem sub persona Crassi dixisse: *Bibliothecas omnium Philosophorum unum duodecim tabularum libellum, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.* Quam inaestimabiles divitiae in illis veluti favissis absconditae erant! Quam fecunda verae sapientiae semina! O vere praedicandam industriam, quae tam uberem fundum excoluit, & sudore multo irrigavit, ut saluberrima bonae frugis copia nasceretur! Nescio sane an temporum injuriae irasci nunc magis debeamus ea propter quia cum eripuisset nobis bonam partem ex tam praeclaris antiquitatis monumentis, perpaucis tantum ignoverit reliquiis, quibus interpretandis facile Gravina noster ostendit, quantum in caeteris amiserimus. Ego quidem eo iniquiori animo istam jacturam fero, quo magis considero, habere nos in tanta caligine adeo perspicuam horum, quae supersunt, fragmentorum interpretationem, ut vel saeculo aureo vix eruditius & luculentius enarrari potuissent. Quid dicam de altero libello in quo Legum, & Senatusconsultorum, quae ad Juris cognitionem praecipue conducunt, interpretatio continetur? Cum solidam illam minimeque fuca-

fucatam Jurisprudentiam considero, tum maxime Gravinam judico (ut ipse esse, & videri volebat) praeceptore Cujacio dignum discipulum. Sed quorsum haec apud Martinum? Litasti tu quidem veritati. Quidni ego grata animi vicissitudine idem faciam tantis ab illo fortunis locupletatus? Acceperam antea te cum Gravina conjunctissime vixisse. Hoc etiam, te plus quam Herculea virtute infestissimis quorundam latratibus, qui ejus gloriam traducebant, os obturasse, edito honorificentissimo de illius eruditione testimonio, quo veluti e tartareis tenebris puro sudoque coelo restituta est Gravinae doctrina Euridice illa felicior, nullis posthac obtrectationibus obnubilanda.

Jam pridem cupio Graece scire. Et pudendam inscitiam duco passim Accursianum illud inculcare: *Graecum est, non legitur*. Hactenus quidem ad mei studii rationem non indigui magnopere his literis. Ea enim (ut scis) nostrorum Interpretum fuit diligentia, ut vix e Graecis Scriptoribus supersit unus, quem Latine loquentem non videamus. Quamquam ego nihilominus aegre patior eas literas nescire, sine quibus Alciatus, Hotomanus, Cujacius, & noster Goveanus neque unquam fuissent tanti Viri, neque nobis sic prodesse potuissent. Habeo paratam ad id Francisci Sanctii, unici praeceptoris mei (nam caeteri quos habui non sunt ita nominandi) Grammaticam Graecam, brevissimam, & quantum vidi, ingenio meo accommodatam. Sed vereor, mi Martine, ne si semel e limine Graecas literas salutavero, intimos recessus penetrare velim. Nunc, cum solum elementarius sim, facile mihi tempero. Consilium tuum exsequar ubi primum Valentiae induero Doctoris insignia. Interea nolo quemquam dicere, me non tam Salmanticam Jurisprudentia imbuendum: quam Athenas Graecis instruendum literis venisse. Unicuique sunt gratuiti obtrectatores, quibus nihil deest praeter occasionem.

Aveo ex te scire, eruditissime Martine, ecquod exercendi stili genus maxime probes? Illudne quod addicit nos praeclaro alicui Scriptori; an vero liberum, uniuscujusque ingenio accommodatum, & (ut dicam uno verbo) ingenuum? Video abire in contraria studia viros etiam doctissimos. Sunt enim (ut optime scis) qui Ciceronem proponunt unicum dicendi magistrum, nec alios probant, nisi qui Oratorum principis lineamenta consectari videantur. Contra judicant alii, naturae servilis esse, anxiae & superstitiosae verborum inquisitioni liberam mentem alligare, ac morosa unius voculae consectatione impetum ingenii retardare. *Trahit sua quemque voluptas*. Ego semper in ea fui sententia, ut si fieri posset, potius ad Ciceronis, quam ad cujusvis alterius dicendi genus accedere deberemus. Sed, per Deum immortalem, quo tandem pacto id consequi volumus? Iccircone perferenda est nobis molestia illa, ut ad singula verba necesse sit Ciceronem in consilium adhibere? Quaenam tyrannis est, cum tam varia sint hominum ingenia, tam inter se dissimiles naturae, velle uniu

unius vocibus concludere quam diversas cogitationes, sententias alienissimas? Et cum in omni antiquitate duo Scriptores inter se similes non sint, si cum judicio conferantur; quemvis ad unius imitationem rigida Polycleti regula efformare? Quae tam insignis stultitia est, quam Caesari, Sallustio, Livio, eloquentissimis viris, dicendi gloria similes esse nolle, si forte natura nostrum efformavit ingenium, horum potius, quam illius simile? An hi magistri praestantissimi, cum de eloquentiae palma sapientissimum bellum certabant, aliquid requirebant in verbis praeter puram putam Latinitatem, congruentem rebus significationem, aptam orationi rotunditatem; adhibentes praeterea rerum delectum, ordinationemque perspicuam, ut quisque poterat? Quid amplius nos praestare debemus, aut possumus? Hic ego judicium tuum imploro, eloquentissime Vir. Totumne tempus conterendum est in legendo Cicer ὄνι? Vereor ne Graecula Echo mihi recantet dignum nomen tam stolida interrogatione. Ego quidem non vanam omnino spem animo concipio, quin si curam mediocrem impenderem legendo Ciceroni, non pessimus verborum piscator evaderem. Quid autem intererit mea, orationi assuere unum & alterum purpureum pannum, qui late splendeat, si deficiente passim animi vi (ut in tanta religione necesse est, & vero sic evenit Bembo, Longolio, & Tullianorum verborum aucupibus omnibus, quos Nizolianos ego, non Ciceronianos appellare soleo) effeminata sit oratio, vita careat, nervisque? Amabo te, Emmanuel Martine, quid mihi faciendum censes? Tuum quaeso diligenter expone judicium de ratione scribendi. Non acquiescam donec mihi perscribas, rectene positurus operam sim, si liberum stilum, meaeque naturae ultro se offerentem sequar, an secus? Quicquid praecipias, nullum laborem recusabo, ut, si non eloquenter; emendate saltem aliquando scribam. Per Philosophiam nostram, imo per tuam Sapientiam, fine, te exorem.

Ad fratrem tuum quod attinet, crede mihi, quicquid officiorum potero, in illum conferam. Adnitar omni sedulitate, ut quoniam beneficiis tuis satisfacere non possum; id tamen vehementer cupere declarem. A Chafreone salutem accipies. Emmanuel Navarrus jamdiu suam degit senectutem Mantuae novae. Habes epistolam instar justi voluminis. Facit autem, non loquacitas mea (quam vel in me odissem, si haberem) sed singularis erga te amor, ut sim nimis prolixus. Verum hoc sine dubio affirmo, minus te laborasse, ut ista legeres, quam ego ut scriberem in tantis temporis angustiis. Bene vale. Et Majansio tuo (quod facis) favere perge. Salmanticae VIII. Kal. Martias, anno MDCCXXI.

dem dum simplices, jejuni atque exsangues. Et prava isthac atque praepostera κακοζηλία omnes ingenii artisque copias pervertunt. Introspiciendae sunt unicuique ingenii sui vires, & explorate tanta res capessenda. Quid natura respuat, quidve amplexetur. Eoque impellenda, quo maxime vergit. Denique nunquam ad unum aliquem tantum collimare oportet, quasi ad unicum scopum; nec ad eum verba exigenda, tanquam ad certam normam atque amussim. Unicuique suus decor ac virtus quae sectemur, sua vitia quae declinemus. Nemo inter mortales eloquentior Demosthene, aut emendatior Isocrate. Tamen alicubi ab aliis superati sunt. Quemnam igitur, inquies, mihi imitandum proponam? M. Tullium. Unus enim ille omnes Graeciae opes ad se transtulit, vim Demosthenis, copiam Platonis, jocunditatem Isocratis. Ille terendus, ille nunquam, aut vix, e manibus dimittendus. Tumque valde te profecisse scias, quum Cicero valde placebit. Nec tamen solus tibi versandus. Sed accersenda hinc inde orationis lumina (de iis loquor qui saeculo aureo floruerunt) & quicquid pulcherrimum est, excerpendum: haud secus ac ii faciunt, qui ex variis floribus sertum contexunt. Ipsius Ciceronis exemplum tibi attuli. Itaque Zeuxis, Helenam nudam picturus, Crotoniatarum virginum pulcherrimam quamque adscivit, ut e singulis id decerperet, quod sibi visum esset perfectissimum. Vix enim vel ipsa natura quicquam creat omnibus numeris absolutum. Verba persequi res est anxia, multumque nocet. Quid enim aerumnosius quam tempus absumere in verbis aucupandis? mentisque impetum, in iis ad Ciceronis trutinam exigendis, veluti quibusdam compedibus vincire ac retardare? Eo magis quod illa pro loco vel tempore aliter atque aliter animum afficiunt. Quem ubi optimorum auctorum sanguine imbueris atque irrigaveris, incedendum tibi est natura duce. Hanc enim non minus imitari oportet, quam artificem. In epistolis ac familiari sermone ob oculos tibi semper versari debent Plautus atque Terentius, Latinae venustatis facile principes. Quos dum lego, peream nisi jocundissima quadam voluptate correptus, pene deficio. Quorum alter facetiis, ac sale, jocorumque festivitate, caeteris mortalibus plurimum praestat; alter vero purae emendataeque dictionis suavitate, & castimonia. Illo, tanquam ad certissimam Cynosuram, figendus obtutus. Indeque, tanquam e thesauris, Romani sermonis depromendae divitiae. Sed quorsum haec omnia absque Graeca eruditione? Fatetur Cicero orationem Graecam plura ornamenta suppeditare, consuetudinem similiter Latine dicendi afferre. ut habes in *De claris Oratoribus*. Qui aliter, cum omnis fere Latini sermonis structnra, imo & verba ipsa, & venustas, & sales, e Graecae linguae exemplari sint planissime expressa? Deterretne te illud M. Catonis, dicere soliti: *Ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum*? Sed haec per jocum dicta sunto. Illud serio, praecepta omnia rem esse inanem & sine pondere absque usu & exercita-

citatione: adeo ut antiqui dubitaverint, artene, an exercitatione eloquentia contineretur. Cui Tullius, quicquid in dicendo profecisset, acceptum referebat. Connitere igitur atque adlabora, mi Majansi, & ad gloriam contende. Dummodo stilum exerceas, vel illo me confodito.

Chafreoni a me salutem. Etiam Felici Palatino Graecae linguae Professori, si modo is adhuc inter vivos versatur. Nam nescio quid de ejus abitu ad plures. Incredibili temporis inopia premor. Avocat munus, amicorum officia, domesticae tricae. Ne otium quidem est scalpendis auribus. Tamen epistolam habes loquaciorem Architae crepitaculo aut aere Dodonaeo. Vale. Qua die Caesar in Curia interfectus est. An. MDCCXXI. Alonae.



VII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Alonensis Ecclesiae Decano, & Praeceptori suo eruditissimo,

S. D.

Alonam.

PEream, nisi Eidus Martiae multo mihi fortunatiores, quam ipsi Bruto, ceterisque ejus in conjuratione sociis. Dies autem quo tuas literas accepi, tantum ab illis attulit gaudium, ut majore affici non potuerim. Adeo recreatus sum legenda relegendaque tam erudita, & eleganti epistola. Argumentum erat de ratione studii recte instituendi, deque opera imitationi locanda. Ego praeterea cupidissimus intelligendi, quid de hac quaestione sentires, homo, ut mihi quidem videris, quotquot sunt in hoc seculo eloquentissimus, & imitationi etiam, sicut illi veteres magistri, proponendus. Legi itaque tuam epistolam sane quam libenter: & omnem disputationem diligenter reposui apud memoriam; id in animo instituens, ut ne transversum (ut ajunt) unguem a tua sententia discederem. Sed, ut propius ad epistolae tuae capita accedam, illud in primis mihi placuit, mancum esse & imperfectum judicium, quod imitationis ope destituatur. Cum enim naturae beneficio insiti nobis sint praeclari quidam conatus, quibus ad ea ducimur quae in aliis maxime probamus; necesse est, ut, si illa consequi volumus, eandem industriam, quam ceteri, adhibeamus. Quod cum facimus, imitari dicimur. Imitatione autem ita uti debemus, ut semper propter naturam esse meminerimus. Alioqui multo felicius erit naturae negligentiam aemulari, quam aliorum sequi exactam diligentiam. Porro cum illae virtutes, quas in scriptoribus praecipue miramur, inge-

nium, vis, facultas, imitationi propositae non sint, quoniam naturae beneficio contingunt; illud, ais, diligentissime introspiciendum, ut ingenii sui vires quisque judicio acri perpendat, & quo maxime vergit, eo impellat. Sola enim quam cujusque animo virtutem natura indidit, in scriptione potest patere. Ultra neque curae, neque arti locus est. Vires igitur nobis exterendae sunt, ut quae virtutes in aliis magnopere viguerunt; earum autem semina in nobis deprehendimus, eodem, quo illi, studio, foveamus, sudore irrigemus, industria proferamus. Ubi aliorum vigor aliquantulum defecerit (neque enim humanum ingenium contendere ubique potest omnibus nervis) vires nostras substituere debemus. Sic in bello, laborantibus principibus, redit res ad triarios. Quod si eorum, quos imitamur, vivida virtus, valensque sit; non tamen idcirco arma deponenda, sed cum Marone ardentiore spiritu dicendum.

Tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, victorque virum volitare per ora.

Aspirandum igitur ad altiora: & cum eloquentissimis viris gloriosum certamen ineundum studio quodam vincendi. Quamvis enim furiosi fuerit de viribus corporis cum Hercule aliquo certare: tamen cum sapientibus viris contendere, de ingenii viribus, de judicii usu, pulchrum atque honestissimum est. Si quis igitur gloriam aliquam vult consequi hac via, non temere, quocumque impetus rapit, vagetur: sed initio constituat oportet, quocum manus conserat, & de eloquentia certamen ineat. Equidem non arripiendus scriptor aliquis de trivio? verum is, cui homines eruditi primas concedant. Pulchrum est mediocrem dicendi facultatem adipisci: sed in ea metam praefigere, nec ulterius progredi velle, humilis & abjecti animi est. Deligendus itaque summus orator, cujus vestigiis inhaerentes ad eloquentiae fastigium contendamus. Is, cum seculorum omnium consensu sit M. Tullius, hic unus prae ceteris imitandus est. Ille, inquis, terendus, ille nunquam, aut vix e manibus dimittendus. Suavissima praecepta! Ciceronem ex Latinis scriptoribus in manus accepi, primum omnium. Huic ego quod ardenter ad haec studia me contulerim, quod eviluerit mihi inanium librorum lectio, quod incredibili flagrem eloquentiae amore, quod ad sapientiam contendam, acceptum fero. Ejus orationes (quod ipse de Crassi Serviliana dicebat) praedicabo semper, quasi magistras mihi, a pueritia fuisse. Quas dum lego, crede mihi, divina quadam voluptate correptus, pene divellor a me ipso. Quem ego igitur semper praetuli scriptoribus omnibus, eundem mihi imitandum proponis: ita tamen, ut non unum eum versem; sed ex aureis scriptoribus, quicquid venuste ac speciose dictum sit, excerpam, & ex tot tantisque ingeniis excellentissima quaeque delibem. Idque confirmas pulcherrimis exemplis. Verum haec omnia attenta consideratione cogitanti mihi illud venit in-

men-

mentem, vix unquam evenire posse, ut in eloquentiae studio locus sit imitationi. Primo enim ingenium, vis, facultas, imitationi se subtrahunt. Deinde rationem investigandi argumenta Dialectica docet: eorum copiam caussa ipsa, & assidua lectio ministrat: disponendi ordinem recta ratio praescribit: orationis ornatum Rhetorica adhibet : dicendi facilitatem exercitatio parit. Haec omnia qui possideat, is eloquentissimus dicetur, & erit sine dubio. Imitatio autem quem locum ibi occupat? Ingenio, studio, labore opes illas comparamus. Quid praeterea imitatione assequi possimus, plane non video. Ad haec, imitandum ais; & simul turpe esse putas intra imitationis fines consistere. Quin potius scribis aemulandum esse, & ad gloriosam contentionem pectus meum accendis? Denique tu ipse praescribis, uti cum animum optimorum auctorum sanguine imbuero, atque irrigavero, natura duce incedam. Atqui isthaec assidua lectione & usu parantur. Neque enim fieri potest, ut quis frequenter & attente legat scriptorem aliquem, quin idem ille, si quid postea scribere aggrediatur, multa similia proferat, non tam specie verborum, quam anima (ut ita dicam) orationis. Sive, ut explicatius loquar, eorum oratio, qui diu multumque desudarunt, exempli gratia, in Cicerone legendo, relegendoque, & quantum fieri potest, memoriae mandando; verborum cortice attento similis videtur, non eadem; sensu autem inspecto, eadem, non similis, qualis est oratio disertissimi viri M. Antonii Mureti. E contrario eorum oratio qui se totos tradidere consectandis ejusdem Ciceronis phrasibus, videtur eadem, non similis; sensus vero omnino diversus, utpote elumbis, & fractus, qualis est oratio Pontani, Bembi, Longolii, Manutii, aliorumque plurium, quibus etiam adjungerem Petrum Joannem Perpinianum nostrum, nisi esset hic aliquanto vividior, vegetiorque. Adeo verum est illud Horatianum.

——— *Sectantem levia nervi*
Deficiunt, animique.

In summa huc volvitur sententia mea: posse quemlibet hominem acuto ingenio, acri judicio, linguarum intelligentia praeditum, in Dialectica exercitatum, in Philosophia doctum, ceteris facultatibus imbutum; posse, inquam, eum in quo haec sint, his solis virtutibus absque ulla imitatione, eloquentiam assequi minime vulgarem; ut plane fuerunt assequuti qui primi inter eloquentes numerati sunt. In quo haec non sunt, etiamsi assidua adsit imitatio, meras nugas legemus. Quapropter, ut dicendi finem faciam, assentior tibi vehementer; rem esse plenam periculi & salebrosam imitationem: adde, si placet, imaginariam, aut saltem puerilem, si imitari est quod solet vulgus intelligere. Sed in eo maxime omninoque tibi assentior, caput praeceptorum omnium exercitationem esse, sine qua, neque Demosthenes, neque M. Tullius, neque quisquam alius, eloquens

 esse

esse potuisset. Faciam igitur, ut quicquid temporis a Jurisprudentiae studio mihi superfuerit, in exercitatione collocem; cui comitem adjungam lectionem, sapientiae matrem. Porro, quoniam in exercitatione magna vitia saepissime contrahimus, dum illecti quadam virtutum specie, proxima virtutibus vitia complectimur, a te omni studio, ut majori non possim, rogo, atque etiam oro, ut fidus sis erratorum meorum monitor, & castigator. Tum demum sperabo posse aliquid proficere, cum coepero tuis monitis emendari. Terentium in deliciis habeo. Plautum ei adjungam comitem, posteaquam facilius quam antea cavere possum archaismos. Quorum timore antea eum non nisi raro legebam, maximaque cautione. Idemque feci in M. Terentio Varrone, & M. Catone, viris quidem doctissimis, sed priscorum verborum affectatoribus nimiis.

Frater tuus alacri animo arreptam viam insistit. Dies noctesque Justinianeis Institutionibus incumbit, adhibito Vinnii Commentario. Quoties eum convenio, subinde rogo obtestorque, ne nimio studio referat Chaerephonta. Felix Palatinus vivit adhuc. Sed vitam trahit miserrimam, qualibet morte tristiorem. Inopia rei familiaris, bonarum artium contemtus, nebulonis cujusdam improbissima vexatio, gravis inde orta moestitia, & aegritudo, conjecerunt eum ad agnatos & gentiles. Ubique jacet virtus: & magnam victoriam ducit, si latere tecto a malevolentia discedat. Barbaries insultat eruditis viris, & in homines literatos tyrannidem exercet crudelissimam. Quicumque sapit, mirabile est, sanum esse. Chafreo salutem tibi dicit. Illud extremum, quod in primis abs te oro, ut quoniam literas, atque nos etiam illustras, valetudinem tuam diligenter custodias. Salve ab eo, qui te virtutis tuae merito amat, Majansio tuo. Salmanticae, IV. Kal. Aprileis Anni MDCCXXI.

VIII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

Reverentia tuarum occupationum factum est, ut per hosce dies nullas ad te literas dederim. Meae quidem non sunt ejusmodi, ut temere sint abjiciendae. Sed tui salutandi caussa, etiamsi multo essent majores, libenti animo abjicerem. Totis mei animi viribus in hoc incumbo, ut quicquid a viris doctis scriptum adhuc est *De Vulgari, & Pupillari Substitu-*

stitutione ad judicii nostri trutinam revocem, & diligentissimo examine perpendam; ut ad singulas ejus tituli leges, justum Commentarium conficiam: cui praemittam alterum apertiori methodo. Quo pacto argumenti copiae, & subtilitati, ordinem, & facilitatem, Deo favente adhibebo. Aggressus sum hanc rem, non ingenio meo fretus, quod sentio quam sit exiguum; sed labore, vigiliis, & pertinaci studio confisus. Itaque enecor me lectione prope infinita, ac meditatione multa. Et spero fore, uti intra duos menses, quos huic rei mihi praefinivi, ab hoc negotio me expediam. Valetudinem tuam, per quam in Hispania vivunt literae, diligenter cura. Salmanticae, Pridie Eidus Junias, An. MDCCXXI.



IX. MARTINUS MAJANSIO *suo* S. D.

Salmanticam.

OPportune ad me literae tuae. Traditae enim mihi sunt cum in agro Alonensi agerem, quo me contuleram rusticatum. Abjeci quicquid erat urbanarum tricarum, ut mihi uni consulerem. Ain' vetule? dices forsitan. Ajo profecto. Atque in amoenissima quadam villa regnare prorsus mihi videor. Confluunt ad me e proximo oppido viciniisque villis, honestissimi viri. Garritur, deblateratur. Propositum est nihil agere, praeter nugas. Itaque sordent jam mihi Lucullus & Crassus, caeterique delicatuli, ac lauti. Vin' scire quam me geram luxuriose! Unum etiam scurram mecum attuli, qui me oblectaret, Plautum. Di boni, quantum morionem! Si quando frigus opacum capto, lepidissimos illius jocos accerso. Uno verbo. quicquid serium ac triste, valere jussi. Nisi quod aliquando opera rustica contemplor, & imaginem prisci aevi. Egregiam operam, quam te navare scribis illustrando titulo *De Vulgari, ac Pupillari Substitutione*, non solum laudo, sed urgeo. Molitor, mi Majansi, famaeque aeternitatem animo versa. Quicquid nomini tuo splendorem attulerit, id medius-fidius per mihi erit gratum. Gratissimum denique, si tibi persuadeas, me gloriae, famae, existimationis tuae, amantiorem esse neminem. Vale. E secessu rustico. Pridie Eid. Quintileis, An. MDCCXXI



X. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

O Te beatum! cui licet agere vitam ab urbanis tumultibus liberam. Jure merito tibi regnare videris. Ubi enim tui dominus esse possis; ibi demum verus rex esse queas. Invideo tibi libertatem istam: & ut illam assequerer, ultra Sauromatas ire liberet, ubi nec Pelopidarum mentio.

O rus, quando ego te aspiciam! quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno & inertibus horis
Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae.

Nunc frenum injecerunt mihi studia mea. Honeste abjicere non possum, nisi prius victor evasero. Quod si divina quadam sorte id mihi contigerit, AEsopi equum non imitabor. Faxit Deus, ut abditus quandoque in amoenum aliquem secessum Aristios omnes irridere possim, & Horatianum illud laeto animo canere.

——— *Vivo, & regno simul ista reliqui*
Quae vos ad coelum effertis rumore secundo.

Interea vehementer gaudio illa te frui tranquillitate, qua uti adhuc mihi non licet. Attulisti tecum dignum scurram gravitate tua. Puto esse tuum Plautum Pyrgopolinice ipso gloriosiorem, propterea quod lepidissima jocorum festivitate sic te oblectat. Commentarius meus prope ad umbilicum pervenit. Nisi me fallit amor suscepti laboris, satis feliciter absolvam. Nunc manum extremam nolo admovere. Graviora urgent: & otiosius tempus lima desiderat. Qualemcumque tamen, exscribendum dabo fratri tuo, qui mihi favet impensissime, & tricis meis oblectatur. Vale. Salmanticae. Postridie Kal. Sextileis, die vere augusto propter Angelorum Reginam augustissimam. Anno a Christo nato MDCCXXI.

XI. GRE-

XI. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,
S. D.

Alonam.

QUi scribendi consuetudinem aliquantisper intermittunt, saepe solent confugere ad assiduarum occupationum excusationem: & in ea asserenda magis interdum occupati sunt, quam antea fuerunt. Ego vero qui excusationes ejusmodi cum risu accipio, iis non utor; & invitus in me agnosco pigram quandam procrastinationem, quae rerum omnium impedimentum esse solet. Licet enim hoc pacto necesse sit desidiolam aliquam confiteri; haec tamen ipsa vindicabit me a tui oblivione. Commentarium *De Vulgari, & Pupillari Substitutione* satis feliciter absolvi. Scripsi alium postea *De Castrensi Peculio.* Nunc in manibus habeo titulos *de Collatione Bonorum, & de Dotis Collatione* ab interpretibus ita derelictos, ut si gravissimos consulas, in plerisque vix unum verbum invenias de hac re. Huic igitur tractatui pro virili conferam quicquid ex multa lectione colligere potui, & observavi. Et spero me ita exculturum latissimum hunc Civilis Scientiae campum, post avulsas difficultatum spinas, quibus prope erat impenetrabilis, ut per eum tanquam per prata virentia perambulare possit studiosa juventus, & uberrimos fructus inoffensa manu percipere. Ex quo famae immortalitatem animo versare jussisti me, intentissimus sum huic cogitationi. Utinam bono publico Deique gloriae. Sapientissimus Tosca doctissimos edidit libellos de Philosophia, Morali excepta, quam omissam nollem. Non agitur illic de lana caprina; neque tempus inutiliter teritur in Penelopes tela texenda, atque retexenda. Andabatarum rixis neglectis; strictim unico explicat libello Dialecticam & Metaphysicam. Deinde totus est in naturali Philosophia, quam expeditissima & mirabili perspicuitate persequitur. Homo vere natus ad Reipublicae literariae incrementum: qui si paullo ante scribere coepisset, libris suis Bibliothecas omnes implesset. Vide, Emmanuel praestantissime, ut virum egregia animi moderatione nihil retardet, quo minus scripta sua luci publicae permittat. Hujus exemplo excitatus quid cessas Mundum illustrare scriptis tuis? Blattisne tineisque scripsisti? Aut tibi & Musis cecinisti solum? Nimis diuturna est haec tuorum operum exspectatio. Nimis perit studiosorum utilitati. Glorietur tandem Valentia altero Vive, primo illo

illo longe eruditiore & eloquentiore. Glorietur, inquam, Valentia altero Vive, primo illo longe eruditiore & eloquentiore. Vereor enim ne illud non ſatis exaudieris, & Valentinae genti illam gloriam deneges, cui parem aliam, nunquam habuit. Vale: & Jeſu Chriſti natalem cole, coeleſtibus donis ab ipſo cumulatus. Salmanticae, XIII. Kal. Januarias, An. MDCCXXII.



XII. EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO, *ſuo* *S. D.*

Salmanticam.

EGo vero, mi Majanſi, etſi moleſtiſſimis occupationibus diſtineor, vix tamen eam excuſationem afferre audeam. Vereor enim ne mihi ſolens cachinnum impingas. Nempe ita durus es? Ergo vel ob id ipſum habeto me diſtrictum Tyrrhenis vinculis. Volo enim eſſe occupatus meditato. Nimirum ut rideas. Sed quid id refert? Ita exiſtimes velim Majanſi mi, nullum me diem luculentius habere, quam illum, in quo abs te mihi literae. Neque enim vereor ut officia me tua foro mergant. Diligentiſſime nomen expungam, ut ratio accepti & expenſi bene inter nos conveniat. Quid ais? Abſolviſti Commentarium *De Vulgari & Pupillari Subſtitutione?* Ut lepide! ut venuſte! Licetne te amplecti? Id nunc ſupereſt, ut *De Caſtrenſi Peculio*, *& de Collatione Bonorum*, itemque *de Dotis Collatione*, eadem diligentia penſum accures. Cur non habeat Hiſpania ſuum Majanſium, quem ſuccenturiet Cujaciis, Briſſoniis, Goveanis, Gothofredis? Id ſaepius cum animo tuo cogita, humana omnia verſari fortunae ludibrio, praeter animi bona, & ingenii ornamenta. Sed heus tu, noſti illud:

Ἐρέτην δεῖ πρῶτα γενέσθαι
Πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν.

Nihil eſt adoleſcentibus aeque exitioſum, ac praematura ſcribendi libido. Habet enim natura ſuos veluti gradus ac rudimenta, quibus ad perfectionem ſenſim adrepit. Sic plantae primum omnium flores emittunt, deinde frondes, hinc ſurculos, ac denique fructus. Prius enim eſt ordine decus oſtentare, proximum luxuriari, poſtremum autem utilitatem afferre. Sic quoque ſegetes, ut cum agricolae emolumento matureſcant, prius occan-

cantur, deinde farriuntur, runcantur, metuntur. Non eo id dixi, ut te ab fcribendo deterream, aut rationes tuas interturbem : fed quod verear, ne praepofteris hifce ftudiis implicatus atque irretitus, naturae impetum retardes, ac divino tuo ingenio fecurim infligas. Frontem contrahis? Cur ergo te palpo percutiam, cariffimum mihi caput? Atqui tute, inquies, ad hoc ftadium decurrendum mihi calcar injecifti. Fateor. Sed aliud eft applaudere, aliud monere. Delector equidem alacritate tua, quam ut accenderem, amore laudis fodicare oportuit. At aliquam operam huic labori impendi volui, non omnem. Amo te, Majanfi, & famae tuae immortalitatem accuro. Id aetatis es, ut difcere te potius deceat, quam docere. Quo ferius id feceris, eo praeftantius. Tofcam jam diu eft quum obfervo, cum ob fingularem hominis modeftiam, gravitatem, pietatemque; tum ob eximiam doctrinam, qua in omnibus fere difciplinis verfatur. Quantus fit ille in Mathematicis, ejus fcripta abunde teftantur. Philofophica adhuc mihi videre non contigit. Nec multum laboro de Hifpanienfibus hifce tricis atque offuciis. Quas ego nugas & deliramenta, philafophiam potius appellabo, quam philofophiam. Difpudet enim tot verborum inanium. Tametfi judicii tui fubactiffimi pondere ita nunc premor, ut pene infaniam legendi defiderio. De nugis noftris edendis (in hac praefertim regione) fpes omnes decolarunt. Et quidem nulla rei literariae jactura. Novi equidem noftratia ingenia ad obtrectationem prona. In eo praefertim literarum genere, quod ipfi contemnendum ducunt ac futile. At quodnam id eft? Quidvis, praeter fcholaftica involucra. Porro cui bono id facerem! Nempe ut me fibilo exploderent. Egregiam mercedem fcilicet. Ad haec, ubinam funt typi Graeci, quibus maxime ufus eft fcriptis noftris edendis? Ubi typographi, qui impenfis fufficerent? Ergo fi quid a me elucubratum eft (quod fane leve & contemnendum) id omne, quicquid eft, genio meo dicavi. Nihil cogito praeter animi immortalitatem, famae defpicio. Vale. Alonae, III. Eid. Januar. An. MDCCXXII.

Mane dum, mi Majanfi, eft quod te volo. Degit in hac Urbe Philippus Bulipho, regiis vectigalibus praefectus, alter ego. Is amat te juxta mecum. Hunc fi in amicitiam tuam pellexeris, rem patrabis tibi fane perutilem ac perhoneftam. Eft enim eximius Jurifconfultus, Latini fermonis aequiffimus aeftimator, ac judex folertiffimus, Graecaque fupellectili mediocriter inftructus. Itaque in rem tuam conducere arbitror, fi hunc hominem tibi devinxeris. Quod fane expeditum, te laceffente, ac me proxeneta. Non enim deerunt officia noftra virtuti tuae. Iterum vale.



XIII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Monitori suo sapientissimo,

S. D.

Alonam.

HAhahae. Frontem ego contraham? Quam ob rem? Nempe quia me freno dignum putas, quem antea stimulis fodicandum censebas? At ego istud mihi laudi duco. Itaque aliud quaere quod meam excitet admirationem. Nunc illud considera, num quem ad Jurisprudentiae stadium decurrendum, laxis omnibus habenis, amore laudis incitasti; in medio cursu detinere queas. Sed haec per jocum. Illud serio, me tuam epistolam plenam humanitatis & sapientiae deosculatum esse. Ac si mihi nefas est ulla in re vel latum unguem abs te recedere, multo minus in ratione studii instituendi, in qua spes omnes meae sitae sunt. Sed ne tibi videar aliud animo sentire, quam re faciam, quaeso, diligenter attende omne meum institutum. Ego cum prima juris elementa percurrissem, adhibito Jurisconsultissimi Vinnii Commentario, ac perlustrassem etiam praecipuos Pandectarum Titulos, maximeque illum *De Regulis Juris*, duce Jacobo Gothofredo, eximiae doctrinae, & eruditionis viro; visus mihi sum evolvere jam posse Principes Juris interpretes. Itaque, prout difficultates, in quibus eram, exigebant, modo hunc, modo illum consulebam. Tum demum expertus fui, quod Epicharmus Poeta Siculus ajebat: *Nervos atque artus esse sapientiae non temere credere.* Multas enim aliquorum sententias, quas antea sectabar aeque ac ipsius Papiniani, falsissimas comperi. Cupiditas verum inveniendi detrusit me in aliquas quaestiones ipso labyrintho intricatiores; quas, quia certo duce adgredi non poteram, solus adire ausus fui, & satis feliciter penetravi, ipsa juris ratione, veluti filo Ariadnaeo caeca regens vestigia. Magnum inde animum sumsi. Et elatus (ut fit) prosperis successibus, coepi mecum reputare, quam indignum esset ingenio liberali, quocumque alii te ducant, tanquam servum pecus huc & illuc agi. Jam altiora cogitabam, cum ecce abs te venit gravissima illa ad Jus Civile cohortatio, quae ita pectus inflammavit meum, ut nihil nisi summum gloriosumque appeterem: eoque sum ausus pulcherrimum scribendi facinus. Ergo animum adjeci ad seligendum aliquem Pandectarum Titulum, in quo operam industriamque meam cum aliquo saltem

tem exercitationis fructu collocare possem. Is mihi visus est, qui *De Vulgari & Pupillari Substitutione* inscribitur, gravissimorum interpretum Commentariis celeberrimus, propter subtilitatem autem argumenti, cujuslibet ingenio dignissimus, & mihi (ut tum plane videbatur) satis intellectus. Sed Dei, hominumque fidem! Quam facile, ubi sumus vulnerum securi, egregios agimus lanistas! Cum primum in arenam descendi, & calamum distrinxi, interpretum gravitate perterritus, difficultatum horrore obstupefactus, ecce ego perturbationis plenus, & exsanguis pavoris. Tandem coepi animum colligere; & memet ipse sic castigare. Majansi, Majansi, frustra dudum ante pugnam fortissime,

Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona sines

gloriae? Non te movent clarorum in Jurisprudentia virorum praeclara exempla? Nerva filius decem & septem natus annos publice de Jure jam responsitabat. Annum etiam iniens Baldus decimum septimum, doctorum omnium admirationem excitavit, acutissima interpretatione legis *Centum Capuae.* Centum anni complentur, ex quo Franciscus Ramos del Manzano in hac ipsa Urbe prodiit in proscenium octodecennis candidatus petendae Primariae Cathedrae; quam si non obtinuit, meruit tamen accipere a Regio Castellae Senatu honorificentissimas literas ipsa impetratione Cathedrae multo gloriosiores. Petrus Faber annorum adhuc viginti limatissimum illum *De Regulis Juris* Commentarium (editum postea maturius) jam evulgavit. Vix attingens Alciatus vigesimum secundum, *Disputationum, & Paradoxorum* edidit libros, quibus antea incultam, & horridam Jurisprudentiam, excolere & instaurare coepit. Quid plura? Tu ejusdem aetatis non edidisti quicquam? Nondum elucubrasti aliquid luce publica dignum? Denique, fucum agis. Ubi vigor juvenilis? Ubi mens, & ipsius memoria tui?

Tum pudor accendit vires, & conscia virtus.

Igitur ubi laudis amor & gloria metu pulsa iterum meum pectus inflammant, *Acrior ad pugnam redeo*, praecipitesque agere ardeo, Juris Civilis, si qui sunt, Daretas. Adsuit ausis bonus exitus: nam obfirmata mentis constantia, quam adversus difficultates habui, modo hunc, modo illum prostravi. Nec prius destiti victoriam sequi; quam totum Titulum in veritatis solidaeque Jurisprudentiae ditionem redigerem, erroribus fusis fugatisque, partim auxiliaribus aliorum interpretum copiis adjutus; partim virtute nostra. Eodem pacto me gessi in Titulo *De Castrensi Peculio.* Idem enitor nunc in Titulis *De Collatione Bonorum*, *& de Dotis Collatione.* Nec vero existimes me in his Disputationibus cum proletariis tantum contendere; sed cum majorum gentium (ut ita dicam) Jurisconsultis. A quibus,

bus, quoniam ingenio, & eruditione vincor; viribus omnibus connitor, ut diligentia illos ſuperem. Si videres hanc, tibi eſſem ſtupori. Etenim non antea unam literam appingo, quam crebra animadverſione perſpexero, quid ſenſerint de illa re Principes Juriſprudentiae viri: quorum ſententiis diligentiſſimo examine perpenſis, tum demum judicium meum interpono. Haec cum ita ſint, jam credo nihil verebere, ne videar docere prius, quam diſcere: neve praepoſteris ſtudiis implicatus atque irretitus naturae impetum retardem. Quin potius ita quantum poſſum, protrudo. Sed de his propediem deliberabimus, cum abſolvero Commentarios, quos in manibus habeo. Eos enim ſtatim mittam ad te, ut ex re ipſa conſilium capiamus, aut potius tu des, & ego ſequar. Nunc importunum, imo turpe jam eſt, de me plura deblaterare, praeſertim apud te.

Nam ſtrenuiori deterior ſi praedicet
Suas pugnas: de illius ore fiunt ſordidae.

Quid tu ais, Emmanuel Martine? Mirabilia tua ſcripta ingloria atque ſepulta in pluteis jacebunt! Tantam jacturam res faciet literaria? O virum meliori ſaeculo digniſſimum! Ut dolet iſtud cordi meo! Et cui lacrymas non exprimet iſte dolor? Quid faciemus? Quoniam ſpes tantae decolarunt nobis

Jam ego me convertam in hirudinem,
Atque tuum exſugebo ſanguinem.

Maximas tibi debeo atque ago propterea quod ſcribere me voluiſti ad Philippum Buliphonem, doctum & eruditum virum. Illum ego jam antea amabam aliorum praedicatione; tua vero etiam veneror. Si reſciſſem antea, eum eſſe alterum te, officium meum minime requireres. Oro te, Emmanuel humaniſſime, ut quem excitaſti in Buliphone erga me amorem, merito & auctoritate tua ſuſtineas. Mea officia nunquam deerunt adverſus eum. Tuorum ego te flagito ſponſorem. Joſephum tuum, quem diligo in fratris germani loco, ardentiſſimo humanitatis amore inflammavi. Jam geſtit tua inſequi veſtigia. Utinam, utinam. Juriſprudentiae egregiam operam navat. Et quamquam hoc facit ſua ſponte, cohortari eum inſiſto. Tu me ama, quod abs te unice percupio. Vale. Salmanticae, Pridie Kal. Februarias, An. MDCCXXII.

XIV. MAR-

XIV. MARTINUS MAJANSIO SUO S. D.

Salmanticam.

ERamus una ego & Bulipho, quum redditus mihi eſt literarum tuarum faſciculus. Solvi illum continuo. Et: Heus tu, inquam; eſt aliquid etiam ad te. Nimirum a quonam? ſubjunxit ille. A Majanſio noſtro. Et epiſtolam porrigo. Deoſculatus eſt ille. Eaque avidiſſime perlecta, teſtatus eſt majore ſe nunquam perfuſum voluptate. Amat ille indolem tuam, ingenium, ornamenta, virtutem. Reſcribet ubi tantillum otii nactus fuerit. Fratrem meum vellem nunc ne a Juriſprudentia vel latum unguem. Quem tibi unice commendo, ac inſtituendum trado. Vale pancratice. Alonae. Lupercalibus. An. MDCCXXII.

XV. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO, *Amico ſuo ſummo*, S. D.

Alonam.

TErtius & vigeſimus hic eſt dies, ex quo literas a te accepi plenas humanitatis, officii, liberalitatis tuae. A Philippo Buſiphone tandem heri. Sed Dei hominumque fidem! ut moram ille perſolvit cumulatiſſimis comitatis, & benevolentiae uſuris! Si tuas literas excipio, nihil humanius, nihil liberalius legi. Confido hanc inter nos amicitiam fortunatiſſime perennem futuram: praeſertim cum inita ſit te conciliatore. Antequam abſolverem Commentarios *De Collatione Bonorum*, *& de Dotis Collatione*, conſtitueram eos ad te mittere, ſperans pro mea brevitate epiſtolae modum non ſuperaturos. Sed cum aſſidua lectione multiſque commentationibus nimis creverint, jam non ſunt committendi tabellario. Accipe tamen eorum particulam, ut inde cognoſcas qualia reliqua futura ſint. Sed, ſi cupis ſcire, quamnam inierim methodum in omni opere, nunc deſignabo. Ante omnia quaſi per indicem (procul amandatis controverſiis) omne Jus Collationum expono, Juris progreſſus, & mutationes omnes

 diſtin-

distinguens. Deinde postquam legentium animos imbuo universa Collationum cognitione, titulorum interpretationem adgredior, singulas leges commentario exornans, ne quid, vel minimum, omittatur. Tempus ibi non tero in referendis aliorum somniis: sed ita meam sententiam cum maxima brevitate propono, ut ea cognita quilibet possit refellere falsas opiniones ei contrarias. Sic fugio interpretum a quibus dissensio, reprehensionem. Nec nisi raro nomino quos sequor. Nam cum alicujus approbo sententiam, tunc enitor, ut multo copiosius, & clarius disputem quam ille, atque ideo cum indiligentiae suae testem (cum necesse non sit) advocare nolo. Cum vero alicujus interpretis opinionem rejicio, tunc non manibus ejus (quibus bene precor) sed errori bellum indico facioque. Non usquequaque insisto aliorum ductui. Libera vestigia passim pono, ubi scilicet rei difficultas exigit, ut aliena non premam pede meo. Verum ratione juris ita incedo subnixus, ut aliquando mirer non esse pertritas tam faciles vias. Hae laudes sunto laboris, non ingenii mei. Has ego commemoravi liberius quam mea fert consuetudo, ut his omnibus perpensis mihi significes, num operae pretium facturus sim, si hos Commentarios publici juris fecero, cui rei a Patre jam parata pecunia. Venio ad te scitatum oracula. N. mihi dabat literas ad te, quas accipere nolui, ne ulterius pergat tibi molestiam exhibere. Noster Josephus, si judicio suo pergit uti, Jurisconsultus erit. Despondi ei elaboraturum me Disputationem accuratam quandocumque volet inire literarium certamen. Utere, quantum libuerit, voluntate mea. Vale. Salmanticae, Kal. Aprilib. An. MDCCXXII.



XVI. EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO,

Juveni ornatissimo,

S. D.

Salmanticam.

Literae tuae, quibus nihil mihi jocundius, eo tempore mihi redditae sunt, quum in gravissimam quandam animi aegritudinem incideram, ac molestissimos curarum aculeos. Noli caussam sciscitari. Ad hujus Ecclesiae clavum sedemus. Nihil imperio gravius, ne dicam invisius. Nosti deinde hominum ingenia, versutiora ut plurimum rota figulari. Tenes omnia. Commentariorum tuorum ***De Collatione Bonorum*** specimen legi, discussi. Sed quid ego in tam concisa atque angusta Disquisitione? Non tam

tam enim nobis in ea te oſtentas, quam praeterveheris ocyor nave Salaminia. In quo ego inſtitutum tuum minime probo. Quorſum enim praepropera iſta feſtinatio? Video te verſari in ſterili provincia, arida, ſqualida. At quis te in illam conjecit? Quando aliquid elucubrare animo tibi haeſerat, ſatius multo fuiſſet in laetiorem aliquam ſegetem falcem immittere: ut uberiore materia recreatus animus, eos manipulos demeteret, qui ingenium tuum, ſtudium, laborem, diligentiam, altius commendarent. Exilis materia eſt, nimiſque jejuna, quam tibi ad ſcribendum propoſuiſti. Nec tamen id ego damnare auſim. Scribito quidvis, dummodo exercendi tantum. Habent enim ingenia, ſua veluti incunabula ac rudimenta. At primos ſtatim foetus publicae luci committere, aleae mihi plenum videtur, parum e dignitate tua, ac (famae tuae conſulo) nimis praepoſterum. Noſti illud: *Canis feſtinans coecos parit catulos*. Quod ad Praetorium Edictum attinet, equidem longe aliter ſentio. Nimirum veterum Juris interpretum eſſe illa verba, non autem Praetoris. Amo tamen libertatem tuam, quod in nullius verba juraveris. Nihil enim mentibus noſtris aeque exitioſum judico, ac in ſcribendo alicujus fidei ſe obſtringere. Valeant Pythagorei. Neque tamen id dico, ingenio noſtro uni ac diligentiae omnia eſſe committenda; cum nemo ſolus ſatis ſapiat. Sed ita eſſe ſtudia noſtra temperanda, ut nec aliorum labores per faſtidium atque arrogantiam contemnamus, nec ingenium noſtrum, in morem mancipii, unius alicujus addicamus obſequio. quod ejus vires enervat maxime ac dejicit. Quod nobis cogitationes tuas omnes, conſilia, ſenſa aperuiſti, maximas tibi ago gratias. Quid ais, mi Majanſi, frater meus ſanctiſſimum illud ac verendum Juriſconſulti nomen? Itera dum iſta mihi. Quam ego vellem ut veſtigiis tuis inſiſteret! Caeteroqui nec ineptus mihi viſus eſt ad diſciplinas capeſſendas, nec natura ſocors, aut ſegnis ad ſtudiorum incommoda ſubeunda. Per igitur mihi gratum facies, ſi, uti facis exemplo, monitis etiam atque adhortatione inſtiges illum atque inflammes, ac opera tua, cura, diligentia, inſtitutione, exaſciatum reddas ac dedolatum. Quod per ego fortunas tuas, ac patris ſalutem, oro atque obſecro. Quod homuncionis illius literas ad me ſcriptas non acceperis, gratum mihi eſt. Quin ille tandem iſtas mittit nugas? Egone Inſcriptionem illam ἐπιτύμβιον exararem, quam homo vecors procacibus illotiſque manibus attrectare auderet ac deturpare? Apage has ineptias. Petro Lollio, Canonico Salmanticenſi, ſi modo is verſatur in Urbe iſthac, ſalutem a me dices. ac tuam curabis diligenter. Vale. Pridie Kal. Majas, An. MDCCXXII. Alonae.

XVII. GRE-

XVII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Hiſpaniae gloriae Vindici,

Gaudere, & bene rem gerere.

Alonam.

ORacula fundis, ſapientiſſime Martine. Tuas literas ſtatim ad Patrem. Qui, ſi me vult audire, maxima ſollicitudine liberabit me. Videbimus quid ſtatuendum cenſebit. Procul dubio ſuum calculum adjiciet tuo. Gloriam appeto. Sane vero. Sed veram ſolidamque; non fallacem atque fucatam. Credin', Emmanuel, me mihi ſatisfacere in ſcriptis meis? Apage judicium iſtud. Doleo, indignor, & iraſcor, quod neque mihi poſſim placere. Quoties ſcriptito aliquid, neſcio quid majus evolvo cogitatione mea, quod exprimere ego nunquam poſſum. Id ſi aſſequerer, quieſcerem omnino. Haec ideo dico, quia etſi in Commentariis meis mille prope leges in perbrevi libello explicarim, aliquas etiam ſplendore novo illuſtrarim, tituliſque *De Collationibus* breviſſima quidem Summaria praemiſerim, quibus legentium taedium mirifice poſſit allevari; etſi, inquam, haec & alia praeſtiterim: tamen neſcio quo pacto rebus meis diffido, ut vel caſſa glande Commentariolos meos permutavero. Mitto ad te Dedicationem & Proloquium, quae paraveram. Pauca nunc de mirabili tua Ἀπαστεψέσει, ſi tamen me loqui ſinit admiratio. Deus bene faciat Philippo Buliphoni, egregio rerum aeſtimatori. Maximas illi habemus, & debebit poſteritas immortales. Tu autem niſi jam diu tibi aeternam gloriam peperiſſes, nunc eſſes conſequutus, edito hoc elegantiſſimo opere. Sus Minervam videbor, ſi de te ipſo apud te. Sed tamen hoc ſanctiſſime dejerabo, nihil me in tota vita legiſſe inaffectata eruditione abundantius & amoenius. Ipſum Ovidium (ita me Deus amet) legere videbar. Mera miracula audieram de tuis poematis. Sed cum te oratoria facultate eminentiſſimum eſſe viderem, exiſtimaveram (dicam libere) fieri minime poſſe ut aeque in Poetica excelleres. Excuſſiſti mihi falſam opinionem. Et ſi quid mei judicii eſt, in utraque oratione te cum ipſa antiquitate componere minime dubito.

Vix legeram Elegiam, cum veluti furore quodam correptus ſcripſi iſtos verſiculos, in quibus nihil poteris probare praeter jucundiſſimam de te cogitationem. Caetera me lubente flocci facies. Olivam cogito. Jubet inſtantius

ſtantius Pater ſarcinulas colligere. Praeter mandata tua nihil in hac Urbe exſpectabo. Illud mihi vehementer dolet quod disjungar a fratre tuo ſuaviſſimo. Sed hoc me conſolor, quod ad te propius accedam, teque videre continget. Doctoris inſignia, ſimul ac Valentiam pervenero, accipiam. Inde Olivam advolabo. Ubi poſtquam ſex, aut octo menſes commoratus fuero, Valentiam repetam, vitae meae (niſi me animus fallit) deſtinatam ſedem. Tunc linguarum cognitioni me dedam ad quam tu & Bulipho me eſtis hortati. Quietum ſtudium inſtituam. Ambitionem procul eſſe jubebo. Fratres meos, puellos egregia indole inſtituam. Nihil niſi de famae animaeque immortalitate cogitabo. Interea praeſcribe quid me velis. Meam operam locatam habes ad digiti crepitum. Vale. Salmanticae, XIV. Kal. Jun. An. MDCCXXII.

Verſutiſſima iſthaec ingenia, quae te male habent, per ſalutem tuam contemne. Qui tam recte omnibus philoſopharis, fac tibi ſapias. Ubi tua aequanimitas? Vide ne te praeclare diſputantem, velut Plutarchum ille ſervulus, te tui meminiſſe cogamus. Inter Salmanticenſes Canonicos nullus eſt Petrus Lollius. Facile animum induco te alium ſalutare voluiſſe.



ELEGIA,

QUA

EMMANUELIS MARTINI, *Decani Alonenſis,*

ARCAM, novum ASTRUM ſalutabat

GREGORIUS MAJANSIUS,

Generoſus Valentinus.

ARCA, pererratis toties terraque marique,
Arcanis Domini fida miniſtra tui:
Bis denas experta hiemes cum perpete motu
Reſtituens Domino credita quaeque tuo.
Poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina laetor
Eſſe miniſterio praemia digna tuo.
Gratulor ereptam vitam formamque caducam,
Et ſuperi juſſam fornicis eſſe jubar.
Salve igitur, praeclare nitor, decus addite coelis.

Nostraque per lucem fac rata vota novam.
Invidiosa hominum jam noli mentibus esse.
Divitias tantas non aperire nefas.
Sunt tibi quae nolint Arpinis cedere chartis:
Quaeque tibi invidiam, Mantua clara, parent.
Per quas Varronis facilis jactura videri:
Atque iterum Latii lingua vigere queat.
Sunt quibus antiqui mactetur gloria secli,
Aligeri reprimi possit & ira senis.
Queisque revelentur caussae momentaque rerum:
Nec non priscorum dogmata sancta virum.
Sunt quae Cecropiis scriptae videantur Athenis;
Illarum eloquium nec periisse sinant.
Et quibus Argivi cupiant cum gente togata
Cernere de lingua, Roma diserta, tua.
Istae divitiae, magis & pretiosa recondis
Si qua istis, pateant, nobilis Arca, rogo.
Sic Tu sis posthac insueta luce coruscans,
Ipseque non tali Phosphorus igne micet.
Sic fratres Helenae tibi lucida sidera cedant,
Et Beroniceo vertice caesa coma.
Sic toto coelo non sit fulgentius astrum,
Quodque magis nitidum fundat ab arce jubar.
Sic coeli meliore plaga tibi sistere detur,
Unde oculis hominum suspiciare nitens.
Sic Domini semper videas adcrescere famam,
Dum sero superos augeat Indigetes.



XVIII. MARTINUS MAJANSIO SUO
S. D.

Salmanticam.

HAnc rem age, Majansi mi. Secessum aliquem tibi para, in quo & honeste lateas, & famae consulas, & iis literis indulgeas, quae animum tuum excolant, non quae te fortunis locupletent.

Eget minus mortalis, quo minus cupit.

Ait sapientissime P. Syrus. Quid? Committemus foro divinum tuum ingenium, egregiamque istam indolem, veluti inflicta securi, jugulabimus? Faciant hoc rabulae, quorum institutum est, quisquilias atque affanias debla-

blaterare, nugas vendere, crepitaculi more sonare βαρβαρικῶς, inhiare alienae pecuniae, & verborum sterquiliniis stultorum crumenas emungere. prostituta mancipia, non homines; & specie honoris ignavissima prostibula; ac simulata Jurisprudentiae persona ad decipiendos incautos parata monstra. Foedissima humani generis lues. qui sordibus, juris inscitia, ac aeruscandi libidine, harpyiarum ritu quicquid tangunt conspurcant. Te veneror sanctissima Themis. abige haec propudia. Sed quo me rapit?

Equidem Valentiam quoque migraturio. Simul ac mihi licebit per has compedes, eo me transferam: cum ut gratissimae atque amoenissimae Urbis fruar deliciis, tum ut fratris mei fortunam praesens foveam, ac juveniles gressus confirmem. Quippe illum in eam quoque Urbem cogito. Nam Salmanticenses illas perennitates ac διατριβὰς odi atque detestor. Quid enim aerumnosius, quam prensando, ambiendo, exspectando, aevum traducere? Et cum toties repulsam tuleris, denuo togam candidam sumere?

Κρεῖσσον τὸ μὴ ζῆν ἐστὶν, ἢ ζῆν ἀθλίως.

Ἀπαστερώσεως nostrae nugas tibi arrisisse, per mihi est jocundum. Etsi illa me invito in lucem prodiit. Sed qui ego obluctarer, cum omnibus machinis me oppugnarent, sanctissimum ac maxime mihi verendum amicorum par, Buliphones fratres? Gerendus illis fuit mos. Eo magis, quod opuscula quaedam illi sua, oppido quam elegantissima; vel praefigerent, vel appenderent; quibus lectoris molestia, quam ineptiae nostrae creassent, detergeretur. Ut ut, prodiit sane illa. utinam bonis avibus. Nam de nostratium ingeniis pessime ariolor. Lusus fuit. Si de corio meo luserint, haud magis me commovebunt, quam si in demortui cineres minxerint. neque enim vacat, nec lubet, cum larvis luctari. Insurgent adversus novum hoc astrum liventes vapores? Dissipabo eos splendore Elegiae tuae nitidissimae. qua vix quicquam reperiri potest, venustius. Nunc demum suffragio tuo, non Arca tantum, sed Ἀπαστέρωσις ipsa consecrata est. Immortalitatem illi contulisti. Bene est. ἀπεθεώθη. De Proloquio tuo quid dicam? Pressum quidem illud contractumque. Sed in quo instituti tui rationem modestia singulari ac gravissimis verbis exponas. De Graeca lingua (quando te id serio cogitare scribis) aurem tibi vellam. Crede mihi suavissime Majansi, inopes sunt ac jejunae literae ea sine. Tibi autem, qui scriptoris personam induere paras, apprime illam necessariam judico. nec quid in rem tuam magis conducat video. Commode huic studio vacare poteris in otio Valentino. parata tibi erit opella nostra, si aliquis tibi usus. Sed quid erit fratri nostro, cujus universae opes & copiae positae erant in amore, ope, atque institutione tua? Valde vereor ne discessus tuus exitio illi fuerit. Sed ferenda fortiter quae vitari non possunt. Cis paucos dies in agrum Alonensem rusticatum paro. Utar eo secessu

 usque

usque ad autumnum. Petrus Lollius tam est Canonicus Salmanticensis, quam Pyrgopolinices Plautinus, miles gloriosus. Sed autumo illum, nescio ob quas tricas, nondum Ecclesiam adiisse, ac Mantuae degere. Chafreoni, nisi negotium, salutem a me dices. Vale. Dat. V. Eid. Junias, An. MDCCXXII. Alonae.



XIX. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi, & amico summo,

S. D.

Alonam.

CUm Salmanticae (ut ad te scripsi) de reditu in patriam cogitarem; ecce nuncium qui exanimavit me. Allatum enim laborare meam matrem aegrotatione gravissima: neque genus morbi indicatum. Equidem timui malorum Iliadem. Nec me opinio fefellit. Nam decimo Kalendas Julias (o diem a quo nihil mihi nisi luctuosum exspecto, nisi tantis malis provideat Deus Opt. Max.) cum pervenissem domum, suavissimam matrem inveni, vigiliis, quas mei desiderium pepererat, confectam, summaque inedia ac debilitatione corporis animique prope consumtam. Ad ejus spectaculum obstupui, & dolore oppressus, vix potuissem resistere, nisi me confirmasset illa cogitatio, sic placere Deo. Fiat igitur voluntas ejus. Nam qui haec vult me pati, misericordiae suae memor erit, & patientiam dabit. Tu, Emmanuel Martine, Jesum Christum precare, ut quando nullus labor par est sceleribus nostris expiandis, pietatem clementiamque suam satisfactioni nostrae sufficiat, ut a quo nunc aequanimi (ipsi gratias habeamus) mala isthaec accipimus; eidem hilariores postea gratias nostri levaminis referamus. Literas quas Salmanticam ad me misisti, transmisit amicus. Incredibile est quantum solatii mihi attulerint. Adeo scriptae sapienter, & amice. Faxit Deus, ut Valentiae, sicuti me jubes sperare, liceat mihi aliquando conspectu, colloquiis, & amabili tua consuetudine frui. Non discedam a te latum unguem. Quod ut quantocyus consequar, rogo te, ne Josephum nostrum diutius immorari sinas Salmanticae. Ille quidem cupit discere, sed in ea Academia parum discet ab aliis. Quo quisque ibi ingeniosior est, eo attentior ad consultantium, potentiorumque munera dividentium obsequia, literis interea valere jussis. Quod gravissimis sententiis me hortaris ut procul a foro vivam, habeo gratiam. Odi semper strepitum forensem, & vitam illam conductitiam sordidis-

didiſſimo cuique mancipatam. Literis tuis perlectis multo magis odi. Fac ut iſta loci amoenitate jucundiſſime perfruaris, & ut etiam aliquid elucubres, quo poſtea nos facias voluptatis tuae participes. Curam tamen habe praecipuam valetudinis tuae. Olivae, Non. Juliis, An. MDCCXXII.



XX. MARTINUS MAJANSIO SUO

S. D.

Olivam.

QUum redditae mihi ſunt quas Oliva mihi dediſti, eram ſane occupatulus in reſcribendo literis quibuſdam Scipionis Maffei Veronenſis, Florentia ad me datis. Parat vir eruditiſſimus Syllogen maximam Inſcriptionum antiquarum. Eaque fini, quicquid poſt Gruterum, Reyneſium, Fabrettum, per univerſam Europam e terrae viſceribus erutum eſt, id omne incredibili diligentia colligit atque corradit. Ab eo igitur per literas conventus ſum. ignotus ab ignoto. In iis multa a me quaerit, nec oppido obvia, nec tralatitia. Nimirum, num in Hiſpaniae Urbibus, oppidis, pagis, viis, agris, inſcripti lapides adhuc hodie ſuperſint. Si quidem ſuperſunt, qua copia? ac quaenam loca magis iis abundent? qua lapidum forma? quo ſaxi genere, nativone ac vernaculo, an peregrino & exotico? Albone, an obſcuriore? Et an lapide Epigrammatis incidendis apto abundet Hiſpania? Praeterea, num Hiſpanienſes Inſcriptiones, quas olim edidit Gruterus, adhuc exſtent? Si autem exſtant, num omnes, num aliquae tantum? Et an reperiatur vir aliquis rei antiquariae gnarus, qui editas a Grutero Inſcriptiones cum ipſis lapidibus conferendi provinciam in ſe recipere velit; erroreſque emendare, qui in exemplaria edita irrepſerunt. Ad haec, quis omnium primus eas in lucem emiſerit? Magis accuratule. Quis de iis ante alios ſermonem fecerit? Quando autem Morali, Scotto, Stradae, Reſendio, acceptae referuntur; quiſnam eorum praeceſſerit? quove in opere? quiſve eorum majorem partem protulerit? Ecquiſnam exſtet in Hiſpania vetuſtus codex manu exaratus, Italis nondum agnitus, qui Epigrammatum ejuſmodi collectionem exhibeat? Qui fieri potuerit, ut complures Grutero Inſcriptiones ex Hiſpania afferrentur, quas a nemine unquam uſquamve vulgatas novimus? Scottus ille & Strada, illine ipſi ſint aliis ſcriptis clari, reique publicae literariae aliunde noti; an alii, qui literas in Hiſpania coluerunt? Numque eorum ſchedas, a Grutero tam ſaepe accerſitas, mortalium aliquis viderit? Denique, num hodie etiam in hac provincia hujuſmodi ſcripta monumenta eruantur? Ac (ſi forte eruuntur) num aliquis reperiatur, qui recens

 effoſſa,

effoſſa, nec dum edita, diligenter exſcribere velit, ac per literas communicare? En epiſtolae ſumma. Hui! dices. Quis unquam tam multa continenter unoque ſpiritu ſciſcitatus eſt? In hoc igitur luto haerebam, quum literas tuas ad me miſit Bulipho noſter. Quare viſum mihi eſt tot illa perplexa prius explicare, quam dare ad te. Ne videlicet ardor ille animi tepeſceret, rerumque explicandarum ordo ac ſeries interpellarentur. Adde, mercatorem, cui reddendae mihi epiſtolae cura commiſſa fuerat, reſponſum inſtantius flagitaſſe. Unum me angebat. librorum inopia. Eram enim ruri. nec quicquam librorum mecum attuleram, praeter Geoponicos. Erat enim ſtatutum quum rus ſeceſſi, genio tantum indulgere, & abuti otio. Tamen etiam ad ſingula reſponſum dedi. Satin' apte, ille viderit. Certe epiſtolam a me abſtulit, ſi minus doctam, ſaltem bene longam. In qua omnia complexus ſum, quae homini altius imbuendo viſa mihi ſunt neceſſaria. Quid ſi rus & ſtivam oleant? Deterrebo ſaltem hominem ruſticitate, & a me abigam. Sed qui? Ejus enim leniendo faſtidio, neve operam luſiſſet in me literarum officiis demerendo; pollicitus illi ſum ultra quadringentas Inſcriptiones; partim a me ex ipſis autoglyphis exſcriptas, partim ex idoneis auctoribus, qui eas poſt Gruterum in lucem ediderunt. Mitterem earum literarum ad te exemplar, niſi laborarem exſcriptoris inopia. Deeſt enim mihi ſervus a manu. Verumtamen, ſi tantillum ignaviam excuſſero.

Parentis tuae graviſſimo morbo te confectum video. Vellem quae velles, mi Majanſi. amo enim te impenſius. Spero tamen fore, ut praeſentia tua recreato illius animo, denuo convaleſcat. Exiſtimo enim deſiderio potius tui illam aegreſcere, quam aegrotare. Quicquid ſit, pro ejus incolumitate vota ſuſcepi. utinam ſolvam. Patri tuo ſalutem a me dices. Tu quoque ſalve. E villa Popiliana agri Alonenſis, XII. Kal. Sextileis, An. MDCCXXII.

Quod bonum, fauſtum, fortunatumque ſiet, libri Monfalconiani ad nos tandem pervenere. Scilicet poſt biennales moras. Intercluſus enim fuerat illis aditus ob luem Gallicam. In eo opere frequens mentio nominis mei. Diſſertationem quoque noſtram *De Theatro Saguntino* in eo edidit vir clariſſimus διγλώττως. Latine nimirum, & a ſe Gallice converſam. Quod equidem honoris praecipui loco habeo. Nihil enim in eo decem praegrandium voluminum Syntagmate, auctor edidit alienum, praeter Diſſertationem noſtram.

XXI. GRE-

XXI. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

DE Theatro Saguntino in Gallicam linguam converſo, inſertoque, egregio *Antiquitatis explanatae* Syntagmati ab eruditiſſimo Viro Bernardo Monfalconio, tibi ex animo gratulor. Optime novit vir eximius quanti fieri debeant ſcripta tua. Quas ad Scipionem Maffeium Italiae decus dediſti literas, avidiſſime exſpecto. Et quoniam Inſcriptionum meminiſti, duas huc tranſcribam, quarum alteram nuſquam legiſſe memini: alteram mendoſiſſime deſcripſit Franciſcus Diagus in *Annalibus Regni Valentini.* Debemus tamen ei conſervationem praenominis, quod penitus excidit. Utraque Inſcriptio exſtat in angulis ſacelli ſacri Divis, Joſepho, Alberto, & Auguſtino. Quod ſacellum ſitum eſt in agro Olivenſi inter oliveta, ubi quondam erat oppidulum quod Mauruſii *Beniſarès* appellarunt. Memoratae Inſcriptiones eo translatae fuerunt cum Divorum tabula anno MDXCVI. Olivenſibus Triumviris Jacobo Paſchaſio, & Petro Joanne Siſcare maternis meis atavis clariſſimis; cum fuiſſent antea Helicae (vulgo *Elca*) celebri quondam oppido, cujus multa manent veſtigia ad radicem montis qui vulgo dicitur *Almoxich*, quique Oliva diſtat mille paſſus. Altera Inſcriptio ad dextrum angulum poſita diſtinctis literis ita ſcripta eſt.

P. ATELLIO. P. F.
CAL. VERECVNDc
AN. XXX.
HOMVLLVS FIL.
ET. SIBI.

Alterius Inſcriptionis angulum ſiniſtrum fulcientis, literae ſunt valde corroſae injuria temporis. Si earum ductus ſequamur, ita ſcriptum videtur.

.SEMPRONIVS C. F.
GAL. SEVERINVS
H. S. E.
MINICIAE ELP
R PII MAE

Quod

Quod Epigramma existimo sic restitui posse.

C. SEMPRONIVS C. F.
GAL. SEVERINVS
H. S. E.
MINICIAE ELFI
* vel *Matri* * VXORI PIISSIMAE.

Mea Mater dulcissima convalescit in dies. Jam interfuit sacris. Pater jubet te salvere, tibique precatur fausta omnia. Cura rem literariam, quod facis. Sed & valetudinem tuam. Olivae, VIII. Kal. Septembreis, An. MDCCXXII.



XXII. MARTINUS MAJANSIO *suo* S. D.

Olivam.

CUm rure domum revertissem, en epistola tua, plena humanitatis, officii, amoris, benivolentiae. Urgebant literae Scipionis Maffei, quibus a me promissum repetebat, monito, ut Inscriptionum fasciculum ad Carolum Rinuccinum, Magno Etruriae Dynastae ab intimis secretis, quam primum mitterem. Eam fore viam expeditissimam tutissimamque. Idem me monuerat Marchio Rinuccinus. Itaque totus eram in schedis evolvendis parandisque. Acta res est bonis avibus. Missae sunt Inscriptiones antiquae quadringentae decem & octo, ac in eas quaedam annotatiunculae, obiter iis appictae.

Primum quod tu mittis Epigramma, a nemine adhuc editum est. Indiget tamen accuratiore calamo. Legendum enim.

P. ATELLIO P. F.
GAL. VERECVNDO
AN. XXX.
HOMVLLVS FIL.
ET SIBI.

Est enim illud GAL. compendium tribus Galeriae. Tribus autem nota sedem habet semper inter nomen atque cognomen. Solennis ea formula. Nec aliter unquam apud antiquos. Adeo, ut si secus occurreret, vel barbara haberetur ea Inscriptio, vel spuria, ac sublestae fidei. De altero Epigrammate deliberandum censeo. A fratre meo sex jam menses nullas acce-

accepi. Vivitne, an vixerit, nescio. Misi illi subsidiariam pecuniam. accepit. nec ad me quicquam. Valde vereor ne discessus tuus illi infortunium pariat. Nam ille quidem de suo parum mihi videtur sapere. & jam diu ejus me ineptiarum atque inertiae pertaedet. Quare, si illum officii admonueris, per mihi gratum facies. Parum enim absuit quin illi miserim libellum repudii.

Matrem tuam meliuscule habere, sacrisque interfuisse; vehementer gaudeo. Anna Perenna fer opem, serva illam obsecro. Patrem tuum quam arctissime amplector, ejusque humanitatem deosculor. Salveat a me. Tu quoque salve, & nos ama. Alonae, Kal. Septemb. An. MDCCXXII.



XXIII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Amico summo,

S. D.

Alonam.

Mirum in modum oblectasti me tam luculenta liberalitatis tuae significatione. Literas, quas ad Maffeium dedisti, accepi, legi, perlegi. Quanta jucunditate non possum dicere. Nec dicerem, si possem. Adeo me male habent, quae de Josepho nostro scripsisti. Quid ais, Emmanuel charissime? Ergo tuus ille observator a via deflectit! Ergo probus ille adolescens negligere inceptat officium suum! O malum genium qui eum exagitat! De tam probo adolescente vix tale crederem. Scripsi ad eum diligentissime, mirari me quid esse possit, quod de illius salute perquam sollicite rogaris me. Atque nactus inde occasionem ipsius desidiae reprehendendae, amicis quidem, sed aculeatis verbis, ejusdem imprudentiam castigavi. Graviter eum admonui, quantum debeat tibi. Te consiliis officiisque alterum ei parentem esse. In sua manu repositum, eadem posthac promereri. Colat te, revereatur. Denique adlaboravi quantum potui, ut intelligat, sua solius interesse, morem tibi in omnibus gerere. Et quoniam morbi cognitio principium est sanitatis, amantissime caussam quaesivi (si qua esse potest) praetermissi officii. Ecquis scit consilione, an incogitantia, an valetudinis caussa (quod absit) scribere desierit? Multa latere nos possunt, quae si ejus incuriam non excusent, at certe veniam mereantur. Dicam libere, & ut tu cupis tecum agi. Josephus noster vult proficere. Hoc habeto certissimum. Id tamen ipse per se solum praestare nequit. Indiget aliquo Achate qui studium ejus dirigat, difficultates ex-

pediat, complanet viam. Tametsi enim ipse optimo judicio est praeditus, destitutus est iis artibus, quibus id assequi posset sine alio duce. Te absente, non ita magna Latinae linguae cognitione, in Philosophiam detrusus est. Humaniorum literarum est rudis, quae tantopere conducunt ad Jurisprudentiam. Neminem habet Salmanticae, qui explicare, quae ipse ignoret, aut velit, aut sciat. Quid quaeso faciet bonus adolescens? Vide ne cum tui coeperit oblivisci, jam pridem se ipsum oderit. Considera num hac via pertentet, ut illis terris jubeas excedere. Verum haec omnia merae conjecturae. Cum rescribet, certius loquemur. Ut ut est, tuum id statuere, quod humanitatem tuam magis deceat, & illi sit convenientius. Destituere illum non est aequum. De mea in te & in eum voluntate haec habeto. Ante Kal. Novembris proficiscar Valentiam. Doctoris insignia suscipiam. Cathedrae, quae propediem vacabit, subscribam me competitorem, ut Patris spes hoc pacto sustineam. Sive consequar eam, sive non, paratam habebis opellam nostram, si fratrem tuum eo mittere volueris. Illi omnia cupio. Tui caussa quidvis suscipiam. Interea aegritudinem omnem ab animo amove, & fac (per Deum immortalem) ut athletice valeas. Olivae, XI. Kal. Octobreis, An. MDCCXXII.



XXIV. EMMANUEL MARTINUS GREGORIO MAJANSIO *suo* S. D.

Valentiam Edetanorum.

Quando ita tibi visum est, habeto Sanctiones nostras, sive LEGES, ad Bibliothecam pertinentes. Num tibi visae fuerint putidulae, vel bellulae, fac dum ex te sciam. Mihi certe vel ob id unum maxime arrident, quod ad librorum conservationem, nitoremque collimant; cujus fui semper ad insaniam studiosus. Etiam tui. Vale. XIII. Kal. Februarias, An. MDCCXXIII. Alonae.

L E G E S
VOLUMINA EX BIBLIOTHECA NOSTRA
COMMODATO ACCEPTA LECTURIS.
SECUNDUM AUSPICIA LATA LICTOR LEGE
AGITO IN LEGIRUPIONEM.
MAS VEL FEMINA FUAS, HAC TIBI LEGE
CODICIS ISTIUS USU NON INTERDICIMUS.

I. HUNC

I.

HUNC NE MANCIPIUM DUCITO: LIBER EST. NE IGITUR NOTIS COMPUNGITO.

II.

NE CAESIM PUNCTIMVE FERITO. HOSTIS NON EST.

III.

LINEOLIS INTUS FORISVE, QUOQUOVERSUM DUCENDIS ABSTINETO.

IV.

FOLIUM NE SUBIGITO, NE COMPLICATO, NEVE IN RUGAS COGITO.

V.

AD ORAM CONSCRIBILLARE CAVETO.

VI.

ATRAMENTUM ULTRA PRIMUM LAPIDEM EXESTO. MORI MAVULT QUAM FOEDARI.

VII.

PURAE TANTUM PAPYRI PHILURAM INTERSERITO.

VIII.

ALTERI CLANCULUM PALAMVE NE COMMODATO.

IX.

MUREM, TINEAM, BLATTAM, MUSCAM, FURUNCULUM, ABSTERRETO.

X.

AB AQUA, OLEO, IGNE, SITU, ET ILLUVIE, ARCETO.

XI.

EODEM UTITOR, NON ABUTITOR.

XII.

LEGERE, ET QUAEVIS EXCERPERE; FAS ESTO.

XIII.

PERLECTUM APUD TE PERENNARE NE SINITO.

XIV.

SARTUM TECTUMQUE, PROUT TOLLIS, REDDITO.

XV.

QUI FAXIS; VEL IGNOTUS, AMICORUM ALBO ADSCRIBITOR.
QUI SECUS; VEL NOTUS, ERADETOR.

HAS SIBI, HAS ALIIS PRAESCRIBIT LEGES, EMMANUEL MARTINUS.
QUOI PLACENT, ANNUE: QUOI MINUS, QUID TIBI NOSTRA TACTIO EST? FACESSE.

XXV. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

EXimius es legislator. Abs te latae Leges ad Bibliothecas pertinentes sane sunt quam dignae, quae in tertiam decimam tabulam incidantur. Statim agnovi legum vocem, tuamque Dictatoris literarii gravitatem; quam tu tamen temperasti singulari quodam lepore: adeo ut si condendis legibus destinatus Plautus fuisset, non haberemus lepidiores. Collocari deberent in Bibliothecis omnibus, ad earundem & conservationem & nitorem. Ego in mea praefigam unde de plano recte legi possint. Ob tam gratum munus tibi gratias ago. Vale. Et me tui amantissimum redama. Valentiae in Edetanis, IIX. Kal. Febr. An. MDCCXXIII.

XXVI. GRE-

XXVI. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi, & Musarum Antistiti,

S. D.

Alonam.

QUinque Jurisconsultorum Fragmenta, quae superioribus diebus interpretatus fui, ad te mitto. Tum quia mihi cognitum atque perspectum est, quam gratae sint tibi ejusmodi reliquiae: tum quia operi meo singulare pretium accedet ex recognitione tua. Iccirco advolat ad te una cum spongia: quam tu tractabis Aristarchi more, aut tuo potius adversus me: in iis praesertim in quibus primus egomet mihi dux fui. Scis quanti faciam judicium tuum. Adeo ut unus existas in cujus verba jurare non dubitavero. Tuam ergo sententiam libere, ac amice profer. Tunc enim statuam, famaene meae conducat, opusculum hoc domi continere, an foras emittere. Nam si nostrum libellum improbari tibi cognovero, *consilium tacito corde damnabo meum.* Sin aliquantulum placere tibi intellexero, audacter eum in lucem edam. Et postea

> *Hunc obtrectare si volet malignitas,*
> *Imitari dum non possit, obtrectet licet.*

Mihi sat laudis partum erit, quod tu probaveris, *dignumque longa judicaris memoria.* Vale. Valentiae in Edetanis, V. Eidus Martias, An. MDCCXXIII.

XXVII. EMMANUEL MARTINUS,

Alonensis Decanus,

GREGORIO MAJANSIO,

Eximio Jurisconsulto atque ornatissimo adolescenti,

S. D.

Valentiam.

CRassi divitias minoris facerem (jurato mihi crede, mi Majansi) quam veterum Jurisconsultorum Fragmenta, quae ex oblivionis tenebris ex-

tracta, & in publicum protulisti, & aspersisti nitidissima illa luce tuarum commentationum. Di illos capitis perdant, qui levia haec ducunt, nec satis digna quibus a viro gravi impendatur opera. Nae illi egregie mihi videntur desipere. Quid enim ex antiquis Jurisconsultis proferre possunt praeter excerpta? Num ideo quis dixerit operam in iis explanandis male locatam? Equidem contra sentio. E veterum nimirum scriptis nec voculam praetereundam sine piaculo. Quemadmodum enim in quolibet speculi fragmento rei objectae integra nobis species repraesentatur, haud aliter in quantulacumque antiqui scriptoris superstite particula, priscae illius simplicitatis, candoris, puritatis, leporis, elegantiae, imaginem perspicies. Num oleum prodegisse, operamque lusisse, censendi sunt Pardulphus Pratejus, & Samuel Petitus, qui Draconis & Solonis Leges, per omnes latebras perquisitas, atque e tenebris situque erutas insano labore, miroque ordine, rerumque nexu digesserunt? Atqui ea fragmenta quidem sunt & disjecta membra, quae per obliterata pene vestigia sagax diligentia deprehendit. Num Ursinus, aliique exsibilandi, qui Leges Regias summo studio hinc inde collectas ad posteros transmisere? Quid referam de XII. tabulis, in quibus coagmentandis, exasciandis, poliendis, Gothofredi junioris diligentia tantopere commendatur? Gravinae item, viri gravissimi, dumque in vivis ageret omnibus officiis nobis conjunctissimi, qui ea ipsa fragmenta sibi exemit enucleanda? Quid utilius aut illustrius fragmento illo Senatusconsulti, quod Regiae Legis nomine profertur? Quod nobis per fraudem Tribonianus obtrusit, ut Principi suo viam sterneret ad Regiam dominationem, triplici illa potestate; consulari nimirum, senatoria, ac populari, quae recens creato Imperatori tribuebatur? Qui vere cardo regiae majestatis. Nec suboluit dolus, donec tabula aenea, ab Antonio Augustino & Jano Grutero edita, fucum nobis aperuit, ac subdolam Triboniani interpretationem. Cujus pravi animi perversitas, & blandiendi libido, majorem Reipublicae plagam inflixit, quam Caesaris & Pompeji dissidium, triumvirales proscriptiones, legionum protervia, ac praetorianarum cohortium insolentia. Quis enim dubitasset, tanto viro praeeunte, quin universae Reipublicae copiae, triplexque illa potestas, quae illi erat instar sanguinis, in imperatorem translatae fuissent, gladio sponte in libertatis jugulum adacto? Et tamen longe aliter se res habet. Non enim Princeps opes illas facultatesque a Senatu avulsas in se transferebat; sed cum illo habebat communes, veluti cum universo corpore. Cujus rei luculenta exstant exempla in Romana historia, ubi videmus Principes nonnunquam a Senatu hostes judicatos, imperio ejectos, milites, urbes, provincias, sacramento solutas. Quae omnia indicia sunt illibatae potestatis. Quas Peckio habebimus gratias, qui Leges Nauticas, & Jus Navale Rhodiorum, e veterum reliquiis hac illac dispersis, collegit concinnavitque? Qua igitur fronte diligentiam tuam carpent Thrasones

ſones iſti (ſi qui forte erunt) & inania tintinnabula? quibus vel ovum hypenemium parere, nec ab ingenio tributum eſt unquam, nec a natura. Tu illos, ſi me audies, non pluris facies quam Aquila Thripas. Utinam eſſent qui idem ſtudium impenderent in reliquiis ſeorſum colligendis & illuſtrandis Balſamonis, Stephani, Nicaei, Talelaei, Euſtachii, aliorumque, qui in Baſilicorum libros incubuerunt. Infinita pene occurrunt eorum exempla, qui vetuſtorum ſcriptorum fragmenta, vel ignota antea vel neglecta, ſumma cum laude collegerunt, in iiſque exornandis, cum incredibili doctorum hominum plauſu, reique literariae commodo, verſati ſunt. a quibus recenſendis conſulto abſtinemus, ne extra chorum ſaltare videamur. At reliquiae quidem ſunt pertenues perque exiguae, quas tu illuſtrandas ſuſcepiſti. Sane vero. Eo arbitror majorem te a nobis initurum gratiam. Notiora etenim monumenta cum in omnium oculos incurrant, propria mole ſuſtinentur atque perennant. Quae vero ſemel occurrunt; cum exiguitate ſua maxime laborant, tum incautos legentium animos fallunt ſaepiſſime. Porro, Fragmentorum exilitatem aut copiam, metirine debemus a verborum circuitione atque complexu, an a doctrinae ſucco, & orationis ſanguine? Si poſtremum hocce (quod neminem inficiaturum credo) num aridum & exſangue cuiquam videatur quod a P. Rutilio definitur, ligna & carbones penoris legato contineri? Num leve aut exile quod Q. Cornelius aſſeruit; palos, perticas, raſtros, ligones, in vineae inſtrumento contineri? Idem dicendum de Rutilii Maximi & Campani Fragmentis. Excellit autem praeſtantiſſimum illud uberrimumque Tarruntii Paterni, in quo ii recenſentur, quibus conditio graviorum munerum vacationem tribuit. Quid eo elegantius? Quid doctius? Quid plenius Romano ſanguine? Sed eſto. Sint ea quidem exigua & levia. Ciccum non intereſt. Tu enim ſingulari tua eruditione, eximiaque doctrina, agrum illum, quantumvis ſterilem, ita excoluiſti; ut Theſſalica tempe amoenitate ſua longe ſuperaverit. Fac igitur ut inanes iſtas umbras contemnas, & caſſa terriculamenta. Noſque ama, & vale. XII. Kalend. Aprileis, An. MDCCXXIII. Alonae.



XXVIII. MARTINUS MAJANSIO *ſuo* S. D.

Olivam.

VEllem omnino, Majanſi mi, ut ſemper ob oculos gereres ſenarium illum:

Ὑγιεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Quor-

Quorſum enim ingenii acumen & ſolertia, ſi infirma valetudo, ſi vires corporis imbecillae? Video te identidem infeſtari febricula, & incolumitati tuae parum conſulere. Cum enim aer ille patrius gravis habeatur, & ſaluti oppido infenſus; tu tamen nihil tam habes in deliciis, quam illo itare, cumque diſceſſeris, denuo iturire. Quaenam haec inſania, ſalutem tuam minoris pendere, quam infeſtas illas glebas; & anniverſarias ſectari querqueras? Quare, ſi ſapis. Nihil enim tam intereſt tua, quam tute.

Fuiſſe nuper Valentiae Romanum quendam bibliopegum, nunciavit quidam. Si adhuc iſthic degit, bene eſt. Romani enim βιβλιοπηγία, elegantia Gallos aequant, operis diuturnitate ſuperant. Mittam una Joannis Chryſoſtomi tomum primum Romae compactum, ut ſit illi exemplo. Vale anime mi. Alonae, pridie Eidus Septembreis, An. MDCCXXIV.



XXIX. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonenſi,

S. D.

Alonam.

Mihi quidem, Emmanuel chariſſime, non a patrio ſolo, ſed a memet ipſo cavendum eſt. Patria mihi ſalutaris, quamdiu ego ſolum delectabar veterum Poetarum ac Hiſtoricorum lectione, aut ſcientiarum, etiam graviſſimarum, mediocri ſtudio. Sed ex quo hanc Cathedram adſcendi, de ſalutis ſtatu dejectus ſum. Ita tamen, ut ſi mihi velim conſulere, ipſo Antaeo validior poſſim ſurgere. Fractus ego labore ſum. Sed, ſi verum illud (ut ſane eſt.)

—— vires inſtillat, alitque
Tempeſtiva quies: major poſt otia virtus.

ubi primum quievero, fortis ero atque robuſtus, volente Deo. Statueram ego vix videre libros his aeſtivis feriis; atque ideo paucos mecum attuli Olivam: ſed ubi me ſenſi valentiorem, in laborem maximum me detruſi, ipſa librorum paucitate me ad ſuſcipiendum eum invitante. Juriſconſultorum omnium diſpoſui ſeriem ſecundum Chronologiam, adhibitis probationibus ex ipſo Jure. Eorundem Tractatus ordine alphabetico diſtribui: opus adhuc intentatum, & mihi ſaltem utiliſſimum, ut in quolibet argumento ſciam, cujus Juriſconſulti Fragmentis uti debeam; & quot ex eis ſcrip-

scripserunt ea de re, ut primum omnium eos tanquam fontes adeam. Omitto alia. Nunc hae quercerae anniversariae alios mores postulant, vitam aliam. Crastina die me conferam in oppidulum vulgo *Pavias*, cujus Curio est Josephus Marinus, olim meus institutor domesticus, priscae probitatis vir, meique amantissimus. Ibi libris omnibus valere jussis, salubres saltus peragrabo, aquam purissimam bibam, perdices in lance, subtilissimas auras in illis montibus captabo. Morabor illic usque ad Lucalia. Interea, si vis, D. Joannis Chrysostomi mittito libros. Licet enim puer ille Romanus Bibliopegus, qui Liguri cuidam locabat operas, Mantuam Novam abierit; non deerit alius, qui firmius & elegantius adornet libros. Solum deerit nobis limpidissima illa membrana qua bibliopegi Batavi uti solent. Frater meus Vincentius hic manebit. Si miseris libros, curabit compingi. Vale, summum decus literarum, & ama me. Valentiae in Edetanis. Sexto decimo Kal. Novembreis, An. MDCCXXIV.

XXX. MARTINUS MAJANSIO *suo* S. D.

Valentiam.

NArro tibi rem permolestam. Mihi manus intuli, & viscera mea discerpsi. Nempe, venit ad nos bibliopola quidam Londinensis; specie quidem ut libros nostros videret; re autem, ut, si fieri posset, pretio a me extorqueret. Igitur iis diligenter inspectis, animi sententiam aperuit. Nec surdo dictum est, nec nolenti. Itaque tribus verbis transacta res est. Valde enim cupiebam libros distrahere, quorum nullus mihi usus. Jamdiu enim non mihi tantum oculi caligant; sed & palpebrae, ignei cujusdam humoris affluxu, molestissima quadam prurigine infestantur. Neque subsidium mihi ullum ab optice. Simul enim mihi tenebrae oboriuntur. Ad haec, cruciabar animo, in hac bonarum literarum solitudine nondum mihi licere personam mutam exuere, quam per tot annos sustinui. Ut ne studiorum nostrorum ratio ulterius mihi fraudi esset. Denique (quod omnium caput est) praesagiebam fore, si libros reliquissem superstites; ut scombris piperique essent cuculli, thurisque involucra, vel (si Dis placet) Latrinis emunctoria praeberent. Itaque, angore potius animi ac desperatione, quam sponte atque ex sententia, invisam supellectilem domo abegi. In eoque mentis aestu hos versus panxi.

Infaustis avibus libri exarati,
Et chartae steriles, abite in ignem.

Quin vobis male sit, probrosae, inertes,
Cassae literae; in crucemque sontes
Ite, triste mihi atque inane nomen.
Tuque invisa Minerva, diva fallax,
Gnavae pernicies bonaeque mentis,
Futilis Dea, numen inficetum,
Lethale illicium, facesse longe.
Nostram desine fascinare mentem.
Odi teque, dolosque, abominorque
Pellaces laqueos, laboriosas
Quis soles animas, potens nocendi,
In triste exitium vocare. Noctes
Insano studio, atque pertinaci,
Exhaustae, male collocatae, inanes,
Peristis penitusque funditusque,
Laevo numine lucubrata scripta,
Infaustis avibus libri exarati,
Et chartae steriles abite in ignem.
Olim deliciae, quies, levamen
Languentis domini, & labore fessi:
At nunc quisquiliae, meraeque nugae;
Et gerrae illepidae, valete multum.
Sacrae Mulcibero flagrate chartae,
Absumat pluteosque codicesque
Vulcani rabies. Vorate cuncta.
Quae me intemperiae, furorve adegit,
Ut lustrare adytum sacrum repostumque
Auderem stolidus, sacrumque limen
Minervae? atque sacros movere postes?
Heu! me perdidit ingenI venustas.
Huc, huc Bibliopola nundinator,
Tot volumina, sarcinas inertes,
Aufer hinc, apinasque naeniasque.
Evolvant quibus obsequentiorem,
Et laetam Superi dedere sortem.
Me fortuna premitque conficitque
Atrox, lurida, tristis, invidensque.
Utque olim citharoedus ille, vitam
Duxi ἀνακρόατος, silente fama,
Ignotus patriaeque civibusque,
Atque inglorius. O! satis superque
Vecors desipui. Valete prisca.

Nuga-

Nugarum satis atque ineptiarum.
Tintinnabula vana, barbarique
Stridores, Scythicae sonus loquelae,
Regnate incolumes vetante nullo.
Mirentur stolidique stipitesque
Rixosûm crepitacla morionum,
Inanesque sonos, nucesque cassas,
Et squalentis agri aspra senticeta.
Nos, quis contigit auribus Batavis
Verba fundere, verberare ventos
Incassum, & steriles arare campos;
Stertamus valide, atque utramque in aurem
Dormiamus. Iners premat supinum
Somnus, obstrepero sonante roncho.

Alona, Eidibus Aprilis, An. MDCCXXVIII.



XXXI. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

TAm acerbo dolore sum oppressus, ut ei resistere non possem, nisi qui vulnus inflixit Deus Opt. Max. idem ipse sanaret. Pridie Nonas Decembreis tristissimum accepi nuncium de suavissimae Matris meae valetudine tenui aut nulla. Statim Olivam advolavi. Sed eodem tempore quo ego ab hac Urbe proficiscebar, ipsa Creatori suo reddebat animam. Itaque inveni defunctam. Sed nisi in feretro depositam vidissem, existimassem vivam. Inveni enim qualem solebam, modestissime subridentem, eadem oris dignitate, imo venustiore. Mors enim pristina oris lineamenta non immutavit, & pallidulo colore infuso, quasi speciosissimo pigmento decoravit eam. Ejus igitur aspectus, quem mihi peracerbum existimabam futurum; mihi jucundissimus fuit: multoque postea jucundior, cum genus mortis audivi. Pridie Kalendas Novembreis sacris adfuit. Ut rediit domum, sterni lectum jussit, decubuitque acerbissimo ventris dolore infestata. Nimirum corpusculum vigiliis, ac inedia debilitatum, naturalibus facultatibus non valebat uti. Acciti Medici, quibus, postquam experta fuisset, inutiliter tentata omnia artis remedia, *Frustra*, dixit, *estis. Nam medicamentorum vis accelerabit mortem. Quamquam autem eorundem*

omiſſio ad evitandam eam minime proficiet; optimum erit, me perexiguum tempus, quod ſupereſt, animae ſaluti impendere. Statim juſſit accerſi Sacerdotem, cui ſuam aperuit conſcientiam. Deinde enixe orabat, ſibi deferri Sacrum Jeſu Chriſti Corpus. Cum autem atra bilis per ejus os redundaret, fluitaretque; hoc ſolatium ei denegatum fuit. Quae tunc ejus oratio? Mortis anguſtias oblita eſt prae illius nuncii acerbitate. Sacram igitur Unctionem ſibi deferri juſſit: & ut decentius eam acciperet, oculorum, aurium, narium, manuum, praecipueque pedum abſtergi ſordes, ſi quae eſſent, praecepit. Chriſtiano ritu ad omnia attentiſſime, & alacritate ſumma reſpondit. Sacro oleo peruncta, cum Sancto Spiritu novos ſpiritus ſumſit, tanquam athleta ſtrenuiſſimus adverſarii deſpiciens imbecillitatem, victoriaeque aſſuetus. Mirifice in fide, ſpe, & charitate confirmata fuit. Adeo divina dixit, ut coeleſti ſpiritu afflata videretur loqui. Laeto animo Domini adventum exſpectabat; parataque erat depoſitum ſuum, quandocumque illud a ſe repetere vellet, libenter reddere. Marito ſuo, propinquis, domeſticis omnibus vale dixit ſumma animi conſtantia, nullo mortis metu. Emmanueli filio, qui ex nobis ſolus aderat, benedixit, & mihi quoque, & Antonio abſentibus. Coram ſe poni juſſit mortualia veſtimenta, quae cadaveri veſtiendo ante multos annos praeparaverat, interulam, thoraculum, velamen, tibialia, ligulas, calceos, funiculum funebri veſti adſtringendae, filum bombycinum coloris ſubcinericii ad tunicae ſinus conſuendos, vittam ad manus colligandas, crucem complicatis manibus inſerendam, candelam ceream quam in manibus eſſet habitura, cum Chriſtiano ritu ejus anima Deo commendanda eſſet. Et, quod eſt mirabilius, cuſtodiebat eundem illum cereum, quem ejus proavia, & avia, cum ab hac vita diſcederent, manibus ſuis tenuerunt. Afferri juſſit Divi Franciſci habitum, quem voluit detritum eſſe, ſed mundum. Hunc ut vidit, manibus ſuis tenens oſculanſque, orationem habuit ad Divum Franciſcum, qua filia a Patre clementiſſimo (erat enim ſodalitii prima ſoror) opem auxiliumque imploravit, omnibus qui aderant illacrymantibus. Deinde ſupra ſuum corpus ſterni eum juſſit. Praeterea ſibi dari voluit Servatorem affixum cruci, manuque tenens, ſingulas plagas ſalutans oſculanſque a capite ad pedes, dixit diviniſſima. Quid verbis opus eſt? Tantus erat mentis animique fervor, ut viri pii qui aderant, coacti fuerint eam admonere, ut quieſceret, ne ſibi mortem acceleraret. Quibus illa. *Imo nunc maxime laborandum, ut vitam conſequar.* Urgebant ut dormiret. *Imo*, inquit, *nunc praecipue vigilandum. Vos apud Deum adjuvate me obſecrationibus veſtris, & mihi verba praeite.* Nullum ab ejus ore verbum excidit, quod non videretur incidendum auro, vel potius cordibus. Cum ita ſe praepararet ad aeternum iter, pervenit ad meridiem diei ante Nonas Decembreis, conſecrati Divae Barbarae, cui tota vita devotiſſima fuit, habuitque ſemper illius effigiem ad lecti caput; cumque ſciret jam

eſſe

esse prandendi tempus: *Accumbite*, inquit, *ne quid humanitus accidat*, *quod id prohibeat*. Obtemperatum est. Cumque pervenisset ad horam primam pomeridianam, arteriam ipsa exploravit suam; debilem invenit. *Et ego*, inquit, *morior. Animam meam cito cito commendate Deo.* Quod cum praesentes facerent innixi genibus, gemebundi, & illacrymantes, ipsa clara & constantissima voce Symbolum fidei recitavit; deinde dixit summa animi dulcedine, voce adhuc sonora, sed remissiore: *Salve Regina*. Quam orationem cum finisset, conticuit; pectori suo Jesum Christum admovit; eum arctissime complexa fuit; & hilaris subridensque eidem animam reddidit hora prima & quadrante post meridiem. Statim omnes domestici, propinqui, amici, in lacrymas effusi. Omnes narrare ejus probitatem, religionem, charitatem, humanitatem, ac virtutes omnes heroina dignas. In tanto caeterorum luctu, quid ego faciam, quem acerbius urit hic casus? Nihil juvat nisi flere, partim dolore, partim gaudio; dolore quod caream tali Matre; gaudio quod habuerim talem. Utinam illa quam in morte subeunda fortitudinem obtinuit, mihi a Deo impetret, ut casum hunc feram & tolerem animo, qui Christianum decet. Te oro & obtestor, optime Vir & amice egregie, ut idem a Deo petas, & ut valetudini tuae diligentissime servias. Valentiae Edetanorum, XV. Kal. Januar. An. MDCCXXXII.

XXXIII. MARTINUS MAJANSIO *suo Hilaritatem.*

S. D.

Valentiam.

NOvissimae tuae literae xv. Kal. Januarii ad me datae nuncium mihi attulere tristissimum. Matrem nempe tuam rebus humanis defunctam. Eoque te in maximo jacere luctu atque moerore. Quem ego funestissimum casum quum animo meo reputo, nullum invenio par dolori tuo solamen. Amisisti enim optimam parentem, feminam lectissimam, tuique amantissimam. Denique morum sanctitate insignem. Amisisti filius optimus, pietate adversus parentes eximius, probitate conspicuus, mitissimo ingenio, vitae innocentia, morumque integritate spectandus, totque naturae ac literarum ornamentis clarus. Tamen id cogites velim, naturae congruentius reputari, fatique ordini, si parentum funera, liberorum praecedant, ipsique filii eorum oculos claudant, eosque efferant. Porro de matre diuturna valetudine confecta, imbecillo corpore, ac viribus

bus pene exhausta, quid ultra sperare liceret, nullus video. At decessit. Fateor. Sed naturae lex est. Ea conditione in lucem prodimus. Quid mirum obiisse hominem, meram umbram? Quando quidem superba aedificia, potentissima regna, urbesque maximae, intereunt? nec ullum deprehenditur pristinae majestatis vestigium. Reliquit tibi superstites, patrem sanctissimum, fratresque minores egregia indole, atque eximia spe adolescentes. Reliquit praeterea (si quid ad rem attinet) amplum patrimonium. Per igitur salutem tuam, per funestae domus genium ac fortunas, te oro atque obtestor, ut memor humanae sortis tibi consulas, quantum pietas fasque sinunt, moerori parcas, neve acerbissimo dolori nimium indulgeas. Quodque ad me attinet, doleo quidem dolorem tuum, & (ut prisca illa formula utar) VELLEM QUAE VELLES. Opera rebusque nostris utere, abutere. Et cura nihil aliud nisi ut valeas. Alona, XII. Kalend. Januarii, An. MDCCXXXII. Ipso die Brumae.



XXXIII. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Praeceptori suo

S. D.

Alonam.

EPistolarum mearum Libri Sex typographicis formis jam prope sunt excussi. Eos dedicare constitui Cardinali Florido, cujus virtutes tantopere ab omnibus celebrantur. Dedicationem ad te mitto una cum spongia. Adjunxi Elegiam, qua volumen alloquor, quaque cogito ei colophonem imponere. Lege utramque fastidiose, & quicquid tibi displicuerit expungito. E tuis tamen nominibus cave meum erradas. Omni officiorum genere voluntati tuae satisfacere percupio. Vale pugilice. Valentiae Edetanorum, Nonis Aprilibus, An. MDCCXXXII.

Eminen-

Eminentissimo Viro

D. D. ANDREAE HERCULI FLEURY,

S. R. E. Cardinali sapientissimo, & Regis Christianissimi Administro Principi, integerrimo vigilantissimoque,

GREGORIUS MAJANSIUS

Generosus Valentinus,

S. P. D.

XXXIV. ETsi Parisios mittere Libros perinde sit ac Noctuas Athenas; tamen existimo, imprudentia me non peccare, qui Librum proficisci jubeo ab hac Urbe, unde ad istam tanquam ad literarium Emporium tot ivere viri Literariae Reipublicae clarissima lumina & ornamenta, Andreas Straneus, Joannes Gelida, Joannes Ludovicus Vives, Petrus Joannes Nunnesius, & quamplurimi alii

Magnanimi heroes nati melioribus annis.

Quorum aliqui inter egregios istius Academiae Antecessores locum obtinuere conspicuum, & in hominum memoria retinebunt semper. Sed o tempora! o mores! Valentini qui quondam celeberrimas Orbis Academias peragrabant, vel ut discerent, vel ut docerent; nunc, veluti cochleae, extra domum suam, extra Regni scilicet fines pedem efferre non audent; praemiorumne desperatione, an animorum demissione, non est hujus loci neque temporis disputare. Certe ego qui jam annum nonum Jus Civile profiteor, non dicam praemium aliquod vigiliarum mearum nactus sum; sed neque obtinendi aliquod spem ullam video. Adeo mearum rerum sum ego immemor, aliique mei. Quare, cum amici aliqui hanc meam inertiam castigant, ita in incertum adigor, ut quid consilii capiam, omnino nesciam.

Nec quid agam invenio, nec quid nolimve velimve:
Nec satis utilitas est mea nota mihi.

Ab una parte Antecessoris munus (quod utinam nunquam suscepissem) in hac Urbe, licet meritis meis ingratissima, detinet me, scholasticorum profectu tanquam Sirenum cantu delinitum; ab alia autem frustra impensi tot tantique sumtus studiorum gratia, domesticam quietem amplectendam admonent; hortanturque me ad conservandas majorum meorum facultates,

tes, injuria temporum valde deminutas attritasque: quas reparare velle iis artibus, quibus uti coepi, laborando, vigilando, juventutem instituendo, ut pulchrum, ita difficile. Igitur dum meus animus in deliberando distrahitur, meos interea Libros (pene dixi liberos, & re vera sunt mentis meae flioli) adjuvare volo, sufficiens eis viaticum honestum, ut iter arripiant ad Moecenatem aliquem, qui & illis sit ornamento, & mihi gloriae: etiamsi ad felicitatem hanc adipiscendam opus sit pertransire Pyrenaeos; quo cum nostratum libri perveniunt; prae nimio frigore solent rigescere: ideoque loca illa praerupta penetrare nequeunt. Quem vero Patronum ego eligam, nisi te, Eminentissime Andrea Floride, qui (ut praeteream nunc pietatem tuam, liberalitatem, humanitatem, prudentiam, Regni vastissimi administrandi scientiam, felicitatemque pene divinam) sapientissimus es; ideoque, & literatos, & literarum studiosos amas, tueris, ornas. Ut igitur scias, quam late pateat tuarum fama virtutum, accipe Sex istos Epistolarum Libellos ab homine extero, & quo magis mirere, Latine conscriptos ab Hispano: nec omnino barbare, nisi me fallit animus. Ne vero, ut ille Apollinis Sacerdos, tu non solum Musarum, hoc est, Scientiarum omnium egregius cultor, sed & verae Religionis Presbyter amplissimus, jure possis dicere,

Quicquid id est, timeo Hispanos *& dona ferentes.*

tibi caussas aperiam consilii mei. Primum, extra Hispaniam electurus Patronum, talem debui eligere, cujus eximias virtutes universus Orbis suspiciat, admiretur, celebret. Deinde eum, qui & doctissimus sit, & literarum studiosos diligat, protegat, foveatque. Postremo talem, qui, si occupationibus relaxari nequiverit ut in censuram revocet scripta sibi dedicata; eis tamen legenda tradat, qui sciant illa optime retegere, argumentorum delectum ac dispositionem notare, decori observationem animadvertere, stili varietatem pro rerum varietate distinguere. Uno verbo. Ne Hispani, praesertim ii de quibus ego constantissime bene mereri studui, jure mihi succenseant; unum Andream Floridum cumulatum omnibus virtutibus, positumque extra omnem invidiae aleam, eligere debui Patronum. Solum igitur superest ut nunc declarem candide, meoque more, cur primum manum injecerim in Epistolas, non in alia Opera elaborata jam, & utcumque a me perfecta, quibus elucubrandis adhibui majorem diligentiam. Possum ego sperare, ut inter tuas maximas occupationes, unam, aut alteram Epistolam legas; non vero Librum. Deinde ejusmodi est hoc scribendi genus, quo tu maxime delectaris; ut pote prudentissimus peritissimusque Epistolarum artifex, gaudebis, aut judicium exercere tuum in erratis meis animadvertendis, aut laudes in aliorum Epistolis probandis. Denique, si Epistola animi speculum est; qualis noster sit, intuebere. In Epistolis enim maxime detegitur quod quisque habet ingenium,

nium, cum affectiones occultari nequeant in subita illa & saepe calida scriptione. Huc accedit, scribere quem plerumque ad amicum, id est, ad alterum se. Quonam igitur pacto simulabit? Vel, ut dicam honestius, dissimulabit? Neque debet, neque vult, neque potest. Etiamsi posset, in scriptione subita depromeretur priusquam se componeret; legentisque oculis subjiceretur nudus, nec dissimulationis velamen posset obducere; sicuti nequivere Nymphae Dianam suam contegere, ne videret eam Actaeon, cum in antro Gargaphio dicitur illa voluisse

Virgineos artus liquido perfundere rore.

Protrahit igitur hominem maxime genus hoc scriptionis: & ideo calumniantium iniquitati exponit. Nam si quis de se suisque paullo libere narrat in auriculam amici, vanissimus est jactansque sui. Si de aliis scribit eosque laudat, adulator; si vero non laudat, morosus habetur. Si a blanditiis abstinet, existimatur superbus; si illis utitur, scurra, aut, quod multo pejus est, lasciviusculus. Si de suis scribit negotiis, fastidiosus; si de alienis, otiosus nimis. Si tractat literaria, Scholasticus; si Politica, Phormio alter inexpertus & umbratilis doctor. Ecquid igitur scribemus, & quomodo? Scio saepissime in his tractandis desiderari prudentiam. Et procul dubio,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.

An vero ii excedantur, non est cujusvis discernere, neque decernere. Certe an ego excesserim, tu pro tua prudentia sapientiaque judicabis. Nosti enim optime, quid permitti possit amicitiae: quid indulgendum sit adolescenti honestae laudis cupido: quid condonandum studioso, qui ob literarum amorem, quas inter paucos suos populares colit, Ostracismo aliquibus infami, sibi vero gloriosissimo multatus est. Sed, ut ait ille,

Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

Donec, inquam, sit aliquis, qui benigno vultu me aspiciat: qui primos postremosque adolescentiae meae fructus comparet: qui progressus literarios (qualescumque sint) nullo neque duce neque auspice factos, attente observet: qui videat animum docilem natum ad subeundos studiorum labores, aetatemque integram ad eos perferendos. Quod si quis est, a quo id ego sperem, & vero spero, &, quae tua est sagacitas ad alliciendum ac protegendum studiosos viros, etiam confido; tu certe unus es. Tu pro tua sapientia facile conjicies quid ab ingeniolo meo sperari possit, si ad bo-

nam frugem excolatur, foveaturque. Denique animadvertes optime, cui usui esse possim. Quod si in Republica literaria, nil magna laude dignum praestare potuero, habebis saltem, ut Alexander non dedignatus est, tuum Choerilum: atque *interstrepet Anser Olores.* Utcumque fuerit, tuae clientelae me trado. Opera ac diligentia mea sic utere, quasi essem ex numero familiarium tuorum. Atque ut prisca loquar formula, hunc Libellum, meque ipsum *dico, dedicoque, uti sies volens propitius mibi.* Vale, Christianissimi Regis Sapientissime Nestor, & ut Senem illum laudatissimum prudentia vincis, ita annorum serie vince etiam. O utinam! utinam! Gallici Regni bono, Europae quieti, Christiani Orbis felicitati, Divinae Gloriae incremento. Christe Optime Maxime, cujus triumphum hodie celebramus, sine te exorem. Valentiae Edetanorum, pridie Nonas Apriles, An. MDCCXXXII.



E L E G I A

GREGORII MAJANSII,

Generosi Valentini,

Ad suum Epistolarum Volumen.

BIbliopolarum mavis habitare tabernas,
Quam, Liber, inclusus tutior esse domi.
Odisti claves: ideo discedere gestis.
Tempus erit forsan cum latuisse voles.
Scilicet incipies manibus sordescere vulgi,
Atque tui quivis censor acerbus erit.
Non ita nutritus, non hos conscriptus in usus.
Contrectavit adhuc non nisi amica manus.
Nempe hae Literulae charis peramanter amicis
Transmissae, acceptae sunt peramanter eis.
Atque fuit pretium, non res, selectaque verba;
Sed qui jucundas res facit, unus amor.
Qui tibi sensus erit dirus cum laeserit unguis,
Hoc tantum doctus res lacerare bonas?

Pascere

Pascere tunc malles tineas taciturnus inertes,
Quam non funda pati, suppliciumque ferum.
O qui clamores! O grata sigilla! gemisces,
Quo fugies? Reditus jam tibi nullus erit.
Implorabis opem docti celebrisque Decani,
Atque Fenestellae, tum, Miniana, tuam.
Incassum. Se quisque teget, magnumque triumphum
Ducet, discedat si latere incolumi.
Me similis fortuna manet, nam incommoda tangent
Me tua: utrumque rates una eademque vehit.
Si te tempestas demergit, mergar & ipse;
Suavis & aura tibi, suavis & ipsa mihi.
Scire volet Lector quid agam? Tu noscere debes
Quae mens illius, num bona, numve mala?
Si forsan fuerit sincerae frontis, aperte
Promere tu poteris quicquid ago, ac meditor.
Mens corpusque valent, victus contingit abunde,
Ad sumtus modicos estque crumena satis.
Nil ait esse prius, sceleris quam nescia vita,
Nil nisi quod dignum sit sapiente probat.
Cum Sol exoritur, consurgit; & Indicus illi
Porrigitur potus; scriptitat, atque legit.
It sacras Aedes, & blandos quaerit amicos:
Quid verum atque decens curat, & omnis in hoc.
Major ut accedat selectis copia libris
Quaeritat; hinc charus, Bibliopola, tibi.
Haec agit, haec curat, nam caetera non facit hilum.
Grata quies illi non pariens otium.
Quod si Lector erit tetricus, mentisque malignae;
(Nec minima istorum pars, ut opinor, erit)
Tu cave ne dicas quod laedere possit utrumque.
Si quid agam quaerat, cautior haecce refer.
Immoritur studiis, formidat naribus uti:
Illum non reddit palma negata macrum.
Dente Theonino cum circumroditur, optat,
Ne in sese rursus turba maligna ruat.

Non abigit ſcutica, poſſet cum fortiter uti;
Sed ſinit offendat livor iners ſolido.
Nec lamentatur non apparere labores:
Olim ſcit meritis praemia digna fore.
Plura cave referas, nam quicquid dixeris, aures
Innumerae accipient, innumeriſque modis.
At tu ſi exoptas te ut judex aeſtimet aequus.
Scriptaque cum venia qualiacumque legat;
Trans Pyrenaeos, iterumque iterumque monebo,
Te longe referas. Si ſapis, eja fuge.
Curre ubi conſpicitur pulchris Lutetia tectis.
Eſt aetate gravis Vir, gravior meritis.
Cura ejus meritum floret, ſua praemia virtus
Obtinet, eſt doctis conſpicuuſque locus.
FLORIDUS *eſt illic, quo non praeſtantior alter*
Ad res praeclaras aere ciere viros.
Hic res Gallorum, Europaeque negotia ſumma
Expedit, atque ſuo temperat arbitrio.
Huic vellem placeas, hujus ſuffragia ferre
Te optarem, (fateor) me haec tenet ambitio.
Poplite ſubmiſſo manibus fige oſcula ſacris:
Haecque illi noſtro nomine dicta refer.
Urbe ab Edetana miſit Majanſius ad Te,
Ut me, ſeque ſcias tempus in omne tuos.
Plura cave dicas: in publica commoda pecces.
Si imprudens illi tu remoram facias.
Vade, vale, titubare cave, mandataque ſerva.
Sit tibi cura tui, ſic erit atque mei.

XXXV. EM-



XXXV. GREGORIUS MAJANSIUS EMMANUELI MARTINO,

Decano Alonensi,

S. D.

Alonam.

SI mearum Epistolarum liber parum hactenus sapuit, nunc certe sapit. Fugit enim in sinum tuum,

> *Ne nigram cito raptus in culinam*
> *Cordylas madida tegat papyro,*
> *Vel thuris piperisque sit cucullus.*

Nam in tanto literarum neglectu, barbaria & invidentia grassantibus, quid aliud exspectet liber hic, nisi illa ipsa perpeti, quae fratres natu majores? Insolentia judicia, superba fastidia, immeritas injurias. At bene est quod mihi sufficit vel unus Plato. Is es Tu. Adde mihi longe aliam mentem esse, quam Martiali; nam in ingenii conviviis nunquam ego, ut ille,

> *Malim convivis, quam placuisse cocis:*

imo contra: praesertim cum hodierni convivae prae palati stupore, non minus dissentiant, quam Horatiani,

> *Poscentes vario multum diversa palato.*

Verum tamen tibi saltem (ut confido) non erit ingratus meus liber: nam, vel laudare eum debebis ob amoris erga te mei impressa passim vestigia; vel errata ejusdem excusare, cum occasionem dederis has Epistolas scribendi, cum earum primae ad te missae fuerint; & ad edendas impuleris tum laudibus illis quibus ingenium meum excitabas, tum indulgentia qua

 mecum

mecum pro tua summa humanitate semper usus es. Ergo vel amicitiae caussa, vel quia liber confugit ad te; adde, si placet, ob communis periculi societatem, eum debes defendere: quo vindice ego, nec si Aristarchus ab inferis excitetur, eum timebo. Vale, Vir eruditissime. Valentiae Edetanorum, IX. Kal. Majas, An. MDCCXXXII.

F I N I S.



EMMA-

223

EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ.

SIVE

DE

ANIMI AFFECTIONIBUS

LIBER.



GREGORIUS MAJANSIUS,

Generosus Valentinus,

LECTORI.

CUm summus Vir Emmanuel Martinus, Ecclesiae Alonensis Decanus, anno hujus saeculi sexto, M. Tullii Quaestiones Tusculanas perlegeret otii consumendi caussa; quarti Libri lectione ita inflammatus fuit, ut quodam veluti oestro percitus, scribere coeperit hoc Syntagma ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, sive *De Animi Affectionibus*, ad Stoicorum mentem. Sed cum ea tempestate bello intestino conficeretur Hispania; domus ejus migratione, Patris obitu, aliisque calamitatibus factum est, ut ille ardor scribendi penitus exstingueretur. Cum autem celeres illi cogitationis motus, si semel retardentur, franganturve, frustra tentaveris, ut eadem vi renoventur; maximus Vir, charissimorum sibi capitum & precibus, & auctoritate nunquam adduci potuit, ut mentem animumque appelleret ad affectum opus absolvendum. Tamen eum rogavi ut Dissertationem suam ad me mitteret. Quod ab ejus humanitate facile impetravi. Rem omnem enarravit ipse ad illustrissimum Baronem Joannem Theodoricum Schombergium in epistola ad eum data VII. Eid. Novembr. An. MDCCXXXII. quo ego tempore cum CL. Schombergio agebam de omnibus Decani Alonensis scriptis in lucem publicam edendis. Summi viri verba haec sunt: *In Dissertatione autem de Animi Affectionibus multa desunt. Est enim opus affectum tantum, non perfectum. Elucubravi illud arcano quodam impetu impulsus. Cumque jam secunda navigatione altum tenerem, domesticae quaedam calamitates, ac publicae rei saeva tempestas, coegerunt me invitum vela colligere atque inhibere remos. Cumque illa altius incubuisset, nec ulla serenitatis spes illusceseret; eoque literas valere jussissem; penitus ille vigor emarcuit & scribendi alacritas. Nam saepe conatus promovere opus, frustra tentavi, adversante quodam animi languore, ac literarum fastidio. Ad Majansium autem misi, propterea quod ille saepius a me per literas flagitasset. Fide tamen prius interposita, se illud scriptum servaturum sancte se penes. Nam, ut ne nescias, opus est non tantum* μείουρον, *sed &* ἀκέφαλον. *nec secundis curis exasciatum. Qua propter efflictim abs te peto, ut existimatio-*

ni nostrae consulas. Nihilque in hoc negotio perficias, nisi quod tibi videatur honestum nobis fore, caeterisque utile. Ne vero quis existimet, me Operis hujus publicatione violare fidem Emmanueli Martino datam, cum servandam judicem vel cum ipsis hostibus; sciat ab ejus religione me liberum esse tanti viri beneficio ac liberalitate. Cum ob oculos igitur tibi sistam Dissertationem ipsam; quid verbis opus est in ea laudanda? praesertim, cum literis ad eum datis jam olim significarim quid de illa sentirem. Quoniam igitur hoc libro semel, iterum, & saepius lecto, in sententia pristina permaneo; ejus epistolae a me conscriptae verbis sensibusque, affectionum, adeoque ipsius argumenti propriis, subjiciam exemplum, Deo prius comprecato, ut diutissime valeas.



GREGORIUS MAJANSIUS

EMMANUELI MARTINO,

Philosopho praestantissimo,

S. D.

Alonem.

Accepi tuum Librum ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, quem quoniam ea lege misisti, ut ego revocem eum in censuram meam; tibi morem geram. Et profecto si omnes homines qui de judicio ferendo agunt, non modo ab invidentia, quae pestis nunquam meum animum invasit, sed ab assentatione etiam decet esse vacuos; sepofito tantisper amici erga amicum studio, studiosi erga sapientem observantia, discipuli erga magistrum pietate ac reverentia, sententiam meam, licet verecunde dicam de Philosophia Philosophi more, hoc est, vere, candide, simpliciter. Quod si nunquam decet adulari, multo minus cum ad Philosophum scribitur. Illud inprimis admiratus sum, te singulari acumine ac sollertia prope incredibili distinxisse Animi Affectiones a corporeis: in qua separatione maximi nominis philosophi saepe lapsi sunt. Deinde mihi stupori fuit acutissima illa perspicientia, qua posteaquam designasti quatuor illas Animi Affectionum veluti radices praecipuas, Aegritudinem, Metum, Voluptatem, Libidinem, a quibus Affectiones reliquae, tanquam fibrae nascuntur; subtilissime singulas distinxisti, ac definisti: quasdam, ut ita dicam, Semiaffectiones denotasti: ac denique earundem quas vocare soles Proclivitates, exposuisti mirifice. Praeterea separasti acutissime Affectiones rerum, quas sequimur, ab rerum quas fugimus Affectionibus, ut penitus pernoscantur animi

nimi motus. At qua subtilitate ac perspicuitate singula persecutus es! Affectiones similes tenuissime distinguis: singulorum nominum rationes inquiris: proprium semper designas, non modo Latinum, sed etiam Graecum. Si alterutrum deest, saltem alterum: si utrumque, soles

Signatum praesente nota procudere nomen.

Latini sermonis proprietate & analogia servata. Quae omnia, nisi qui utriusque linguae penetralia adierit, perscrutatus fuerit, penitusque introspexerit; quis praestare posset? Sed quid ego miror te verbis tam egregie philosophari, qui tota vita factis tam egregie philosophatus es? Libet hic exclamare cum Philosopho Musonio. *Dolori mihi & aegritudini est, quod istiusmodi animalia spurca atque probra nomen usurpant sanctissimum, & Philosophi appellantur.... Nomen Philosophiae illustrissimum in hominibus deterrimis exsordescit.* Ex animo loquor, Emmanuel sapientissime. Ingenerasti mihi suavitatem incredibilem tam erudita scriptione: & vulgaris rationis philosophandi, vel desipiendi potius, creasti mihi maximum fastidium: adeo ut me poeniteat, pudeat, pigeatque prodegisse olim bonas horas in tam insipida & inutili lectione. Itaque fructus maximos percepi Dissertationis tuae. Nimirum docuisti me Philosophiae Theoreticen Praximque. Etenim nova tractandi methodus excitavit in me admirationem: scribendi ratio absolutissima jucunditatem: pravarum Animi Affectionum verae ideae earundem despectum, contemtum, odium: bonarum descriptio ipsarum existimationem, amorem, dilectionem. Denique perfudisti me summa voluptate, oblectatione, gaudio, laetitia, delectatione, hilaritate, exsultatione, alacritate; qua, ut spero, lubentissime repetam lectionem hanc, eaque inescatus ac delinitus in ejus jucunditate acquiescam. Igitur tam praeclara scriptione tibi conciliasti favorem meum; tam egregia liberalitate sempiternam grati animi notam inussisti mihi. Adeo ut nisi me penitus & in cute nossem, effecisses me Thrasone ipso jactantiorem & superbiorem. Sed animi elatio illa tam diu durasset, quam diu morarer relegere Librum tuum. Quis enim eum legat, qui non adducatur in diffidentiam, quin & desperationem scribendi similiter ac tu? Scribendi dixi. Imo vel obelum unum appingendi, etiamsi esset in te animo invido, & malevolo. Quis, qui dotes istas egregias & naturae & industriae tibi prope non invideat; aut non optet sibi? At Prooemium non habet haec tua Dissertatio. Quid tum postea? Facile potest habere praepositis tribus aut quatuor versiculis. Fine caret. Ideo doleo, indignor, & irascor. Ergo Alonae captivitas, Patriae tuae ruina, paternae domus transmigratio, sanctissimi Parentis mors, luctus acerbissimus, interruperunt hoc divinum opus! O calamitates quae tibi aerumnas, mihi dolorem tantum pepererunt! At quid est, quam ob rem nunc operi initium & colophonem non inponas? Esne caussam acturus apud Areopagitas? Verum amoto joco. Tene senectus

nectus retardat? At vegeta mens est. Scribere non potes oculorum vitio, & quia cares libris? At dictare potes; & tu es viva & ambulans Bibliotheca. *Sapientis enim cogitatio* (ut noster ait Cicero) *non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. Etenim si nox non adimit vitam beatam; cur dies nocti similis adimat?* Quamquam tu diuturna illa elegantissime scribendi consuetudine perductus, ita literas appingis, ut videaris vel in tenebris posse scribere pulcherrime. Timesne igitur scripturum te blattis tineisque? At spondeo tibi ac juratis verbis promitto publicaturum me Librum hunc praeclarissimum. Nisi forte malis sic in lucem prodire, ut veluti Apellis illa Venus inchoata, non vero perfecta, omnium potius admirationi, quam imitationi proponatur. Certe quicumque conaretur magnum hoc opus continuare, perinde esset ac si ceratis pennis niteretur, *vitreo daturus nomina ponto.* Igitur cum tuam istam scribendi rationem vere inimitabilem considero, vix credere possum te tantum virum, aetate jam, ut opinor, septuagenaria, hominibus nostris adhuc incognitum vivere. Quod quoties animo verso, invadit me tristitia, miseratio, commiseratio, angor, afflictatio. Adeo ut saepissime erumpam in ejulationem, & quiritationem. Sed frustra. Quorum enim fidem imploravi? Homunculorum nihili certe. Unde in tanto literarum meritorumque omnium neglectu misera me conficit desperatio. Scilicet boni hodie sunt malis invidentiae, livori; officiosi desidibus despectui; honeste laborantes pigris contemtui; praeclare gerentes ignavis aemulationi ac rivalitati; sollertes inertibus irrisioni & cachinnationi; sapientes sciolis malevolentiae & obtrectationi. Denique *in pretio pretium.* Nosti reliqua. Sed mittamus haec vulnera quae tractando recrudescunt denuoque animum ulcerant. Maximas tibi gratias ago propterea quod Librum hunc sapientissimum mihi dono misisti. Quo factum est ut suspicione ac metu liberaris me, ne immitissimo Vulcano eum traderes; cui nihil restituturo cave plus credas, quam mihi, qui te amo, semper in oculis fero; cujus virtutes veneror ac praedico; scripta admiror, & quantum possum celebro. Denique hoc scito, implevisse te meum animum praeclarissima doctrina; sed tamen nullo modo satiasse: nam ingenerasti mihi cupiditatem ardentissimam plura alia tua scripta legendi, & hac tua tam eximia liberalitate spem fecisti obtinendi ea. Redde me securum. Nihil mihi praestabis quod amori meo non debeas. Buliphonem meum saluta; atque ama hunc Philo-Martinum, Philosophe maxime. Vale etiam atque etiam. Valentiae Edetanorum, XVIII. Kal. Majas, An. MDCCXXXII.

EMMA-



EMMANUELIS MARTINI,

ECCLESIAE ALONENSIS DECANI,

ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ.

SIVE

DE ANIMI AFFECTIONIBUS

LIBER.

Uae Graeca ſapientia vocavit Πάθη. Latini autem *Perturbationes.* Τὸ πάθος ita definit Zeno: ἄλογος, ἢ παρὰ φύσιν ψυχῆς κίνησις. Quae verba ita vertit Cicero: *Averſa a recta ratione contra naturam animi commotio.* Alii malunt eam eſſe ὁρμὴν πλεονάζουσαν. ſive *immodicum animi impetum.* Quod falſum eſt. Nam aegritudo & metus, caeteraque ex his fontibus animi turbamenta, tantum abeſt ut aliquem in eo impetum excitent; ut potius debilitent ac frangant. Idcirco declarant eorum naturam per συςολὴν, *contractionem:* quae contraria eſt illi motioni, quam vocant ὁρμὴν. Quandoquidem in hac efferimur effundimurque; in illa autem demiſſe agimus atque contrahi-

mur. Hae ſunt libido, voluptas, metus, aegritudo. Quas uno verſiculo complexus eſt Agato in αἰδήλῳ.

Τὴν ἡδονὴν, ἐπιθυμίαν, λύπην, φόβον.

Quas omnium perturbationum radices merito dixerim, ex quibus caeterae animi turbulenti concitationes fibrarum more enaſcuntur. Singulas igitur earum, ſubjectaſque ſibi partes, diligenti indagatione perpendamus. Ac primum de *Aegritudine*. Quoniam ea prae caeteris in natura noſtra longe lateque regnat, animique vires labefactat. Eſt autem *aegritudo* ſecundum Stoicos: συστολὴ ἄλογος. *Animi adverſante ratione contractio.* Ita definiunt. Nimis anguſte, ſi vim morbi, ejuſque afflatum univerſum complecti velimus. Nam laetitia, gaudium, exſultatio, aegritudines ſunt: nec tamen in iis contrahitur animus; immo effertur atque effunditur. Sed haec ad aegritudines illas pertinent, de quibus philoſophi magno ſtudio partium, verborumque pompa diſputant. Nos mitius, & naturae congruentius, illam intelligimus aegritudinem, qua animus conficitur, aegreſcit, languet, ac veluti decumbit, cum contractione quadam ac doloris morſu. Tranſlata vi verbi a corporis aegrotatione, qua privatur operibus officiiſque. Id enim intelligimus *aegrum* ἀεργὸν. Ex hac igitur aegritudine variae ac multiplices naſcuntur perturbationum ſpecies: triſtitia, angor, anxietas, moeror, luctus, afflictatio, aerumna, moleſtia, ſolicitudo, dolor, cruciatus, lamentatio, quiritatio, deſperatio, invidentia, livor, aemulatio, obtrectatio, rivalitas, miſericordia, poenitentia. *Triſtitia eſt animi aegritudo ex opinione praeſentis alicujus mali.* In qua definitione *malum* & opinatum poſui & inſtans. *Opinatum* propterea quod ea verſatur in rebus humanis temeritas atque caligo, ut bona & mala opinione tantum plerumque conſtent. *Praeſens* autem, ideo quod ſi mala tantum impendeant, ad metum ſunt referenda. Ita laetitia eſt in IV. Tuſcul. *Opinio recens boni praeſentis. Triſtitiae* nomen unde ſit, nondum mihi eſt exploratum. Nam Grammaticorum deliria cur audiam? Ajunt a τρίσης. Sed quid trepidatio ad triſtitiam? A *terendo.* nugae. ἀπὸ τοῦ ταράσσειν. nimis languide. ἀπὸ τοῦ τρίζειν. Iſtud nempe ad horrorem pertinet, in quo ſtridor dentium. Quare non magis eſt mihi nota hujus vocis origo, quam Nili. *Angor* vehementior eſt aegritudo quam triſtitia. Etenim illa animum tantum dejicit, ac veluti proſternit. Hic autem dejectum premit, cruciat; intercluſo etiam ſpiritu. Quam ob rem definitur a Stoicis: λύπη ἀφωνίαν ἐμποιοῦσα. *Aegritudo vocem eripiens.* Eſt enim *angor*, animi aeſtuantis depreſſio. a praecluſo ſpiritu. ἄγχος enim *ſuffocationem* ſonat. Aeolice ἄγχορ: ut ἄκκορ pro ἄκκος: ἵππορ pro ἵππος. Inde Latinum *angor*. Graece (uti ego interpretor) ἄχος. Ratio nominis eadem. Quod eo videlicet verba praecludente, hiſcere non liceat. Ab α privante & χαίνειν. *Anxietas* id differt ab *angore*. Quod angor eſt ipſa ani-

animi aestuatio: anxietas vero ad eam perturbationem proclivitas. Angitur, qui angore oppressus in cruciatu est. Anxius est, qui eo morbo saepe tentatur. Sic differt a timore timiditas, iracundia ab ira, ab ebrietate ebriositas. Quid est *moeror? Aegritudo flebilis*, ait Cicero. Non placet. Nam etiam sine fletu moeror esse potest. Est igitur *moeror*, tristitia diuturna, qua animus veluti contabescens, ad mortem impellit. Quasi *fatalis*. Vis est in nomine μοῖρα. A *marcore* deducit Varro: quoniam in eo maxime animus conficitur & marcet. Graecis a motus officiorumque corporis cessatione appellare placuit ἀνίαν, παρὰ τὸ ἐμποδίζειν τῷ ἰέναι ut est apud Platonem in Cratylo. *Luctum* definiunt Stoici. λύπην ἐπὶ θανάτῳ ἀώρῳ. *Aegritudinem ex alicujus immatura morte*. Cicero autem: *Aegritudinem ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo*. Parum diligenter ab utrisque. An matura morte sublatos non consequitur luctus? *Acerbum interitum* intelligo *praematurum*: ἄωρον ὄλεθρον. Ut Caji & Lucii, Augusti nepotum. Expressius igitur ac verius dixerit, esse *luctum*, aegritudinem ex eorum, qui nobis chari fuerint, interitu. Sive is maturus fuerit, sive acerbus. Qui quidem luctus esse potest vel unius ex unius interitu, ut Achillis occiso Patroclo, Cleopatrae Antonio interempto. Vel unius ex plurium, ut pueri Fabii deleta familia. Vel plurium ex unius: & id quidem vel privatim, vel publice. Privatim, ut familiae Corneliae mortuo Scipione. Publice, ut Romae sublato Romulo, Spartae defuncto Lycurgo. Item, vel alterius tantum sexus, vel utriusque. Et quidem vel ex unius interitu, vel ex plurium. Alterius ex unius, ut matronarum occiso Bruto. Alterius ex plurium, ut mulierum Atheniensium. . . * Utriusque sexus ex unius, ut Trojanorum, Nestore interfecto. Utriusque ex plurium, ut Romanorum post cladem Cannensem; Carthaginiensium, deletis a Gelone copiis. An aegritudo ex liberorum captivitate, patriae direptione, sacrorum pollutione, ad luctum referenda est? Equidem nego ad luctum id pertinere: quem earum rerum esse intelligo, quas morte correptas repetere non licet. Filios autem captivos in libertatem vindicare possumus, direptae patriae injuriam ulcisci, sacra polluta expiare. Verbum est atratum *lugeo*. Vel a moeroris acerbitate, vel a singultu. λυπέω, λύζω. Graeci *luctum* πένθος appellant, & *lugere*, πενθεῖν ab animi aegritudine. Nam a πάθος. πένθος: ut a βάθος, βένθος. Luctum consequi solet *afflictatio*; infestissima omnium perturbationum. Quam definiunt: *Aegritudinem cum vexatione corporis*. Est enim affectus commotior ac vehementior, quo, dolore instigante, in nosmetipsos saevimus, quasi vitae & spiritus nos taedeat. Hinc plagae inclementer inflictae, dilaniati crines, genarum lacerationes, totiusque corporis conquassatio. Unde ad res inanimes translato ludibrio, dicimus, afflictari tempestate classem, terrae motu aedificia, arbores procella. Antiquum verbum fuit *fligo*, quo usi sunt Andronicus, Accius, Lucretius. Ex Graeco θλίβω. Quod significat *premere*, seu *elidere*.

* *Vide Herodotum.*

re. Aeoles Latini sermonis conditores, ϑ in φ convertunt: ut in φλάω pro θλάω; & β in γ, ut in γλέφαρα pro βλέφαρα; in γάλανος pro βάλανος. Scribebant itaque φλίγω Unde nostrum An *afflictatio* est quam Graeci vocant ἄσην? Equidem ita censeo. Definitur enim a Stoicis ἄση, λύπη μετὰ ῥιπτασμοῦ. *Aegritudo cum jactatione.* Afflictationem excipit *aerumna.* Quid est *aerumna? Aegritudo laboriosa.* Recte. Est enim depressio animi continuis laboribus, miseriisque adeo subacti, ut erigere se vix queat. Res est profecto onerosa aerumna. Itaque dicitur quasi αἰρομένη, a gravitate & pondere, quo animo nostro incumbit. Eodem consilio Graecis τλημοσύνη, a verbo τλᾶν, quod est *sustinere*, & *tolerare.* Affectio persimilis ei, quam vocant *molestiam.* Nec tamen eadem. Nam *molestia* est in una aliqua re doloris permansio. Ita malim, quam ut definit Cicero: *aegritudo permanens.* Quando etiam in aerumna permanet aegritudo; sed ex diversis incommodis laboribusque. Amoris dixerim molestias, itineris, navigationis. Aerumnas non dixerim. Aerumnosus erat Marius cum a Sulla victus esset, cum in palude delitesceret, cum in custodia detineretur, cum percussorem aspexisset, cum exsularet. Itaque a Stoicis definitur *molestia*: λύπη βαρύνουσα. *Aegritudo premens.* Quomodo fortasse reponendum apud Ciceronem pro *permanens.* Haec animi perturbatio in eo qui hac afficitur aegritudine nomen non habet. Nam *molestus* is dicitur qui infert. De persona, ut Thersites Ulyssi; de re, ut imber viatoribus, flatus adversus navigantibus. Ducta metaphora a *mola*,. qua fruges conteruntur. Sic ἄχθος Graecis & pondus significat & molestiam. *Solicitudo est aegritudo cum cogitatione vexante.* Sic malim quam ut definit Cicero: *aegritudo cum cogitatione.* Sunt enim exprimendi acres illi cogitationis aculei, & curarum morsus, quibus animi exeduntur. Caeterae aegritudines versantur in rebus acerbis; haec in dubiis. Et quidem vel emolumenti caussa vel detrimenti. Emolumenti, ut solicitudo augendae dignitatis, capessendae Reipublicae, provinciae bene administrandae. Detrimenti, ut solicitudo de incolumitate liberorum, de animi valetudine, de bonorum amissione. Porro vel inferendi damni vel declinandi. Inferendi, ut solicitudo de capessenda fuga, de vitandis insidiis, de portu subeundo. Osci *solum* dixere pro *toto.* Graeca origine, ὅλον. *Citare* movere est. *Cieo*, *cito.* Hinc *solicitudo*: a motu cogitationis, quo vexatur animus. Omnium harum perturbationum incitabulum ac fomitem *dolorem* in medium proferamus. Qui dolor etiam per se mensura est cujusdam animi commotionis, quam vocat Tullius *aegritudinem eruciantem.* Stoici autem: λύπην εἰσδύνουσαν. *aegritudinem penetrantem.* Tristissimam luem atque teterrimam! Quae quidem pestis cum in tot tantaque animi cruciamenta virus effuderit; sibi tamen non deficit. Ea est conficiendi solertia. Meat enim per universa animi turbamenta. Nam dolor ex interitu parentis, luctus est; ex alterius rebus secundis, invidentia; ex miseria alterius injuria laborantis,

tis, misericordia; ex alieno bono quod ipse non habeas, aemulatio; quod eo etiam alius potiatur, obtrectatio; ex re vel facta vel praetermissa, poenitentia; ex diffidentia rerum meliorum, desperatio. Quosdam porro habet veluti gradus, quibus aegritudinem acerbat atque asperat. Nam dolor si animum tantum dejicit, tristitia dicitur ; si premit, ac veluti suffocat, angor; si diuturnus est, moeror; si corpus etiam vexat, afflictatio; si laboriosus est, aerumna; si in una aliqua re permanet, molestia ; si cogitatione vexat, solicitudo; si vehementer vexat , cruciatus ; si in ejulatus erumpit, lamentatio ; si opem implorat, quiritatio. Cum tot autem vulnera inflixerit; nec defatigatus nec detritus; propriae cujusdam dominationis tyrannidem exercet. *Dolorem* igitur quem speciatim dixero? Illum nempe, corporis cruciatuum affectatorem & comitem. Nam ille qui corpus fatigat, a disputationis nostrae ambitu penitus excluditur. Utpote qui aegrotationem faciat, non autem aegritudinem. Definiturque a Tullio: *Motus asper in corpore, a sensibus alienus.* Apud Latinos eadem uterque appellatione concluditur: quod sane pudendum. Quid enim turpius (ne dicam ignavius) quam corporis vexationem cum animi perturbatione confundere? Quasi altera sine altera existere non queat? Accuratius Graeci suo quemque nomine appellant. Nam dolorem illum, cujus est in potestate corpus ὀδύνην vocant, ab edendo & penetrando παρὰ τὸ ἔδειν καὶ δύνειν. Eum vero qui animum conficit, λύπην: ab expressione lacrymarum. quoniam λύει τοὺς ὦπας. Recte. Solius enim interni illius doloris est exprimere lacrymas. Itaque videmus viros constantes siccis oculis uri, secari, tundi, torqueri. Ut Mutius, ut Pyrrho, ut Anaxarchus, ut Zeno Eleates. Tametsi Socrati in Chrysippo placuit dictam esse λύπην a solutione totius hominis. ἀπὸ τῆς λύσεως. Quam ob rem mirari equidem soleo negligentiam Latini sermonis, in quo cum esset vox *cruciatus*, quae corporis dolori significando destinari jure optimo potuisset ; inopia tamen laborare placuit. Quam ego jacturam rerum naturae ignorationi refero acceptam. Quod necesse fuit accidisse Romanae genti, philosophiae lumine, & politioris doctrinae indagatione destitutae. Quandoquidem igitur ad animum etiam pertinere cruciatum voluerunt; esto *cruciatus* : *Aegritudo cum vexatione vehementi.* Cui comes esse solet *lamentatio* : imbecilli maxime animi atque infirmi manifestum indicium. quam definit Tullius : *Aegritudinem cum ejulatu.* Unde ductum vocabulum, non magis sciunt Grammatici, quam qui circa montium radices versantur. Cum tamen res sit tam clara, quam sol iste qui lucet. A doloris nempe laniatu. Nam a lanio est *laniamentum*, & contractiore voce *lamentum.* Ut a *sarrio sarrimentum*, & *sarmentum*: ab *apio apimentum*, & *amentum* : a *rado radimentum*, & *ramentum.* Et sexcenta alia. Inde *lamentor*, & *lamentatio.* Graecis θρῆνος. a fracto animo. παρὰ τὸ θραύειν τὸν νοῦν. Voces sunt lamentantium, *hei*, *hei.* Unde *ejulare.* aemulatione Graecae facundiae; quae verba illa luctus & moeroris

plena commenta eſt, αἰάζειν; a particula dolentis αἶ, αἶ: & οἰμώζειν a geminatione vocum οἴ μοι. Icciro lamentationem expreſſimus per ejulatum. Vehementior eſt *quiritatio*. Nam illa quidem dolorem aperuiſſe contenta eſt; haec autem opem etiam implorat. Eſt enim *quiritatio* : *aegritudo cum opis imploratione*. Vox Romae nata. Quum Quiritium fidem implorabant, ſi qua ſibi vis inferretur, *quiritare* dicebantur. Omnium autem longe miſerrima eſt *deſperatio*. Nam qui opem implorat, ſpe ſaltem illius obtinendae quadantenus recreatur. quod proprium eſt quiritationis. Qui autem ſpe illa, quantula ea cumque ſit, deturbatur; quo tandem collidi poteſt graviore caſu? Eſt namque *deſperatio*: *aegritudo ob praeciſam rerum meliorum exſpectationem*. Ita ſubtilius, quam ut definit Cicero: *aegritudo ſine ulla rerum exſpectatione meliorum*. Nam hac ratione etiam qui nunquam bene ſperavit, deſperare dicendus eſſet. quod abſurdum. Nec, qui nunquam in animum induxit fore ſibi melius, ob eam rem, ſi forte acciderit, in aegritudinem incidet. Semel ſtatuerat Dionyſius, depoſita tyrannide, privatam degere vitam in ſqualore & ſordibus, exuta funditus ſpe priſtinae dignitatis reciperandae. Putaſne eum, cum Ludimagiſtrum ageret, in moerorem, vel in aegritudinem aliquam incidiſſe? Imo tantum abfuit, ut in ganeis etiam popinis, & lupanaribus, dies noctesque deſideret. Ergo non ideo aegreſcit animus, quod ſine exſpectatione ſit, ſed quod ab exſpectatione fuerit dejectus: ſpe illa, qua ſuſtinebatur, reciſa. Id enim ſignificat praepoſitio *de*, in verbo *deſpero*. Caſum nempe *de ſpere*. Nam ita vocabant veteres quam nunc *ſpem*. Quae de bonis tantum dicitur. Ideo cum deſiderio conjuncta eſt. Sperantur enim bona, mala metuuntur. Quod in deſperatione etiam neceſſe eſt reperiri, cum ſit dejectio a ſpe. Quam ad bona tantum pertinere expoſuimus. Itaque dicitur deſperatio proventus, ſalutis, victoriae, hilarioris fortunae. Verbum eſt ruri ortum *ſpero*. Ex ſatione translatum, qua fulciuntur agricolarum ſpes. Id enim ſignificat σπείρω, *ſero*. Et haec quidem ſunt ex propriis incommodis maliſve in noſmetipſos reſidentibus animi νοσήματα. Quae tametſi a viro gravi & ſapiente penitus ſunt aſpernanda; intra humanitatis tamen jura verſantur. Illa vero ſaeva, immitia, inhumana, ſordida, & violatae charitatis labe polluta, quae aliena felicitas creat. Uti ſunt invidentia, livor, aemulatio, obtrectatio, rivalitas. Infeſtiſſima animi turbamenta. Una eſt quae alienis malis angitur, miſericordia. Ut vel inde appareat in quanta rerum perverſitate verſemur, quantaque mortalium animos pravitas invaſerit. Etenim cum ſocietatis jura poſtularent, ut aliena incommoda, perinde ac noſtra, deteſtaremur; nos tamen praepoſtere, alienis bonis ſaepe contabeſcimus; malis autem ſemel percellimur. Contabeſcimus enim bonis alienis invidentia, livore, aemulatione, obtrectatione, rivalitate. Malis autem una tangimur miſericordia. Earum igitur ſingulatim introſpiciamus naturam. *Invidentia* definitur a Stoicis: *Aegritudo ex alterius rebus ſecundis, quae nihil*

bil noceant invidenti. A Platone frigidule, ne dicam inepte; *λύπη ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς. Aegritudo ex alterius rebus secundis.* Posteriore parte quasi nullius usus praetermissa. Quod tamen quicumque arbitrati fuut; parum mihi videntur hujus morbi naturam habuisse perspectam. Nam si eorum rebus secundis angimur, quae aliquid nobis vel offensionis afferunt, vel detrimenti; perturbatio quidem illa nihil habet cum invidentia commune. Sed cum variis animi morbis implicita esse potest atque conjuncta. Nam aegritudo ob dignitatem ab alio praereptam, ambitio est; ob haereditatem cui inhiamus, avaritia; ob adamatam pulchritudinem, rivalitas; ob epulas ablatas, cupedia. Ergo sponte, nulloque lacessente, invidemus. Animi commotio huic contraria esset, laetitia ex alterius rebus secundis, absque ullo laetantis emolumento. Sed motus hic nomen non habet. Fortasse a veterum solertia praetermissum, quod eum motum vel nunquam, vel raro admodum, in tanta nocendi libidine animadvertissent. Ne videlicet, cum res deficeret, unius vocabuli jacturam facerent. Nam gratulationem non dixerim. Etenim gratulatio sine vera laetitia esse potest, invidentia sine moerore non potest. Porro invidentia in aegritudine existit, gratulatio in verborum attestatione: animo saepius reluctante. *Invidentiam* dixere Latini, quod ab eorum, qui nobis invisi sunt, abhorremus adspectu. Quos scilicet videre molestum est. Aliter Tullius: *A nimis intuendo fortunam alterius.* Graecis: φθόνος: propterea quod invidentis animum tabefacit atque corrumpit. *παρὰ τὸ φθίνειν τὸν νοῦν.* Si haec commotio concitatior est, nec intra animi septa contineri potest; sed invidiae conflandae caussa foras erumpit, *livor* dicitur: ducta metaphora a contusa corporis parte, in qua sanguine ad extremam cutem attracto, livor diffunditur. Sic animus invidentis, alienae felicitatis ictu collisus, tabem illam latentem foras emittit. Itaque invidentia aegritudinem celat, prodit livor. Hunc intelligo βασκανίαν: invidentiam nempe cum criminatione. Id enim est βασκαίνειν: quasi βάξεσι καίνειν, *verbis occidere.* Confinis est huic morbo *aemulatio.* Quid est *aemulatio*? Dicant Stoici, quibus harum aegritudinum curatio curae est: *λύπη ἐπὶ τῷ ἄλλῳ παρεῖναι, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, καὶ οὐκ ἔχει.* Vel, quod eodem recidit: *λύπη ἐπὶ τὸ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ, αὐτὸν δὲ μή.* Quod ita vertit Cicero: *Aegritudo, si eo quod concupierit, alius potiatur, ipse careat.* Aemulationem hoc loco intelligo, non quidem illam observatricem imitatricemque virtutis. Ea enim animi conatus est, non aegritudo; vegetae erectaeque mentis alacritas, non tabes; liberalis, non degener. Sed eam intelligi jubeo, qua angimur alieno bono a nobis concupito. Quae quidem tametsi inter teterrimas aegri animi pestes connumeranda est; minus tamen habet immanitatis ac saevitiae quam livor. Quippe ille alterius rebus secundis angitur, a quibus neque laedatur, nec allectus fuerit, nec eas fortasse utiles sibi duxerit. Quod extremae iniquitatis est. Haec autem & ob ea bona angitur quae con-

concupiverat, quaeque inter commoda duxerat, quaeque non adeptus, magno ſe affectum judicat vel incommodo, vel detrimento. Verbum eſt Graecum *aemulari.* ἁμιλλᾷν. quod idem ſignificat. Origo hujus aperta. Quod aemuli in ſeſe oculos mutuo convertant. ab ἅμα & ἴλλος. Rejecto ſpiritu, quem & vetus Latium oderat, & ſermo Aeolicus: diſploſoque altero λ. ut in *abolere* ex ἀπολλύειν, in *alius* ex ἄλλος, in *palea* a πάλλειν, in *ſalio* ab ἅλλω, in *pulex* a ψύλλος. Hanc affectionem Graeci dixere ζῆλον, a concitati animi aeſtuatione. ζῆλος, ζέω, ὅλος. Inter omnes tamen perturbati animi affectiones acerbiſſimam exercet tyrannidem *obtrectatio*, quam definiunt: λύπην ἐπὶ τὸ καὶ ἕτερον ἐπιτυγχάνειν, ὧν αὐτὸς ἐπιθυμεῖ. Vertit Tullius: *Aegritudinem ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipſe concupiverit.* Ergo aemulationi id intereſt obtrectatio, quod illa non patitur majorem, haec parem; illa feliciorem, haec felicitatis conſortem. *Aemulus* angitur, quod ſe non videat conſequutum, quod alium. *Obtrectator*, quod alium idem conſequutum videat quod ſe. In eo quoque deteſtatione dignior obtrectatio, quod rebus honeſtis invidere ſolet. Itaque dicimus obtrectationem gloriae, famae, laudis, virtutis. Eſtne idem cum *rivalitate?* Haud equidem exiſtimo, tametſi id diſerte tradiderint viri acutiſſimi. Nam obtrectatio quidem, & latius patet, & majorem exercet livoris ambitum: ut in gloria, fama, laude, virtute. Rivalitas autem arctius concluditur, certiſque finibus continetur. In adamata ſcilicet forma. Eſt enim *rivalitas*, *aegritudo ex eo, quod alter quoque potiri velit forma a ſe concupita.* Vehementior igitur eſt obtrectatione rivalitas. Siquidem illa poſſeſſionem tantum dedignatur ac damnat; haec autem poſſidendi deſiderium. Illa angitur quod alter quoque potiatur. Haec autem quod potiri velit. Fallitur ergo Scaliger pater dum cenſet, rivalitatem eſſe, cum metuimus ne de amatae rei deturbemur poſſeſſione. Quod mallem non ſcripſiſſet. An extra poſſeſſionem rivalitas non eſt? Immo eo acrior, quo acrior eſt cupiditas pulchritudinis potiundae, quam retinendae. An ea aegritudine proci non laborant? An ad eos ictus obſtupuimus, quum adamatae formae ambimus amplexus? Graeci utrumque hunc morbum ζηλοτυπίαν appellant; uno vocabulo. Sed, ita vivam, ſcitiſſimo; atque ita apte eleganterque concinno, ut utriuſque aegritudinis ex eo reddatur aſpectus. Nam quum *obtrectationem* ſignificat, tum intelligo ζήλου τύπον, *aemulationis ſpeciem ſeu formam.* Quum autem *rivalitatem*, ζῆλον τύπου. *Veſtigii, ſive notae impreſſae obtrectationem.* Quae relinquuntur quum adamata mulier a rivali tractatur. Unde *obtrectatio.* Tametſi ad eas res translato vocabulo, quae attrectari non poſſunt: ut ad famam, ad gloriam, ad virtutem, ad laudem. Rivalitatis nomen a re ruſtica tranſlatum eſt. *Rivales* enim dicebantur, qui in agris communem habebant rivum, unde aquam irrigationi peterent. Inter quos ſaepe odia, contentiones, lites. Quod quidem animorum diſſidium appellabant *rivalitatem.* Iis omnibus con-

contraria eſt *miſericordia.* quam eſſe volunt; λύπην ἐπὶ τῷ δοκοῦντι ἀναξίως κακοπαθεῖν. Quod vertit Orator Arpinas: *Aegritudinem ex miſeria alterius injuria laborantis.* Quod tamen minus luculenter mihi videtur expreſſum. Quandoquidem non tam injuria, quam opinione injuriae, ad miſerendum commovemur. Ideo Graeci addunt enucleatius, τῷ δοκοῦντι. Saepe enim eorum nos miſeret, qui merita calamitate affliċtantur, ſaepe qui nulla: opinione deluſos. Quae niſi rectae rationis lumen obtunderet, judiciique aciem perſtringeret, nulla unquam eſſet jure laborantium commiſeratio. Igitur eſto *miſericordia*: *aegritudo ex miſeria alterius, qui videatur injuria laborare.* Recte *injuria.* Quis enim parricidae, proditoris ſupplicis, miſericordia commovetur? Ὀυ γὰρ οἱ δικαίως ἀποθνήσκοντες, ἀλλ' οἱ ἀδίκως, ἄξιοί εἰσιν ἐλεεῖσθαι. ait ſapientiſſime Lyſias contra Andocidem. Naturae quadam devexitate proni ſumus ad miſerendum; ſed inſontium, ſed nihil male merentium, ut ſcilicet innocentiae noſtrae, ſocietatiſque ſecuritati conſuleremus. Dicta eſt *miſericordia*, propterea quod ejus, qui hac affectione commovetur, *cor miſeret.* ut veteres loquebantur. Graecis ἔλεος, quod alterius inſortunia nos occupent. παρὰ τὸ ἐλεῖν. *Commiſeratio* id differt a *miſericordia*, quod a laetitia gratulatio. Utraque enim ſita eſt in motionis ſignificatione, vel verae, vel ſimulatae: gratulatio, laetitiae; miſericordiae autem commiſeratio. Miſericordia ſine verbis, ſine ejulatu, ſine geſtu corporis eſſe poteſt, commiſeratio non poteſt. Igitur miſericordiam, illam intelligo, qua ſervi Catonis ejus vulnus obligarunt, commiſerationem, Demoſthenis verba, geſtus, & forte lacrymas, ad judicum miſericordiam extorquendam accommodata. Hanc Graeci vocant οἰκτισμόν. Ab ejulatu forte quem ciere ſolent commiſerantes. Ventum eſt ad *poenitentiam.* Quam definio: *Aegritudinem ex re aliqua, vel facta, vel praetermiſſa.* Caeterae enim perturbationes extrinſecus fere habent cauſſas & turbamenta; poenitentia autem in ſemetipſa. Eſt namque earum rerum, quae voluntate noſtra, conſilio, opera, factae ſunt. Quare nemo recte dixerit: poenitet me mortalitatis meae, deformitatis, accepti vulneris, amiſſae libertatis. Quandoquidem iſtiuſmodi rerum nec conſilium noſtrum eſt, nec arbitrium; ſed nobis accidunt, vel inconſultis, vel invitis, naturae vitio, neceſſitate fati, fortunae ludibrio. Idcirco nulla eſt animi commotio, ex qua nobis majus impendeat periculum. Quippe cum nullos habeamus acceptae, vel injuriae, vel calamitatis, auctores, a quibus poenas repetamus; in noſmetipſos, quaſi infenſiſſimos hoſtes, doloris impetu ruimus. Itaque & vexationes corporis ſaepe conſequuntur & maledicta. Alexandrum illum Macedonem, quem totus orbis terrarum frangere non potuit, tot aditi labores ſubigere; interfecti a ſe Cliti poenitentia pene confodit. Hujus ergo animi aegritudinis quatuor eſſe cauſſas comperio: malum vel perpetratum vel praetermiſſum; bonum item vel patratum, vel neglectum. Malum perpetratum, ut quum poenitet nos admiſſi ſceleris,

leris, illati ſtupri, expilati templi. Praetermiſſum, ut quum poenitet non diruiſſe inimicam urbem, non interfeciſſe ſupplicem hoſtem, non invaſiſſe virginis pudicitiam. Contra autem, bonum patratum; ut quum poenitet aliquem collati in ingratum beneficii, ſuſceptorum pro patria laborum, ſervati hoſtis. Neglectum, ut quum poenitet me non ſublevaſſe inopem, defuiſſe amico periclitanti, non dediſſe operam literis. In quibus omnibus cum facti nos taedet pigetque, certe *poena tenet.* unde *poenitet.* ex quo *poenitentia.* Tametſi languidiore vocabulo quam apud Graecos: cum in hoc ſolum ſit dolor ob rem commiſſam vel omiſſam; in illis autem etiam mentis emendatio. Tria *poenitentiae* nomina, *μετάνοια*, *μετάγνωσις*, *μεταμέλεια*. In *μετάνοια* mutationem *mentis* videmus; in *μετάγνωσις ſententiae*; in *μεταμέλεια conſilii.* Quae poenitentium propria ſunt, & praeterita damnantium.

Hactenus naturam expoſuimus earum animi perturbationum, quas opinio creat mali praeſentis. Nunc ad earum vim introſpiciendam feſtinat oratio, quae ex opinione naſcuntur mali futuri. Quarum radix, ac veluti ſcaturigo, appellatur *metus.* Quem definit Cicero: *Opinionem impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur.* Parum accurate. Non enim opinio metus eſt, ſed metus cauſſa. Itaque morbi cauſſam affert, morbum autem non explicat. Nihilo melius illud: *Exſpectatio mali.* ut eſt apud Platonem. Exſpectantur enim mala a viro conſtanti, nec metuuntur. Putaſne, Urbe a Senonibus capta, ſeniores illos, qui in aedium veſtibulis ſedentes, hoſtium gladios obſtinato ad occumbendum animo exſpectabant, metu aliquo fuiſſe perculſos? Imo tantum abſuit ut eorum animi frangerentur; ut induti etiam triumphali veſte in ſellis eburneis, jocundam illam pro patria mortem oppeterent; ut Man. etiam Papirius, inſolentis Galli contumeliam non ferens, ſibi barbam demulcentis; ſcipionem in caput ejus incuteret. Tanta erat animae prodigendae cupiditas. Ergo metus non eſt exſpectatio mali, non eſt opinio, quae ex iis oritur, contractio animi ac demiſſio. Libet Ciceronis verba penitius evolvere. *Metus eſt*, inquit, *opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur.* Importunum additamentum. An mala quae tolerari poſſunt, metum non incutiunt? Valde ego metuo, ne catellam quandam, quae mihi eſt in deliciis, furax aliqua manus ſurripiat. Nec tamen opinio ejus mali adeo me frangit, ut mihi videatur intolerabile. Erit igitur metus: *Demiſſio animi propter exſpectationem futuri mali. Demiſſionem* intelligo quem Stoici ἐκλυσιν. Enervationem illam animi, debilitationem, ac veluti deliquium, quae affert opinio mali impendentis. Unde in metu pallor. Propterea quod animus, ubi metu percellitur, imminens illud exitium vitabundus, in altiſſima cordis, quaſi in penitiſſimum naturae receſſum, demergitur. Fit enim in metu quaedam animi fuga. Unde Graecis φόβος utrumque ſignificat, & *metum* & *fugam.* Sic nos etiam inſtinctu quodam animi atque impulſu, parandae corporis ſaluti latebras quaerimus. Ne dum ille in fuga eſt, nos iner-

inertes desideamus. Ergo in abditissima illa naturae latibula animus descendens, secum trahit sanguinem, quo demerso, destituitur rubore cutis. Inde pallor. Iccirco tremunt etiam qui metuunt, horrent. Tremunt, propterea quod animae virtus introrsum fugiens, nervos relinquit, in quibus continetur fortitudo membrorum. Quibus retracto calore torpentibus, vacillat corpus ac fluctuat. Horrent autem, eo quod spiritus, qui animae sunt veluti satellites, una cum illa refugiunt, quibus cutis destituta, subsidet; nisi ubi pili radices agunt. Ibi enim ob materiae densitatem eminet. Unde asperitas corporis, quam *horrorem* dixere. Sed de his alibi fusius. *Metus* nomen unde sit, plerique ambigunt. An a laborantis animi tumultu? μόθος. *metus.* An ut Varroni Frontonique placuit, a motu animi? Neutrum probo. Graecum est *metuo* μετιέω: *remitto*, *ignave me gero.* Inde *metus.* Quemadmodum φόβος, παρὰ τὸ φέβεσθαι. Ex hac igitur lethali radice hae variarum perturbationum erumpunt fibrae. Pigritia, desidia, ignavia, inertia, verecundia, pudor, rubor, suspicio, diffidentia, timor, pavor, terror, formido, conturbatio, tumultus, horror, tremor, trepidatio, consternatio, exanimatio, religio. *Pigritia* definitur a Stoicis: φόβος μελλούσης ἐνεργείας. A M. Tullio Latine: *Metus consequentis laboris.* Presse atque eleganter. Qui laborem detractabant, *pigere* dicebantur. Priscum fuit verbum *pigeo*, a Graeco πεφύγω, quod *refugere* significat. transpositis literis, & abjecto φ. Quemadmodum videmus in *renes*, ex νεφροί, in *rana* ex φρύνος, in *ajo* ex φάω. Inde *piger.* quem videlicet piget laboris. Et *pigritia.* Graece ὄκνος, a torpore & cessatione motus. ὀ κινῶν. Hinc apud Terentium exprobratio illa pigritiae in Mysidem: *move te ocyus.* Persuasum est plerisque omnibus, etiam viris eruditis, nihil interesse discriminis inter pigritiam, desidiamque. Sed valde eos fallit. Languidior enim est atque enervatior desidia. Etenim illa laborem aversatur atque detrectat; haec autem naturalem etiam corporis motum. Itaque definitur a me *desidia. Motus futurae motionis.* Pigritia etiam in motu corporis esse potest, desidia non potest. Illa in quodam opere versatur, haec in quolibet. Itaque, dicta est, & vere & sapienter, a *desidendo*: propterea quod qui pestilenti illo languore afflati sunt, pudendo sessibulo affixi, marcescunt ac torpent. Minus habet turpitudinis *ignavia.* Illam dico aegritudinem, quae sita est in aversandis periculis. Pusilli atque abjecti animi vitium. Quid est igitur *ignavia? Metus adeundi pericula.* Ita dicta, quod sit contraria, *navitatis.* Graece vel κακία, vel ῥαθυμία. Priori nomen παρὰ τὸ χάζειν, quod est *pedem referre.* quod proprium est pericula detrectantium. Eorum more qui locum deserunt in acie. Posteriori, ab aversatione difficultatum, earumque rerum quae animi contentionem postulant. Ex ῥᾴ, nullius negotii rem denotante, & θυμός Inter eos porro animi morbos, quos fuga laboris creat, recensenda profecto est *inertia.* Illa nempe tabes, qua a studio artium abhorret animus, futuri laboris larva deterritus. Id enim est *inertia*: *Metus tractan-*

tractandarum artium. Languor iste quos occupat, inertes appellamus; propterea quod hisce *artibus* sint destituti. Lucilius in IX. Satyrarum:

Ut perhibetur iners, ars in quo non est ulla.

Graeci verbum non habent, quo hujus vim assequantur. Nam ἀεργία latius patet. Est enim detrectatio cujuslibet operis, ἀεργία. Quod ad pigritiam propius accedit, quam ad inertiam. Miserandae igitur naturae nostrae sorti illacrymandum, cujus conatibus tot tantique objecti sunt hostes, qui honestissimo ejus labori insidiarentur, eamque a gloriae virtutisque tramite deterrerent. Pigritia nempe, desidia, ignavia, inertia. Quarum pigritia ab honesto labore nos avocat, desidia ab officiorum corporis functione, ignavia a praeclare gestorum gloria, inertia ab apiscendis artibus. Ergo pigritia a patientia deterremur, desidia ab alacritate, ignavia a fortitudine, inertia a sapientia. Segnities & socordia naturae vitia sunt, non aegritudines. Itaque ad propositam nobis disquisitionem nihil attinent. Etenim *segnes* ii dicuntur, qui *sine igne* sunt. Id est, sine ardore animi ad res alacriter exsequendas. *Socordes* autem, qui *sine corde*. Id est, sine consilio, & sapientia. Unde *socordia*, & animi hebetudinem significat, & stultitiam. Gravius malum quam *vecordia*. Haec enim sapientiam minuit tantum, extenuante particula *ve*: ut in *vesanus*, in *vegrans*. Illa vero penitus tollit; ut in *sobrius*, in *securus*. Ergo vecors parum habet sapientiae, socors nihil. Porro, inter segnitiam & socordiam id interest, quod segnitia corpus hebetat, socordia mentem. Ergo illa ad agendum impedimento est, haec autem ad considerandum.

Sub metum quoque centurianda mihi videtur *verecundia*. quae nihil aliud est, nisi *Metus incurrendi in superiorum censuram*. Ut definit Plato. Maximum humani generis ornamentum, incitamentum honestatis, fidissima aequitatis tutela, virtutumque omnium integerrima custos: eoque justitia & nobilior & innocentior; quod haec violare homines vetat, illa autem, vel leviter offendere. Haec supplicii metu deterret, illa censurae: quod & mitius est & humanius, & rationis nostrae dignitati congruentius. *Superiorum censuram*, intelligo eorum, qui nobis vel aetatis, vel officii, vel dignitatis munere antecellunt. Aetatis, ut seniorum erga juniores; officii, ut magistri erga discipulos; dignitatis, ut nobilium erga plebejos. Appellabo igitur verecundiam, illam in theatro Atheniensi legatorum Spartanorum adversus hominem provectae aetatis reverentiam, Alcibiadis erga Socratem, Populi Romani erga Patres. Itaque a pudore id differt verecundia, quod pudor est admissi flagitii, verecundia rejecti. Ille admissum dedecus detestatur, haec admittendum. Divinum nomen *verecundie*: in quo scilicet, & odium turpitudinis deprehenditur, & metus reprehensionis. Quum nempe, & dedecus ipsum, & dedecoris notam *veremur*. Id est, *valde remur*. Quam opinio-

opinionis gravitatem injicit particula *ve*: ut in *vescus*, *vepallidus*. Ergo verecundi tunc sumus, quum *ve remur*; id est, valde opinamur, & flagitio nos iri pollutum, & flagitii nota. Graeci minus diligenter, ne dicam improbe, per vocem αἰδῶ, & pudorem significant, & verecundiam. Quod perinde est, ac si rem optandam cum pudenda conjunxeris. Etsi autem pessimi exempli res est turpitudinem cum honestate confundere; quoniam tamen utriusque affectionis proprium est vel avertere oculos, vel dejicere; iccirco utramque appellarunt αἰδῶ: ab α privante & ἰδεῖν. Nam qui pudore afficiuntur, oculos suos avertunt, aliorum aversantur. Qui autem verecundia, non tam avertunt, quam dejiciunt. Utrisque gravis est obtutus. Effectus idem, caussa longe diversa. Illis nempe conscientia flagitii, his autem eorum, quos in honore habent, reverentia. Tametsi non sum nescius, haec duo verba incuria inscitiaque loquendi saepe confundi. Sed aliud est philosophorum more loqui, aliud vulgi. Igitur *pudor* definitur a Zenonis Schola: φόϐος δικαίου ψόγου, *metus justae reprehensionis*. Vel (quod eodem recidit) φόϐος ἀδοξίας, *metus ignominiae*. Nec audio Aristotelem, qui negat in quarto Topicorum αἰσχύνης genus esse φόϐον: propterea quod illa sit ἐν τῷ λογιστικῷ, metus autem ἐν τῷ θυμοειδεῖ. Nam opinio illa impendentis ignominiae, seu justae reprehensionis, ubi pervasit τὸ λογιστικὸν, sive partem illam animi, in qua inest ratio, penetrat in τὸ θυμοειδὲς, fitque illa animi contractio, quam appellamus metum. Quodam tamen naturae miraculo. Nam cum metus sanguinem retrahat; pudor tamen, qui metus est, illum diffundit. Cujus rei esse caussam existimo, quod metum, caeterasque animi perturbationes ad metum pertinentes, cura salutis angit; pudorem autem solius famae. Itaque in metu retrahitur sanguis ad vitae arcem, nempe cor; ut eam saltem influxu suo amplexuque ab impendentis periculi incursibus tueatur. In pudore autem vultum occupat: quem natura quasi velum praetendit, sub quo turpitudinis auctor delitescat. Itaque videmus, ipsa natura duce, rubore suffusos manum sibi ante faciem obtendere. Quod si id urbanius tibi dictum videtur, quam philosophum decet; veram hujus ruboris caussam aperiam. Ubi admissi dedecoris morsu natura tangitur, animus sibi flagitii conscius altissimum penetrat sanguinem, qui ubi turbulento illo discussu commotus est, ad faciem propellitur, ac veluti redundat: haud aliter ac si peivim aqua plenam palma complodas. Faciem autem ideo petit, quod eam praecipue partem pudor affictet: ut metus praecordia. Ibi enim vitae jactura timetur, hic famae. Iccirco qui metu ignominiae laborant, faciem avertunt; sicut avertitur sensus a *putidis*. hinc *pudere*. ex Graeco πύθειν. inde *pudor*. Quem, ruborem consequi diximus. Igitur rubor id differt a pudore, quod ab invidia livor. Utraque enim affectio animi perturbationem prodit. Nam ut invidia livescimus, ita erubescimus pudore. Qui latius funditur quam verecundia. Illa enim superiorum tantum metuit reprehensionem,

fionem, pudor autem etiam aequalium, etiam inferiorum. *Pudicitia* in hanc disputationem non venit, cum ad corpus pertineat. Dicimus enim pudicitiam, corporis illam ab obscoena contagione tutelam. Nobis autem animi tantum provincia decreta est. Ergo *suspicionis* evolvamus naturam. Est *suspicio : Metus ex incerta damni repraesentatione.* Quae esse profecto potest, vel illati damni, vel inferendi. Illati, ut suspicio propinati veneni, perpetrati maleficii, violatae pudicitiae. Inferendi, ut suspicio naufragii, insidiarum, fraudis. Porro, vel ad corpus pertinentis, vel ad animum. Ad corpus, ut suspicio morbi, casus, cladis. Ad animum, ut suspicio avaritiae, levitatis, perfidiae. *Incertam repraesentationem* appello, importunas procacesque illas umbras, quae cogitationem nostram circumvolitant, cum adumbrata quadam imagine damni : quod veluti *sub* caligine intuemur ac *spicimus*. Unde *suspicioni* nomen. Praepositio enim *sub* dubitationem significat, ac imbecillum assensum: ut in *subalbico*, *subdubito*, *subirascor*. Graeci eodem consilio suspicionem, & ὑπόληψιν vocant, & ὑπόνοιαν, & ὑποψίαν, & ὑφόρασιν. In primo imbecillam opinionem vides. ὑπολαμβάνω In secundo levem cogitationem. ὑπονοέω. In reliquis obscuram visionem. ὑπόπτομαι ὑφοράω. A suspicione proclivis ad *diffidentiam* transitus. Quam definio: *Metum cum imbecilla fiducia.* Tunc enim diffidimus, quum a metu fiducia superatur. Iccirco voco *imbecillam*: languidam nempe & enervem. Mirabilis hujus vocabuli vis atque ἐνέργεια. Utpote quod omnes continet diffidentiae gradus. Nam primum significat animi in diversas partes agitationem. Quod mitissimum est diffidentiae genus. *Diffido*, ut *dispono*, *dissemino*. Deinde quum a fiducia dividimur, ut in *dissocio*, *disjungo*. Quum longius discedimus, seu diversi abimus. ut in *dissideo*. Gravior est perturbatio quum rebus nostris male fidimus. Tunc enim id significat praepositio *dis* in *diffido*, quod in *dispereo*. Sed omnium miserrima quum deturbamur a fiducia. *fido*, *diffido.* ut *facilis*, *difficilis*. Graecorum diligentiam verbi venustate superavimus. Illi enim, minus constanter, eam solum agnoscunt diffidentiam, qua fiducia funditus amittitur. Vocant enim ἀπιστίαν. quasi dicas *infidentiam.* Ea si alte incubavit, *timorem* gignit. Est autem *timor. Metus mali appropinquantis.* Ita placet Tullio. Mihi non item. Quando etiam *metus* in opinione versatur impendentis mali. Quod autem impendet, propinquum est. Speciem igitur cum genere confundit Cicero. Turpiter Scaliger lapsus, quum timorem definit, *Exspectationem eorum censurae, qui in dignitate sunt constituti.* Fefellit nempe eum falsa nominis originatio. Nam metus ille censurae *verecundia est*: ad timorem autem nihil pertinet. Qua de re alibi a nobis peracute disputatum est. Stoici τὸ δέος esse volunt: φόβον δεινοῦ, *metum rei gravis*. Sed an quod illi δέος vocant, nobis liceat timorem appellare; nondum habeo compertum. Certe aliud esse φόβον, aliud δέος, diserte ostendit Herodotus dicens : ἡμέας ἔχει φόβος τε καὶ δέος. Et Lysias pro Polystrato:

to: τὸ δέος καὶ ὁ φόβος τῶν πεπονθότων ἀπέτρεπε ταύτας. Quemnam igitur dicemus *timorem*? Equidem definio: *Metum futurae poenae.* Ita *poenam a malo* disjungo. Nam mala viris etiam probis accidere possunt; poena autem non nisi improbis. Est enim peccati pretium. Ergo *metus* bonos invenit, *timor* facit. formidine videlicet poenae. Cujus infligendae duplicem affert caussam Plato in Gorgia: vel emendationis, vel exempli. Poenarum genera commenti sunt, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exsilium, servitutem, mortem. Juvat opinionem nostram vis ipsa vocabuli. τιμάω *multare* significat, condemnare, punire. Unde Latinum *timeo*, τῇ ἐνεργείᾳ εἰς τὸ πάθος transeunte. hinc *timor*: pro metu illo, quo multam, damnum, poenam exhorrescimus. Nisi mavis esse a τιμωρία; quod poenam etiam significat respectu exigentis. Ut est apud Aristotelem Rhetoricorum primo. *Pavor* gravior est perturbatio. Nam mentem etiam concutit. Iccirco definitur a Tullio: *Metus loco movens mentem.* Etsi ego tantam vim non tribuo pavori; sed concussum tantum, commotionemque; vel summum, plagae inflictum. Est enim *pavire*, percutere, ferire, tundere. Unde *pavicula*, & *pavera frumenta*; id est multum trita, ut granum deglubatur. *Pavio* ex παίω, inserto Aeolico elemento. quod *percutere* significat, *pulsare.* hinc *pavor*: quia *pavit* mentem; hoc est percutit, pulsat. Divinus Vates in III. Georgicon:

> —— *Exultantiaque haurit*
> *Corda pavor pulsans.*

Ubi ictum vides: *haurit.*

> —— *latus haurit apertum.*

Verberationem. *corda pulsans.* Sic etiam dicimus, *pavore perculsos.* Est enim pavoris proprium *percellere.* Quid est *percellere?* περὶ κέλλειν. Nec aliud est Graecorum ἔκπληξις. quod ictum infligat. Ergo ἔκπληξις *pavor est.* pavor autem: *Metus cum pulsatione.* Quam quidem affectionem, unius hominis esse inter omnia animantia Aristoteles nos docet in III. *de Partibus Animalium*, διὰ τὸ μόνον ἐν ἐλπίδι γίνεσθαι, καὶ προσδοκίᾳ τοῦ μέλλοντος. Quod habetur etiam apud Platonem in Timaeo. Quid sibi vult Stobaeus, dum ἔκπληξιν definit: φόβον ἐξ ἀσυνήθους φαντασίας, *metum ex insueta imaginatione?* Equidem id formidini potius tribuerem. utpote quae sit a *formis.* Quae fere proveniunt ex corrupta imaginatione. Sed de his alias. *Terrorem* definit Cicero: *Metum concutientem.* At terror metus non est, sed metus incussio. Perperam igitur inter affecti animi aegritudines collocat Cicero. Nam hae sunt ἐν τῷ πάθει, terror autem ἐν τῇ ἐνεργείᾳ. Ideo est in *Amphitruone*:

> *Exsurgite qui terrore meo occidistis.*

Ter-

Terrorem populi Romani appellabo Carthaginem, Numantiam, Pyrrhum, Annibalem. Τέρατα ſunt monſtra, ſive portenta, quibus mortalium animi concutiuntur. Hinc *terrere*: pavorem illum incutere, quem ſolent τέρατα. Geminato terrifico elemento, exaſperandae vocis cauſſa: ut vel ſonus ipſe rei prae ſe ferret immanitatem. Inde *terror*. Id ipſum eſt quod Graeci vocant τάρϐος: a turbando & commovendo. Id enim ſignificat ταράσσειν. Unde τάραϐος, & contractius τάρϐος. Huic morbo perquam eſt affinis quem vocant *formidinem*. Quum nimirum vel deformis, vel tetrae alicujus ſpeciei inſolito objectu percutimur. a *formis*. Quo nomine intelligimus ſpectra, larvas, imagines, ſimulacra, nocturna occurſacula, buſtorum formidamina, inferorum umbras, & alia id genus terriculamenta. Poeta in VI. divinae Aeneidos:

—— & forma tricorporis umbrae.

Inanis igitur res eſt formido, & umbratilis; nec niſi puerorum animos invadens, vel quorum non ſalit cor. Formidabitur ergo manducus in triumpho, larvatus hiſtrio in exodio Atellanae.

—— quum perſonae pallentis hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans.

Quid ſibi vult Tuſculanarum auctor, quum *formidinem* definit: *Metum permanentem?* Tantum id abeſt a natura formidinis, ut ſit imo illa plerumque ὀλιγοχρονία & μινυνθαδία: donec videlicet, vel oculi objectae ſpeciei aſſueverint, vel intenta cogitatio ludibrii vanitatem deprehenderit. Eſto igitur *formido*: *Metus ex inopinatae rei viſione, abſque periculo impendente.* Habent ſuum quoque Graeci vocabulum, quo ſcitiſſimam hujus venuſtatem aſſequantur. Μορμολύττομαι enim *formidare* proprie eſt. a terriculo item ſeu ſpectro; quod illi vocant μορμῶ. Humanae ſolertiae, conſiliorumque vaſtatrix, ſequitur *conturbatio*. Quae nihil aliud eſt, jubente Tullio, niſi: *Metus excutiens cogitata*. Qua ſcilicet adeo proſternuntur mentis noſtrae facultates & copiae, ut rationis inops, inconſulta vagetur, ac fluctuet. Conturbatio ſi multitudinem invadat, atque ad arma rapiat, *tumultus* dicitur. Quod duobus modis fieri poteſt: vel ex hoſtili incurſu, vel ex populari ſeditione. Ex hoſtili incurſu, ut audito Romae Fregellano nuncio de Annibalis adventu. Ex ſeditione populari, ut in ſeceſſione plebis ad Sacrum montem. Definitur a Stoicis: φόϐος μετὰ φωνῆς κατεπείγων. *Metus cum vociferatione ac trepidatione.* Sed vellem addidiſſent πολλῶν. Propterea quod tumultus niſi in multitudine eſſe non poteſt. Quae improviſo aliquo periculo perturbata, *tumere* videtur. Unde Tulliana illa: *tumere negotia*, & : *rerum tumorem.* Ut res indicaret ad tumultum vergentes. Divinus Vates primo Georgicon:

—— *illa*

—— ille etiam caecos inſtare tumultus
Saepe monet, fraudemque & operta tumeſcere bella.

Hinc tumultus. quaſi *tumor multus*. Imitatione Graecae ſolertiae, a qua factum eſt κύδοιμος, propterea quod κύει τὸ οἶδμα. Siquidem illi quoque, res ad tumultum vergentes dicunt οἰδεῖν: ut apud Platonem in Gorgia, οἰδεῖν πόλιν, *tumere civitatem*, apud Herodotum: οἰδέοντα πράγματα, *negotia tumentia*. Unde in Romanam Urbem tranſtulit Cicero. Vocant etiam Graeci *tumultum*; θόρυβον: a clamore & vociferatione. παρὰ τὸ θρόον καὶ βοήν. *Horrorem* autem alia ratione intra hujus diſputationis ambitum admiſerim, quam livorem, ruboremque. Sunt enim corporis affectiones animi morbum prodentes. Ergo ex metu horror. Quem deſcribit lux Poetarum in IV.

Arrectaeque horrore comae.

Ubi enim opinione impendentis alicujus mali percellitur animus; ſpiritus per univerſam corporis compagem diſperſos diſpalatoſque, veluti ſigno dato revocat ad vitae caſtra, nempe cor: ut eorum praeſidio, ab illa ſaltem ſalutis arce periculum depellat atque propulſet. Quibus ubi extrema corporis deſtituta ſunt, ſubſidet cutis; niſi ubi pili radices agunt. Ibi enim ob materiae denſitatem eminet. Quo fulcro veluti obfirmati pili, ſtantes erectique rigent: retracto ſanguine, cujus irrigatione mollitis radicibus, flacceſcebant. Haud aliter ac ſegetes decumbunt humecto agro; eriguntur autem ubi obduruit. Porro, deficiente ſanguinis fotu, frigus exaſperat cutem, qua denſata pili vibrantur. Iccirco algent quos horror occupat, tremunt. Ex naturae penetralibus Maro:

—— mihi frigidus horror
Membra quatit.

Id nimirum eſt quod appellare placuit *tremorem*. Motum ſcilicet ex motibus contrariis; ut explicat Galenus. Corporis item affectionem, ex animi aegritudine metu ſaucii. Cauſſa eadem. Frigus nempe, qui abſceſſu ſanguinis, corporis extrema pervadit: quo liberius graſſante, concutimur. Quod jam a nobis demonſtratum eſt, cum metus naturam, ejuſque affectiones exponeremus. Duplex onomatopoeia, *horror* & *tremor*. Altera a Latinis excogitata, a Graecis altera. Ne vel in hoc oſtentatrici Graeciae, vel induſtriae, vel ingenii ſolertia, cederet Latium. *Horret*. En vocem ipſam horridam atque hiſpidam; aſperante ſono triplici canina; aſperante item ſpiritu. In τρέω tremorem quendam deprehendimus & concuſſum. Inde *tremo*: & τρόμος, Aeolice τρόμος. Unde *tremor*. qui tamen, certis finibus continetur. Nam ſi vehementius concutiatur corpus: af-

fectus

fectus ille dicitur *trepidatio*. Quum tremor ita nos occupat, ut vix consistere valeamus. Itaque definitur a me *trepidatio*: *Metus cum gravi corporis concussione*. Id nempe est quod scribit Aristoteles Topicorum IV. τοὺς ἀγωνιῶντας σκαίρειν τοῖς ποσί. *Trepidantes, salientium more, crebro terram ferire*. Vacillante videlicet corpore, ac veluti marcescente, nervorum congelatione. Hinc affectioni nomen, *trepidatio*. Quasi *terripedatio*. ut *tripudium*, quasi *terripudium*. Vetus fuit verbum *pedare*: unde *pedatus* apud Catonem & Plautum; *repedare* apud Pacuvium & Lucilium. Placet viris eruditis id ipsum esse quod Graeci vocant ἀγωνίαν. Quam Aristoteles in *Problem.* ait esse timorem illum, quo percellimur opus aliquod aggressuri. Definitur a Stoicis: φόβος ἥττης. *metus adversae fortunae in certamine*. Describit hanc Maro illo versu:

Frigidus Arcadibus coit in praecordia sanguis.

Hinc apud Homerum dicitur Priamus exhorruisse, cum Alexander ad singulare certamen cum Menelao adigeretur. Alii exponunt φόβον ἀποτυχίας, *metum infelicis eventus*. Quo in certamen descensuri maxime corripiuntur. Unde nomen τῆς ἀγωνίας. Infensior est *consternatio*. Trepidatio namque corpus tantum concutit, ac veluti arietat. *Consternatio* autem dejicit, deturbat, labefactat. Esto igitur *consternatio*: *Metus statu dejiciens corpus*. In qua aegritudine significanda Graecis sumus longe feliciores. Carent enim illi vocabulo, quo hujus vim assequantur. Summa esset omnium perturbationum; quas creat metus, consternatio; nisi atrocissimam haberemus corporis animique nostri labem, *exanimationem*. Nam caeteris perturbationibus ita afficimur, ut animo tamen simus superstite atque excubante. *Exanimatione* autem & animo concidimus & corpore, spe atque consiliis abjectis. Est namque *exanimatio*: *Metus cum animi deliquio*. Amittitur enim vis animi. Qua intercepta, ac veluti extincta, ruit corpus. Id propterea accidit, quod sanguis venas permeans insultu ac morsu frigoris obtorpescit, ac congelascit. Quo concreto spiritus cohibentur, naturaeque officiis circumventis, universa hominis machina collabascit. Quippe αἵματος φλεβῶντος στάσιες, λειποθυμίη. Ut est apud Hippocratem in VI. *de Morbis Popularibus*. Ergo caeteri metus incursus longe sunt mitiores, ac veluti gradus ad hanc perniciem. Nam pigritia corpus tantum hebetat, pudor rubore suffundit, timor decolorat, horror exasperat, tremor concutit, trepidatio quassat, dejicit consternatio. Exanimatio autem, & animum vastat, & corpus. M. Tullius cum hanc aegritudinem enucleandam sibi proposuisset; assignato gradu, ejus naturam praetermisit. Definit enim exanimationem: *Metum subsequentem, & quasi comitem pavoris*. Quod, quid est aliud quam ejus sedem prodere, naturam autem reticere? Nec verum est eam subsequi pavorem. Multum est enim intervalli pavorem inter exanimationemque. Nam pavorem horror consequitur, horrorem tremor, hunc

hunc trepidatio, trepidationem autem consternatio, & hanc denique exanimatio. Prius est enim pavere, seu metu pulsari, deinde horrere, postea concuti, quassari, prosterni, ac denique exanimari.

Universis perturbationibus expositis, quibus, rerum humanarum metu, per varia naturae ludibria, conficitur animus ac verberatur; superest, ut gradum ad illam faciamus, qua metu deorum immortalium tangimur. quam Graeci vocant δεισιδαιμονίαν: Stoici autem definiunt: φόβον θεῶν καὶ δαιμόνων. *Metum deorum ac daemonum.* Latine appellabo *Religionem*. Poeta octavo Aeneidos:

> *Jam tum relligio pavidos terrebat agrestes*
> *Dira loci.*

ubi *dira religio* est δεισιδαιμονία. Horror nempe, qui nos quasi *religatos* tenet. Unde *religioni* nomen. Tametsi apud Stoicos pro inani tantum ac superstitioso deorum metu usurpatam hanc vocem reperimus. Itaque δεισιδαιμονίαν mediam constituunt inter εὐσέβειαν & ἀθεότητα.

Hactenus concitatos turbidosque contracti animi motus exposuimus; quidque ad unumquemque pertineat, sagaci subtilique disquisitione declaravimus. Nunc ad motus animi sese efferentis exsultantisque convertatur oratio. Quandoquidem illi quoque sunt inter παθήματα. Turbant enim animum atque a coelesti illa tranquillitate dejiciunt: perinde ac mare, quod non minus exasperant secundi fluctus, quam adversi. Harum igitur gestientis Animi Affectionum gemina radix est atque origo, voluptas & libido. Utraque enim efferimur insolentius. Opinione boni praesentis, voluptate; futuri autem, libidine. Pandamus igitur huic quoque pelago lustrando vela, & voluptatis sinus circumnavigemus. Non illam dico illecebrosam & blandam, ac infamiae subjectam, quae jocundo motu sensus titillat delinitque; sed alteram innocentem, illapsu suo animum quadam jocunditate irrigantem, ac perfundentem. Utramque appellant Graeci ἡδονὴν: & illam in qua sensus haerent, & illam, qua animus effertur. Caussa eadem. παρὰ τὸ ἥδειν, a *suavitate*, & *oblectatione*. Igitur definitur *voluptas* a Zenonis porticu: ἄλογος ἔπαρσις ἐφ' αἱρετῷ δοκοῦντι ὑπάρχειν. Quod in secundo *de Finibus* vertit Cicero: *Sublationem animi sine ratione opinantis se magno bono frui.* Ubi vere & sapienter additum est. τὸ δοκοῦν. Quandoquidem ἡδονὴ πολλάκις οὐ μετὰ δόξης ὀρθῆς, ἀλλὰ μετὰ ψευδοῦς ἡμῖν γίγνεται. ut divine Plato in Philebo. Illud minus ex Graeciae dignitate, quod uno eodemque vocabulo utramque voluptatem circumscripserint: invidiosam alteram ac turpem: quaeque nullum habet cum virtute commercium. Jocundum nempe illum motum, quo sensus deliniti efferuntur ac gestiunt. Alteram liberalem & honestam, qua animus innocenti quadam jocunditate perfunditur. Quas inter tantum interest, quantum inter animum & corpus. Ut mirari subeat temeritatem inscitiamque loquendi. Cur enim animi voluptatem

a cor-

a corporis non disjungant, cum in dolore tam diligenter praestiterint? Fortasse quod in rebus asperis solertiores sumus quam in secundis. *Voluptatis* nomen eadem forma cusum est a Latinis, qua *simultatis*, *facultatis*. Nam ut a *simul* est *simultas*; *a facul facultas*; tertia vocali excisa; sic *voluptas* a *volup*. Qua voce usi sunt Asinius Plautus, & Q. Ennius Annali VII. Ex hac gestientis animi elatione variae emergunt Animi Affectiones & ἀῤῥωστήματα. Hilaritas nempe, oblectatio, gaudium, laetitia, delectatio, exsultatio, cachinnatio, jactantia, asmenismus, alacritas, goëtia, malevolentia. *Alacritatem* inter voluptarias animi commotiones recensere vix audeam. Tam enim abest ut turbidum aliquem illius tumorem indicet; ut coelestem potius compositi placidique animi tranquillitatem ostendat. Itaque sapientem hilarum esse decet, voluptate tangi non decet. Est enim *hilaritas*, jucunda quaedam oris festivitas. primus ad laetitiam gradus. Ea siquidem vultus contractionem laxat, moeroreque deterso ad laetitiam componitur. Vocabulo ab iis desumpto, qui nobis sunt propitii. Id enim significat ἱλᾶν. Unde ἱλαρός. Si effusi, opinione boni praesentis, spiritus, foras erumpant, ut animi motus prodatur; affectus ille dicitur *laetitia*. quam definio: *Animi voluptatem cum manifesta significatione*. Fit enim in laetitia animi effusio, ut in moerore contractio. Dicam accuratius. Spiritus illi, quos opinio boni alicujus exciverat, animique constantia, rationisque imperium, intra gaudii septa retinuerat; laetitia non cohibente, liberius vagantur. Perinde ac milites, quos securitas dispalat, metus contrahit. Quin etiam natura, humanae levitatis vitio tacta, effertur rebus secundis, dejicitur adversis. Hinc illa animi elatio ac tumor in laetitia, spirituumque effusio atque discursus. Est enim res inquieta felicitas. Definitur affectio isthaec a M. Tullio Tusculanarum IV. *Opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur*. Parum diligenter, ne dicam inepte. Diffunditur enim per universos voluptatis gradus animi elatio. Iccirco voluptatem ipse per *animi sublationem* expressit. Oportebat igitur, ut elationis modum appinxisset: quando in aliis remissior, in aliis concitatior deprehenditur. *Laetitiae* nomen a motione illa ductum, qua declinato exitio animus exsultat. Λαῖτος enim *incolumem* notat. Sequitur *delectatio*, quae a Chrysippo, in eo quem scripsit ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ, definitur: ἡδονὴ δι' ὤτων κατακηλοῦσα. Ab Andronico vero Rhodio: ἡδονὴ δι' ἀκοῆς κατακηλοῦσα. *Voluptas suavitate auditus animum deliniens.* ut vertit Cicero. Ubi *delectationis* nomen intelligo τὴν κήλησιν. Qua voce significatur id genus delinimenti quo mulcentur aures. Quod constat, vel oratione, vel concentu, vel harmonia. Caeterorum sensuum affectiones, quibus animus aeque perfunditur, proprium nomen non habent. Quod equidem Graecorum sapientiae facile adscribo. Solus enim auditus inter omnes sensus innocentem habet voluptatem, honestam, liberalem. Caeterorum oblectamenta vel turpitudine sordent, vel brutorum communione vilescunt.

ſcunt. Adde, ſolum illum diſciplinarum eſſe ſatellitem, ac veluti miniſtrum. Ejus enim ope atque adjumento & docemur, & diſcimus. Apud Romanos, ad haec perſpicienda minus ſolertes, omnes aeque ſenſuum illecebrae appellatione carent. Quas uno *delectationis* nomine comprehendunt, per omnia ſenſuum delinimenta circumfuſo. Itaque, quum delectationem definiunt per voluptatem ſuavitate auditus animum delinientem; id ipſum intelligas velim de viſu, tactu, odoratu, guſtatu. Ab antiquo *lacio* eſt apud Titinnium *delicere*. Ab hoc *delecto*. Unde *delectatio*. Si animus nimia voluptate perfuſus, commovetur vehementius, ita ut corpus ipſum inani quadam levitate temere geſtiat; affectionem illam appellabo *exultationem*. Eſto igitur *exultatio*: *Voluptas immodice geſtiens*. Quippe ut in triſtitia, opinione mali praeſentis contrahuntur ſpiritus ac torpent; ita in laetitia, opinione boni praeſentis efferuntur ac geſtiunt. Perque univerſam corporis noſtri compagem, veluti ſigno dato, exſultanter effuſi, indecoram illam efficiunt atque impotentem jactationem, non coercente ratione effrenes illos ac turbulentos incurſus. Quod in vitiis maxime numeratur. eſt enim levitatis indicium. In hac aegritudine exprimenda, habemus Latium Athenis ipſis Atticis locupletius. Carent enim illae vocabulo, quo hujus vim & ἐνέργειαν complectantur. Nam σκιρτήσεις, ἐξάλσεις, corporis motum ſignificant, non autem elati animi motionem. *Exultatio* vero, & morbi cauſſam prae ſe fert, & morbum ipſum. cauſſam, *ex*: morbum, *ſaltatio*. Stoicos inertes! quibus in mentem non venerit ſerum illud ἀγαλλίασμα. In quo etiam inſolentior ille ſpirituum exſultus? ἄγαν ἅλλεσθαι. Quod ſi, ratione moderante, movetur animus placide atque conſtanter, motus ille dicitur *gaudium*. Quod a me definitur: *Ratione temperata voluptas*. Eſt enim Stoicis; εὔλογος ἔπαρσις. Errat igitur Scaliger quum *gaudium* definit, voluptatem facientem effuſis ſpiritibus animum ſeſe efferentem. Nam levis illa & geſtuoſa animi elatio, laetitia dicitur. Profuſam hilaritatem vocat Tullius. *Topicorum* auctor in ſecundo, exponit εὐφροσύνην, affectum prudentia temperatum. χαρὰν vero, recentem animae elationem, atque effuſionem. Ergo illi εὐφροσύνη *gaudium* eſt. χαρὰ autem laetitia. Icccirco ajunt Stoici, cadere in virum ſapientem gaudium. Graecum eſt γαθεῖν. Unde noſtrum *gaudere*. adſcito υ more Aeolum. Graecis *gaudium* eſt χαρά, a χαίρω, quod *gaudere* ſignificat. Hoc autem παρὰ τὸ χέειν καὶ ῥεῖν. *ab effuſione ſpirituum & affluxu*. Ut eſt apud Platonem in Cratylo. Primam animi converſionem ad voluptatem appellabo *oblectationem*; Graeci vocant τέρψιν, definiuntque: προτροπὴν τῆς ψυχῆς ἐπὶ τὸ ἀνειμένον, *inclinationem animi ad remiſſionem*. Quaſi dicas, animi converſionem. Quod nomen ipſum oſtendit. τέρψις, quaſi τρέψις. Iccirco nullum viſum eſt *oblectationis* vocabulo, huic motui exprimendo accommodatius. Quum enim *oblectamur*, duo nobis accidunt: In contrariam affectionem convertimur.

timur. quod denotat praepositio *ob*; & in fraudem inducimur. quod significat *lactandi* verbum. Cujus primitivum fuit *lacere*, decipiendo inducere, in fraudem impellere. A *lacio*, *lacto*. Unde *oblecto*, & *oblectatio*. Turpissima in hoc genere *cachinnatio*, sive risus dissolutior, impotens & lascivior. quam definio: *Voluptatem cum risu profusiore.* Allatrabunt mihi aliqui fortasse, cachinnationem non esse voluptatis πάθημα, sed animi effusionis, & subsultantium spirituum indicium. ut in dolore *lamentationem*, *trepidationem* in metu. Quae non tam inter aegritudines videntur recensendae, quam inter aegritudinum effectus. Qui haec objiciunt, ollas profecto mihi videntur lippire, nec affectionum naturam ullatenus habere perspectam. Nam etsi verum est, cachinnationem, lamentationem, trepidationem, quosdam esse affectionum indices; voluptatis nempe, doloris, metus; significant tamen certum affectionis gradum intentionemque, ex quibus illa oritur dissimilitudo, quam Graeci vocant διαφοράν, Latini differentiam. Itaque quum cachinnationem audio, concitatiorem in eo voluptatis motum deprehendo, quam cum gaudio tantum perfundimur, vel remittimur oblectatione, vel laetitia efferimur, vel delectatione delinimur. Quam ob rem, & lamentationem, & trepidationem, inter animi quoque morbos numerant Stoici. Quorum ego exemplo, cachinnationem. Graeca vocis origo, καγχάζω. detrito γ. A sonitu vocis dissono & obstrepero. Unde morbi nomen καγχασμός. Voluptati quoque subjiciunt *jactationem*. Quae definitur a Tullio: *Voluptas gestiens*, *& se efferens insolentius.* Ut eam intelligas jactationem, quae ad Thrasones pertinet, & Pyrgopolinices: inanem profecto, sordidam, ventosam, & plane indignam homine liberali, & magnanimo. Hanc animi aegritudinem Latini modo *jactationem* appellant, modo *jactantiam*. Vel propterea quod illa afflati, rerum inanium more jactantur; vel quod importunissime deblaterando, eadem gesta easdemque virtutes identidem effutiunt ac repetunt. Id enim significat *jactare*. Poeta de Corydone:

—— ibi haec incondita solus
Montibus & sylvis studio jactabat inani.

Graeci vocant ἀλαζονίαν. ab α epitatico & λάζομαι. Quos enim illa pestis invasit ἀλάζονται, *nimium sibi arrogant.* Inter voluptatis supellectilem numerant quoque τὸν ἀσμενισμόν. Sed quid est *asmenismus*? definiunt ἡδονὴν ἐπὶ ἀπροσδοκήτοις. *Voluptatem de nec opinatis.* Cimmeriae tenebrae. Qui Graece sciunt; illa vocant ἀπροσδόκητα, quae eveniunt vel inexspectata, vel praeter opinionem. At haec eadem si boni alicujus speciem prae se ferant; per omnes voluptatis motiones versare animum possunt atque traducere. Nam si inopinato aliquo bono tactus, inclinet ille ad remissionem; affectio

tio illa dicitur *oblectatio*; si moveatur placide atque constanter, *gaudium*; si efferatur & gestiat, *laetitia*. Si sensus suavitate deliniatur, *delectatio*. Si leviter immoderateque gestiat, *exultatio*; si lascivius in risum profusiorem erumpat, *cachinnatio*; si insolentius se efferat, *jactatio*; si ob alterius incommoda, *malevolentia*. Quaenam sunt igitur inopinata illa, quae *asmenismum* a caeteris voluptatis affectibus eximunt atque dispescunt? Equidem asmenismum intelligo eam animi jucunditatem, qua sumus lubentes, vel, qua lubet aliquid facere. *Lubidinitatem* appellavit Laberius. Caeteri *Lubentiam*. Esto igitur asmenismus Graece, quod Latine *Lubentia*, definiaturque: *Voluptas ex lubenti animo*. At *Lubentia* non est ἔπαρσις. Non enim effertur ibi animus; sed jocunde agit, & ex sententia. Nec ulla in eo commotio: sed quaedam, pene dixi alacritatem. Sed plus significat hoc verbum. Accedit enim ad virtutem alacritas. Est nempe, *vegeta animi erectio*. Nam quemadmodum premente dolore, vel motu contrahente, jacet animus atque decumbit; sic alacritate veluti experrectus, viget sublimis erectusque. Iccirco definitur a Platone: ἐμφανισμὸς προαιρέσεως πρακτικῆς, *Voluntatis ad agendum propensae significatio*. Quod verum est, sed minus ad rem nostram. Nobis enim incedendum est via scruposiore; sed quae ducat tamen ad voluptatem. Esto igitur *alacritas*; *voluptas ad prompte agendum impellens*. Porro *Lubentia* hominis propria. Constat enim opinione. *Alacritas* autem etiam belluarum. Itaque laudamus in cane alacritatem venandi, currendi in equo, in philomela canendi. Προθυμίαν vocant Graeci aptissimo vocabulo. Quasi dicas, *animi praesentiam*. Latini languidius. *Alacrem* enim dixere, vel a membrorum integritate: à *lacerum*: vel expertem lacrymarum: τὸν ἄδακρυν. Sed quo me rapit alacritas dicendi? Contrahamns jam vela, & inhibitis remis agamus navem retrorsus. Dixeram proxime non esse lubentiam ἔπαρσιν, sive elationem; sed quandam animi jocunditatem, sine motu, sine effusione, sine tumultu. Lubet me hoc noctis id opusculum lucubrare. Animo me esse lubente profecto sentio; commotum autem vehementius, voluptatis aliquo pulsu allisuve, non sentio: immo contra, animo perquam composito atque tranquillo. Nec tamen id ipsum aliquo caret voluptatis sensu; quum implicatissimos caussarum nexus evolvimus, quum operis rationes ex sententia fluunt, quum nomen nostrum haud obscurum fore apud posteros auguramur. Verum haec extra lubentiae ambitum esse, facile contendent. Quandoquidem oriuntur ex opinione alicujus boni, vel praesentis, vel futuri. At quum lubet sedere, jocari, currere; quae vera est & mera libentia; exhilaramur vel tum quidem, & jocunditate quadam perfundimur. Quod satis est ad voluptatem. Ἄσμενος *lubentem* significat. Ab ἥδομαι, *jocunditate afficior*, ἥσμαι, nnde ἡσμένος, & lenito spiritu, retractoque accentu, ἄσμενος. Hinc ἀσμενίζω, & ἀσμενισμός. En aliam apud Stoi-

cos voluptatis fibram. γοητείαν. Quo nomine cave intelligas detestabilem illam exsecrandamque ciendis manibus, evocandisque defunctorum umbris, excogitatam artem. Sed illam, quae a praestigiatoribus, vel manuum agilitate, vel quocumque alio commento, praestringitur, & eluditur acies oculorum, cum voluptate quadam & oblectamento. *Praestigias* vocant Latini. Tametsi id nomen fallaciam potius ipsam significat, & offusam oculis caliginem, quam affectionem inde provenientem. Sunt enim praestigiae ἐν τῇ ἐνεργείᾳ. Appellabo igitur hanc animi affectionem (si mihi licet per Ciceronianos) *praestigiationem*. Sic enim intelligimus τὸ πάθος. ut in obtrectatione, trepidatione, delectatione. Definitur ergo Goëtia; ἡδονὴ δι' ὄψεως κατ' ἀπάτην. *Voluptas oculorum per dolum.* Hebetatur nempe visus fraude circumventus, & doli solertia imponitur sensibus: ipsaque rationis acies miraculi novitate obtusa, haeret anceps & stupet. Quo magis appareat animi nostri levitas, qui ad insolita quaeque ludibria, merasque offucias, jactatur indecore atque effertur. Et quasi aegritudinum inopia laboraretur, nec satis essent tot aversi a ratione animi motus & turbamenta; per insidias appetimur, excogitatis per ludum, naturae incognitis voluptatis irritamentis. *Praestigiarum* nomen, ab oculorum hebetatione. Id enim significat *praestringere*. Graecum γοητεία per initium pro funesta illa tantum manium evocatione usurpatum fuit. Iccirco dictum ἀπὸ τῶν γόων, a lugubri illa lamentatione, qua obibant sepulchra & mortuorum cineres. Postea vero temporis translatum fuit ad ludicrum illud, quo praestigiatores calcularii (*pilarios* vocavit Latium) oculorum aciem eludunt. Quod crederet vulgus; fieri id nullo modo posse absque incantationis ope atque molimine. Hactenus earum aegritudinum introspeximus naturam, quae emergunt ex opinione boni alicujus proprii. Una superest infensi animi voluptaria commotio, quam opinio creat alieni mali: humanae societatis teterrima pestis, animique labes faedissima. *Malevolentiam* appellavit Tullius. quam definit Tusculanarum IV. *Voluptatem ex malo alterius sine emolumento suo.* Id ipsum est quod Stoici vocant ἐπιχαιρεκακίαν, scitissimo vocabulo, definiuntque: ἡδονὴν ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς. *Voluptatem ex malis alienis.* Andronicus vero Rhodius in suo ΠΕΡΙ ΠΑΘΩΝ: ἡδονὴ ἐπὶ τοῖς τῶν πέλας ἀτυχήμασι. *Voluptatem ex aliorum infortuniis.* Sed Graecia minus solerter. Superavit diligentia Tullius. Non enim simul ac alieno exhilaramur infortunio, illa animi effusio *malevolentia* dici debet; sed quum gratis, nulloque nostro emolumento, exhilaramur. Nam si ex alterius calamitate aliquid in nos recidat utilitatis atque compendii; motus ille voluptatis ad alia atque alia animi vitia referendus est. Quis enim voluptatem ob deletos hostes, ob superatum competitorem, ob rivalem spretum, ob inimicum pessumdatum, appellabit malevolentiam? Nullo igitur proposito commodo, nulloque instigante; sed sponte alienis malis exultare, id proprie dicitur *malevolentia*. Quemadmodum

sponte

ſponte, nulloque emolumento, alterius rebus ſecundis tabeſcere, *invidentia.* Sunt enim morbi affines. Male tamen Ariſtoteles Rhetoricorum ſecundo, nihil intereſſe diſcriminis cenſet inter ἐπιχαιρέκακον & φθονερόν, *malevolum* & *invidum.* Quin & utramque hanc affectionem confundit, dum *invidentiam* definit per voluptatem: ἡδονὴν ἐπ' ἀλλοτρίοις κακοῖς. Ex quo ſequitur, ut *malevolentiam* definire liceat per *aegritudinem*: λύπην ἐπ' ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς quod magnam affert rerum perturbationem. Quis enim invidum geſtientem vidit? Porro omnia in iis contraria ac diſparata. In invidentia dejicitur animus alienae felicitatis ictu. In malevolentia effertur aliena recreatus calamitate. Invidentia torpemus, exſultamus malevolentia. Invidi eſt avertere oculos, alioque deflectere, inviſique ſibi capitis horrere conſpectum. Malevoli autem in aliena aerumna figere obtutum, inſultare aliorum miſeriis. Itaque invidentia felices refugit, malevolentia inſtat calamitoſis. Eoque ſaevior haec, tetrior, immanior, quo plus habet ſceleris ac turpitudinis ſaevire in afflictos, quam fortunatos odiſſe. Porro illa venenum celat, haec prodit. Cum igitur adeo diſpares ſint inter ſe diſſimileſque, quis unquam dixerit nihil eſſe inter eas diſcriminis? Ergo id forte ſcribit Ariſtoteles, oriri utramque ab eadem cauſſa: animo ſcilicet inimico atque infenſo. quod verum quidem eſt. Sed par cauſſa diſpares ſaepenumero parit effectus. Pavor enim & pudor eandem habent cauſſam, metum. effectu tamen longe diſſimili. Quandoquidem in pavore pallemus, erubeſcimus in pudore. Sic *libido* & odium creat, & deſiderium. Eſt enim illud *libido puniendi*; hoc autem *libido potiundi.* Ergo diſpar illa animi affectio, aegritudinum conſtituit differentiam, quam inter invidum eſſe & malevolum, abunde a nobis oſtenſum eſt. aegreſcit enim alter, alter vero voluptate perfunditur. Affectio malevolentiae contraria, dicitur *miſericordia*; ut invidiae, *benevolentia.* Illa malis alienis ſe crucians, haec gaudens bonis. Duae vero letales, maximamque afferentes perniciem, invidia ac malevolentia. Illa bonis alienis tabeſcens, haec malis exſultans. Id appellavit lux Poetarum in VI. *mala gaudia.* quicquid nobis obblaterent.

> —— *& mala mentis*
> *Gaudia.*

Quibus verb's nihil excogitari poteſt luculentius ad exprimendum ἐπιχαιρεκακίας vocabulum. Habes in eo *gaudium*: χαίρειν. *malum*: κακία. mentis ſtudium intentionemque: ἐπί. Igitur *mala mentis gaudia*, proprie ἐπιχαιρεκακία. Latine *malevolentia.* Inepte utrumque. Neque enim gaudium mali eſſe poteſt, neque voluntas. Quando quidem utraque haec affectio temperatur ratione. Sed vulgi inſcitia commiſſum eſt, ut cum male vel-

lent cuiquam, id appellarent *malevolentiam.* Nisi malis id factum imitatione Graeci vocabuli, quod eodem vitio laborat.

Superest aegritudo omnium teterrima, *Libido*, sive *Cupiditas.*

CLAUDIANUS.

— *Felicibus inde*
Ingeniis aperitur iter.



ORA.

955

ORATIO
PRO
CREPITU VENTRIS
HABITA
AD PATRES CREPITANTES

AB E. M. E. A. D.



ORATIO

PRO CREPITU VENTRIS

Ad Patres Crepitantes.

CUM semper Crepitum Ventris ab urbe exsulantem & profugum, atque a consortio & hominum consuetudine ejectum expulsumque, aegerrime tulerim; hoc praecipue tempore, *P. Crepitantes*, in quo ὀσπριοφαγίαν τεσσαρακοστὴν de more celebramus, & gravius visum est, & Reipublicae incolumitati perniciosius. Quid enim tam acerbum, tam deplorandum, ac ne oculis quidem ferreis aspiciendum, quam delicias populi, publicae libertatis conservatorem, vel, quod dicere vereor: dicam tamen; salutis aram, ab urbe, a Republica, ab hominum conventu eliminasse, explosisse, exsibilasse? Aliis in urbe pestibus grassari impune licet; optimo civi, atque optime quidem de singulis merito, patria perfrui aura non licet. Siquidem eo insaniae atque vecordiae hominum devenit audacia, ut nisi vobis, *P. Crepitantes*, aut cura aliqua Crepitus conservandi, aut libido fuisset; jam de ejus nomine vel incolumitate actum videretur. Rem sane omnium difficillimam agnosco, ea quae communi hominum arbitratu atque sententia inveterata sunt, vel funditus evellere, vel alio, quam infixa mentibus opinio permittit, detorquere. Sed cum saepe vel ignorantia, vel caeco eorum qui suggerunt livore, sententiae huc illuc facile distrahantur; ingentem animo fiduciam haud temere concepi, a me, si receptam vulgo de Crepitu opinionem diluerim ac debellarim, revocatum iri ac restitutum. Quod haud equidem ambigo mihi ex animi sententia eventurum, si ejus ortum, educationem, liberalium disciplinarum peritiam, animi dotes, virtutis splendorem, dignitatem, auctoritatem, reique qua publicae, qua privatae utilitatem demonstraro. Nec non male feriatorum capitum calumnias, & convitia in eum jacta veritate duce ac fortuna comite dissipavero. Ac primum, P.

C. de ejus antiquitate mihi dicendum judico. Crepitum, quis tam rationis expers, tam plumbeus esse possit, qui non origine, hominis aequalem fateatur? Statim enim ac supremus rerum conditor vitalem illum spiritum inanimi atque inerti moli insufflavit, virtusque illa infusa, naturalia munia exercere occoepit, quis credat, munus illud tantopere necessarium, aera inclusum atque interceptum, naturaeque ipsi adeo perniciosum, foras ejectandi, vel ignorasse, vel omisisse? Praesertim vero cum ipse humani exordii parens, & ruboris & urbanitatis inscius, nec illum exsultantem ac erumpere gestientem, vel compresserit, vel jugularit. Sermone antiquiorem fuisse, priusque Crepitum invaluisse, quam verba homines proferrent, vel ex Aristophanis Ranis addiscere possumus, quando nihil sciebant, nisi

Προσπαρδεῖν γ' ἐς τὸ στόμα, καὶ μινθῶσαι τὸν ξύνσιτον (*a*)

Quod ad genus attinet, haud obscurae conditionis parentes sortitus est. Mitto eorum nugas, qui a Jove stercoreo, sive (ut cum Orpheo) εἰλυμένῳ κόπρῳ (*b*) originem ducere arbitrantur. Parentes quidem habuisse, tum apud omnes auctoritate, tum generis splendore ac nobilitate praestantes; omnibus in confesso est :- quamvis & nonnihil ii qui nobis tradiderunt, vel aberrent, vel discrepent. Aristophanes quidem in *Pluto* pultis filium facit; nam cum dixisset:

Κἀγὼ τότ' ἤδη τῆς ἀθάρης πολλὴν ἔφλων, (*c*)

Subjungit postea: (*d*)

—— —— μέγα πάνυ
Ἀπέπαρδον. ἡ γαστὴρ γὰρ ἐπεφύσητό μου.

Si Chamaeleonti Pontico poetae fides adhibenda, Fabae filium appellabimus, qui refert Asinum cum quendam fabas comedentem aspexisset, adeo illarum desiderio affectum fuisse, ut ad crepitus ejectandos provocaretur. Telemachus etiam Acharnensis ut illos in numerato haberet, diuturno fabarum alimento confovebat. Rapis Diphilus Siphnius medicus honorem hunc tribuit. Si Zenonem Stoicorum Principem audire velimus, Lupinorum filium reperiemus, qui ut eam quam de Crepitus libertate legem promulgaverat, reapse statueret atque obfirmaret, iisdem vesci consueverat. Ego tamen ne tot tantorumque virorum auctoritati adversari videar;

(*a*) *In os oppedere, & merda sodalem foedare.*
(*b*) *fimo delibuto.*
(*c*) *Ego tum bonam partem pultis absorbsi.*
(*d*) —— —— *Mirum in modum*
Pepedi: nam venter meus intumuerat.

videar; ejus parentes haud temere appellare audeam allia, cepe, lupinos, fabas, rapa, pultem, aliaque id genus *πνευματικά*.

Habetis genus P. C. nobilissimamque tanti herois prosapiam intuemini, ut si qua labes nequam fortassis hominum perfidia atque improbitate in honestissimam familiam irrepsisset, judicii nostri spongia penitus abstergatur. Nam quod aliqui objiciunt de Crepitu illo polentario, ex eadem familia, qui a Plauto ignominiose, ut ipsi arbitrantur, in theatrum adductus est, quum *Curculio* sua ageretur; plenum quidem dedecoris & probri videri posset; nisi id ipsum olim fecissent Cypriorum Reges in apparatissima illa Alexandri Magni pompa in Phoeniciam regressi. (testante Plutarcho.) Et Nero atque Heliogabalus Impp. aliique principes viri. Quid? Nonne Augustus aliquando respondit, *immunes verberum histriones?* Quin & Histrioniam non fuisse pudori in Graecia, Livius tradidit. Quid? in Graecia? immo nec usquam gentium qui in scenam prodibant olim inter turpes habitos, Macrobius in Coenis comprobavit. At demus obscuros esse, & Censoria nota inustos. Illi sane ignominiae & dedecoris nota urendi, qui ultro in scenam se sisterent, ac Histrionicam artem atque institutum sectarentur: non vero Reus noster, qui attractus, & quasi per vim in scenam detrusus a spurcissimae conditionis homine, helluone, gurgite, mensarum assecla, & scurra e trivio, parasito scilicet Curculione.

Illa difficilis admodum est, tantopere exagitata quaestio, cujusnam sit ille coloris, qua facie, qua corporis habitudine. Quae ut diluerentur, gallus gallinaceus advocari oporteret, qui . . . quanto magis hunc, qui crassissimo nidore (absit verbo invidia) praetextatus incedit. Nihilominus, si in re adeo perplexa vel conjecturis uti licet; corporis statura macilentum esse & gracilem, vel ex angustissima arctissimaque propriae domus janua, qua sibi exitus patet, intelligere possumus. Cujus rei testem accersire profecto possem Catullum festivissimum scurram, ac nasutissimum sannionem, qui acutissima illa qua pollebat oculorum acie, videre potuit

Subtile & leve peditum Libonis.

O Veronensium beatissimum, qui tantum heroa de facie noscere meruit! Haud nobis, vili popello, & inglorio ita contigit. Quid? nobis? immo nec mortalium ulli post hominum memoriam tantus honos a Diis tributus perhibetur.

Ejus idioma sive linguam P. C. omnes audivimus, intellexit nemo. Ubicumque enim terrarum illum audiveris, exotica dialecto, atque ab hominum captu penitus remota, loquentem admirabere. Strepsiadem tantummodo Aristophanaeum, quocum ille familiarissime versabatur, ex diuturno frequentissimoque usu atque colloquio, vel prorsus intellexisse,

 vel

vel assequutum pene judicavero. Ait enim in *Nubibus*: (*a*)

Χ' ὥσπερ βροντὴ τὸ ζωμίδιον παταγεῖ. καὶ δεινὰ κέκραγεν.
Ἀτρέμας πρῶτον, παππάξ. κᾆτ' ἐπάγει παπαππάξ.
Χ' ὥταν χέζω κομιδῇ, βροντᾷ παπαπαππάξ.

Quae quidem verba non apud fungos aliquos aut bardos Strepsiades protulit, sed coram sapientissimo illo Socrate. Habemus igitur P. C. suam Crepitui dialectum & loquendi normam prorsus inesse; ut falso qui invidiam illi apud omnes conflare magnopere student, tam arguti Rei incomptam garrulitatem, torporemque nobis objiciant. Obblaterent nunc P. C. obganniant qui Crepitus hebitudinem & blaesum obtusumque lingnae torporem gravissimis verborum protelis insectantur. Loquitur ille me hercule, immo triplici sermonis dialecto utitur. Nam aliquando *pappax*, qui adultiore sunt aetate *papappax*, qui virili *papapappax*.

Haud parvum negotium facessere arbitror P. C. ad causam Rei nostri tuendam; & honestam, & pudicam ejusdem educationem, moresque educationi ipsi animi integritate respondentes. Non enim in mediis civilium negotiorum tumultibus & fastu, sed in secessu, & remota ab ambitu aulaeque strepitu solitudine, versari consuevit ac degere

Forumque vitat, & superba civium
Potentiorum limina.

Noverat enim haud aliter civile odium, caeteraque imminentia discrimina tuto declinanda, quam si privatam nactus vitam, sibi potius quam caeteris vivere studeret: atque ita se potius (quod portenti instar est) majorem Reipublicae utilitatem fore allaturum, si vitae a se actae testes procul amoveret, ac civium aures pro viribus declinaret. Hinc enim factum est, ut in secretioribus aedium recessibus, in balneis, in privatis cubiculis vitam transigat: ac denique sub stragulis, ut Crepitus adolescentis Aristophanaei, quem Strepsiades fuisse ait,

Ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένον. (*b*)

Quid si mores spectemus? nonne charitate in cives maxima semper enituit? Missa facio singulari benignitate in omnes collata beneficia. Quis enim vestrum P. C. tam ingrati animi reus videri possit, tam beneficiorum immemor, tam deses, tamque impudica fronte, qui non maxima ejus in vos, in conjuges, in liberos, in familiam, in Rempublicam, in uni-

(*a*) *Et jusculum, uti tonitru, strepit intus: tum fragor editur ingens:*
Primo sensim pappax: mox inde infert sonitum papappax.
Et quando caco, tum demum papapappax.
(*b*) *Quinque stragulis involutum.*

universum denique hominum genus, merita fateatur? Tam late patent ejus beneficia, ut non gentes modo licet remotissimae & barbarae, hujus sese charitate adstrictae fateantur; sed & ipsae brutae animantes naturali amore prosequantur. Sus enim audito ventris crepitu, statim accurrit, mox stercus exceptura.

At quamvis tanto solitudinis capiatur amore; nonnunquam tamen, animi laxandi caussa, laetitiae & risus patiens, immo & auctor, in publicum hominum consessum prodire haud erubescit. Ubi inter cachinnos versatur libere ac discurrit, ipsoque risu apprime delectatur, ab eoque saepe evocatus foras erumpit. Quare haud temere arbitror, Democritum, mortalium omnium γελασιμώταλον, in hac Crepituum facultate plurimum valuisse.

Libertatis amantissimus semper extitit, ut Brutus, ut Cicero: nam si quando servituti, & carceribus mancipatur, nullum non lapidem movet, ut repagulis, vinculis, & compedibus quibus detinetur, spretis; laxatisque postibus, dilabatur.

Si Crepitus itidem dotes, & literarum ornamenta prosequi velimus; inveniemus profecto in omni scientiarum, ac liberalium disciplinarum genere instructissimum. Ac eloquentia quidem plurimum valuisse, vel unico exemplo comprobabimus. Cum enim Metrocles Hipparchiae frater, ac Theophrasti discipulus, aliquando meditaretur, inter ea nescio quomodo crepitu ventris emisso, adeo erubuit, ut prae animi moerore domi se incluserit, a vita per inediam discessurus. Quod cum Crates accepisset, domum ad eum advocatus accessit, cum lupinis dedita opera se prius ingurgitasset. Ac monebat illum verbis, nihil ut gravius in se admitteret: quippe portenti simile futurum, nisi secundum naturam spiritus secernere liceret. Ad extremum vero ipse quoque ventris crepitu emisso, similitudine facti illum consolatus, confirmavit. Ex eo tempore ipsum audivit, atque in philosophia plurimum profecit. O linguam disertissimam facundissimamque! O facinus, dignum me hercule quod immortalis gloria prosequatur! Noverat profecto Crates, ejus verba nullius ponderis futura, nisi potentissimam Crepitus facundiam tantae rei comitem adsciseret. Quis ambigat, egregium Philosophum se gravissimo sententiarum robore praemunisse, tantum negotium aggressurum; incassum tamen, nisi orationi languidae atque enervi suppetias Crepitus ivisset. Persuasit nempe unico verbo, quod Crates vastissimo sententiarum ambitu minime potuisset.

Musices itidem peritissimum fuisse, nemo inficiabitur qui Augustini Hipponensis Antistitis libros *de Civitate* legerit. ubi ait: *Nonnullos ab imo sine paedore ullo ita numerosos pro arbitrio sonitus edere, ut ex illa etiam parte cantare videantur.* Talis fuit Germanus quidam in comitatu Maximiliani Caesaris & Philippi ejus filii, cum in Hispaniam advenissent: nec ullum erat carmen, quod non ille Crepitibus podicis redderet. De Turture ab Aristote-

ristotele memoriae proditum est, dum canit, ventris crepitus frequentissime ejectare. Namque illis ἴδιον συμβαίνει τὸ ἀποψοφεῖν. Atque inde originem traxisse proverbiolum illud arbitror: *Turtur cantat.* in eos nempe qui ima parte sonabant. Appositissime etiam dicitur a Nicarcho πορδὴ τραυλὸν ἴσασα μέλος. (*a*)

Omnia haec P. C. nullius essent prorsus momenti ad magnum heroa constituendum, si virtute illa quae mores gubernat, humanarum actionum moderatrice, destitueretur. At Reus noster ita undecumque egregiis animi dotibus, virtutisque ornamentis semper excelluit, ut portenti similis videatur. Primo quidem grati animi exemplar mihi proponitur. Eum quippe qui ipsum libere vagari permittit, nec minimum offendisse unquam reperitur; adeo est justitiae amans, ac memoriae beneficiorum tenax; immo a molesto tormine, atque intestino tumultu, quod ad exitium conjurabat, quasi Apollo alter ἀλεξίκακος, incolumem defendit.

Quis nescit Religionem, Virtutum caeterarum stirpem atque parentem, in Crepitu nostro in primis commendandam? Telemachus Acharnensis quo eum in promptu haberet, gratissimo alimento confovebat; fabae nempe olla diuturna, qua vitae curriculum transigebat; haud alia scilicet de causa, nisi ut anniversariam τῶν πυανεψιῶν solennitatem cum Ventris Crepitu celebraret. O religiosum facinus! O pium! Sed quid Telemachum dico? Athenae ipsae Atticae nulla in Apollinis honorem thymiamata, aroma nullum tanto numini vel gratius, vel acceptius excogitare potuerunt, quam suavissimum Crepitus odorem. Quare severissima religionis lege cautum fuit, ne alio alimenti genere quam leguminibus victitarent.

Unde & Crepitus frugalitas conspicienda se offert: cum vilibus atque abjectissimis quibusqam contentus, alliis, lupinis, rapis, cepe, faseolis, aliisque id genus praecipue gaudeat ac nutriatur; luxu autem & opulentia vel pereat, vel langueat, roburque amittat: unde fit ut lautitias penitus aspernetur.

At quo Reus noster aequi rectique tenacior est, ac jus suum unicuique tribuendi; eo injuriarum vindex & acrior & severior. Eos siquidem qui comprimere, fraenare, & exire conantem frustrare solent ac decipere, tanto prosequitur odio, tam vindictae & caedis avidus lacessit & torquet, ut ad internecionem usque desaeviat. Cujus rei quia nec pauca nec obscura exstant exempla P. C. satius me molestiae & fastidio vestro facturum existimavi, si ea silentio praetermitterem. Quod si mitius agat, leniori quodam poenarum genere de injuria sibi illata vindictam sumit. Nam cum aliqui diu ipsum compresserint, atque exire reluctantem foribus clausis detinuerint, ipsique pugilice invadenti feliciter obstiterint: dum tamen Crepitus vim erumpere gestientis, atque huc illuc discurrentis incursus evadere

(*a*) *Crepitus balbum melos emittens.*

dere conantes, tantillum fores laxant; vel ab eo commissi clam facinoris produntur, vel attracto secum involucro conspurcantur & demerdantur, vel utrumque simul. Auctoritatem itidem dignitatemque adeo affectat & sustinet, ut si alicui vel irrisioni vel contemptui fuisse animadvertat, in furorem quasi versus, mirum in modum excandescat, dum irrisorem ipsum poena talionis afficiat. Exemplum vobis praebet P. C. mirabile illud facinus, quod a Frederico Dedekindo ita describitur: (*a*)

Missus ad externas orator maximus oras
Nuper erat, lingua consiliisque valens.
Virgineo in coetu, dominaeque ante ora potentis
Debuit eloquii tela ciere sui.
Utque in conspectu dominae data copia fandi,
Sollicitus graviter lumina figit humi.
Jamque soluturus facunda viriliter ora,
Ut solitum fieri, flectit utrumque genu.
Sed quia se nimium miser incurvabat in auras,
Edidit ingratum ventre crepante sonum.
Nil tamen hoc facto perterritus, absque rubore
Prosequitur caussae coepta severa suae.
Dissimulant omnes crepitum audivisse, sed una,
Non bene quae risum Virgo tenebat, erat.
Dumque sibi indulget nimium ridere loquentem,
Ah! male virgineas claudit inepta nates.
Et tenuem ventris crepitum subtiliter edit:
Audieris, lyricum dixeris esse sonum.
Tum memor admissi Rhetor sua coepta relinquens,
Virgineum alloquitur verba per ista chorum:
Pergite sic ventos ex ordine, pergite Nymphae
Mittere, quos longum continuisse nocet.
Inde ubi me rursum quoque mittere jusserit ordo,
Officii peragam munia cuncta mei.
Illico virgineas perfusa rubedine malas
Dejicit ab oculis moesta puella suis.
At reliquae ingenti risu quatiuntur, & illo
Solvitur actutum concio facta modo.

Videtis P. C. Virginem illam tam procaciter insultantem atque irridentem, ab eo dignissimo supplicio multatam.

Fortitudinem ejus, virtutem, atque animi praestantiam quis non in priva-

(*a*) *Lib.* 3. *c.* 7. *de Simplicitate morum.*

privatis rebus expertus est? Statim enim ac sodalem metu trepidantem advertit, quasi ignaviae illum pudeat, nihil non molitur, ut inertem, vecordem, ac remissum sodalem e vestigio relinquat, ne & ipse pusilli atque abjecti animi vitio laborare, pariter videatur. Quod anicula illa Aristophanica experta est in *Pluto*:

Ὑπὸ τοῦ δέους βδέουσα δριμύτερον γαλῆς. (*a*)

Et ille apud Lucianum (*b*) qui ὑπεβδύλλει ὑπὸ τοῦ δέους. (*c*) Aratum Sicyonium cum instante praelio timore percussum ac titubantem vidisset, deserere maluit, quam propriae existimationis jacturam pati, testante Plutarcho in ejus Vita. Sed haec minoris sunt momenti P. C. cum & ipsum numen Priapum quod perterritum ob veneficarum quarundam aspectum vidisset, e societate sua ac contubernio dejecerit; testante Horatio:

Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedit.

Ejus praeterea in Republica utilitatem agnovit profecto Claudius Imperator, ac civium incolumitatem detrimentum passuram, nisi Crepitum Ventris dudum relegatum, civitate iterum Romana donaret, & veluti postliminio restitueret. Nec restitueret modo, sed publico convivio, atque epulis optatum exciperet: quod diu meditatus fuerat, edicto de ea re concepto, *quo veniam daret flatum Crepitumque Ventris in convivio emittenti.* Qui quidem honor, exsulem per edictum adsciscendi, ante illum tributus est nemini. Sed cum consultissimo Romanorum Imperatori, conceptam pro tanto facinore animo gloriam, extrema dies arripuisset; a consortio & societate hominum ejectus, itidem exsulare coactus est, cum maximo humanae salutis dispendio: qui quidem P. C. si in viscera, (ut ita dicam) ac Reipublicae familiaritatem fuisset revocatus, nunquam in tot miserias incidissemus. Impulerant nempe rei ac salutis publicae parentem & conservatorem Claudium tot civium clamores ac pericula, quibus consultum iri, munus praecipuum existimavit. Tam arcte denique ejus necessitudine usus est; tam optime in illum fuit affectus, ut prius vocem amiserit, quam ab ejus consuetudine, & familiaritate desciverit, nam testante Seneca in Ἀποκολοκυντώσει, *ultima vox ejus inter homines audita est, cum majorem sonitum emisisset illa parte qua facilius loquebatur, & omnia concacavit.* Nonne ipse est aura illa vitalis, qua respiramus? aura siquidem quam Cephalus venator sub arbore recubans, tantopere deperibat. Non enim Zephyrum illum flores blandientem, ac caloris aestus mulcentem Cephalus

(*a*) *Ex metu pedens quavis fele acerbius.*
(*b*) *In Lexiphane.*
(*c*) *Ex metu visibat.*

lus invocabat; ſed aërem exercitio atque agitatione ventre conceptum foras avocare, qua precibus, qua blanditiis vehementiſſime ſtudebat; cujus Zelotypia Procris medullitus torquebatur. Quid? reluctamini P. C.? Ambigitisne de Crepitus utilitate? Periculum facite. Retundite ejus impetum, exitum reſerate, praecludite viam. Experiemini, me hercule, vel eo maxime propitio ac ſoſpite hominem indigere. Non de illo tantum intelligo ſtrepero ac vocali, ſed de illo etiam qui tacito ac ſenſim ſubterlabitur. Quis veſtrum P. C. vel unius diei curriculum traducere ſoſpes potuiſſet? Illi conjugum incolumitas, liberorum ſalus, familiae denique indemnitas ac valetudo penitus referenda. Multa demum ſunt P. C. quae niſi grati animi indiciis accepta referamus, turpiſſimum animi vitium contraxiſſe merito videamur. Quid referam tot tantaque commoda, quae ab ipſo in vitae privatae uſus derivari cernuntur?

Vulgatum eſt ex Strepſiade Ariſtophanaeo, feſtiviſſimo ſcurra, in *Nubibus* effatum illud:

Σάλπιγξ ὁ πρωκτὸς ἐστίν. (a)

Rogo, P. C. nonne fruſtra eſſet, ac nullius uſus tuba illa, abſque dexterrimo ſuaviſſimoque tibicine Crepitu? Niſi Crepitus inflaſſet, quorſum tuba? Quendam audiſſe vidiſſeque memini gibbum, qui quoties libuerat, adeo in numerato habebat crepitus, ut non ſolum innumeros eorum, vl nulla adhibita, ejectaret; ſed eos canentium more inflecteret, acueret, deprimeretque; ita ut veluti claſſico quodam, aut tuba, lituove, nunc ſignum pugnae daret, nunc receptui caneret, quaſi agmen vel ad certamen impelleret, vel ab hoſtium congreſſu revocaret.

Quid homini utilius P. C. quam victus, atque ejus quaerendi inſtitutum & ratio? Hoc itidem beneficio Reo noſtro quamplurimi ſeſe devinctos fatentur. Cujus rei ſpecimen ut praebeam, exemplum quoddam P. C. ſub hujus ordinis aſpectum proponam. Fuit Antverpiae Tabellio quidam Amſterodamenſis, qui hebdomatim ultro citroque commeabat. Hunc ita expeditum in emittendis bombis iſtis crepitantibus memorant qui aliquando in illius contubernio fuerunt, ut ad quemvis nutum etiam ſonum illum abſque ulla verecundia ederet. Accidit autem ut de vaſe cereviſiae praeſtantioris perſolvendo, paciſceretur cum quodam hac lege, ut qui in adſcenſu turris Marianae, quae ibi altiſſima, plures emitteret crepitus, praemium acciperet. Eunt adſcitis arbitris, & ecce Tabellio in quolibet gradu, qui ſexcenti & viginti tres numerantur, crepitum expedite edebat. Idem in deſcenſu facturus, ſi de altero vaſe decertatum fuiſſet. En, Rei noſtri auxilio neceſſitati ac ſiti ſubventum eſt, quo forſitan ſi deſtitutus fuiſ-

(a) *Tuba podex eſt.*

fuiſſet Tabellio, ſiti & aeſtu, rei pecuniariae defectu laboraſſet. Novi quendam mendicum, ferreae frontis hominem, qui haud aliter ac ſi muſicos proferret modulos, iis Muſarum deliciis invitabat, atque ita nimium curioſis pecuniam emungebat. Sunt etiam qui Crepitu noſtro pro flabello uſi memorantur. Vir quidam nobilis cum miniſtri abeſſent, inter prandendum juſſit quendam ſuum contubernalem ſibi ventum facere. At ille: Neſcio id veſtro more. Ergo tuo modo facito, inquit. Igitur ille, elato dextro crure, ventris crepitum edidit. Eo pacto ſe ventum facere ſolere, dicens.

Quodnam P. C. adverſus maleficia, carmina, philtra, amuletum eo praeſentius atque efficacius? Nihil magas, ſtrigas, ſagasque, ac veneficas ita & fugat & terret, quam illius vel ſtrepitus vel ſonus. Teſtes advoco Canidiam & Saganam apud Horatium, quae cum in horto coram Priapo Manes cierent, ac veneficia & incantamenta perficerent, cum Priapus ipſe metu concitus, quaſi veſica diſploſa pepediſſet; illae re infecta

currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula; cum magno riſuque jocoque videres.

Experientia ac longo ſaeculorum uſu compertum eſt P.C. eos maxime, qui Crepitus contubernio arctaque neceſſitudine uſi ſunt, quique apprime cum eo verſati perhibentur, longiſſimum vitae curriculum exegiſſe. Nam Zeno quidem ille Cyprius, Stoicae ſectae conditor, quique illud decrevit: *Crepitus ſcilicet Ventris, haud aliter quam ructus, liberos eſſe oportere*, ſeptuageſimum ſecundum aetatis annum ſine morbo attigit, diu victurus, niſi, quod corpus lapſu attriviſſet, ſe ipſum ſtrangulaſſet. Crates Cynicus, qui Metroclen item Philoſophum Crepitibus Ventris ſolabatur, ſenio confectus deceſſit. Et quidem Metrocles ipſe Hipparchiae frater, qui inter meditandum averſa illa parte plurimum garriebat, ut tradit Laërtius, mortuus eſt cum ſe ipſum ob ſenectutem ſuffocaſſet.

Jam dudum P. C. actum eſſet de bajulis, aliisque qui onera ultro citroque deportant, niſi Crepitus auxilio reficerentur, atque ad onus ſuſtinendum denuo ſe erigerent. Xanthias ille Ariſtophanis in *Ranis* oneri profecto ſuccubuiſſet, niſi vocatus ab eo Crepitus, ſuppetias iviſſet. quum dixit:

Μηδ' ὅτι τοσῦτον ἄχθος ἐπ' ἐμαυτῷ φέρων,
Εἰ μὴ καθαιρήσει τὶς ἀποπαρδήσομαι. (*a*)

(*a*) *Neque quod tantum onus feram,*
Ut niſi me aliquis jam ſublevet, crepitum emittam.

Petro-

Petronianus Corax mercenarius, cum oneri ferundo ſe imparem agnoſceret, advocato Crepitu, ut laſſitudini vires ſuppeditaret, *tollebat ſubinde altius pedem & ſtrepitu obſcoeno ſimul atque odore viam implebat.* Nec primus ſum P. C. qui de illius utilitate diſſeruerim, cum & id ante me viri famoſi praeſtiterint. Ut fecit olim Symmachus apud Martialem:

Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, & riſum res movet iſta ſimul.

Illud denique ſubjungam, quod olim Nicarchus protulit: πορδὴ ἢ σώζει.(*a*) Ut non immerito, P. C. quod Graeci dicere ſolebant, cum quis ſternutabat: ζεῦ σῶσον; dicere nos potiori jure debeamus cum quis ventris torminibus, atque inteſtinorum volvolo laborarit, πορδὴ σῶσον, (*b*). Portenti igitur ſimile eſt P. C. nonnullorum odium ac livor, ab eoque animi averſio, qui cum ab illo non niſi beneficiis affecti ſint, quibus devinci magnopere debuiſſent, neſcio quo ſiniſtro Crepitus fato, non ipſum tantum, ſed ejus nomen (pro Dii immortales!) diris devovent, atque aſpernantur, & plusquam Vatiniano odio perſequuntur: vel, ſi ejus nomen proferunt, non niſi honore praefato id faciunt. In qua urbe vivimus? P. C. ubinam gentium ſumus? Flagitium in re eſſe dicunt, flagitium itidem in nomine, ac turpitudinem. Turpiores ipſi, medius fidius, & humanae incolumitatis, libertatisque publicae hoſtes. Tullius, Romanae eloquentiae parens, ac facile princeps, libertatem loquendi verecundiam appellavit: atque eam & ſibi & Zenoni placuiſſe aſſeverat. Stoicorum inſtitutum fuit, ſuo quamque rem nomine appellare: unde illud ejusdem Scholae effatum: ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἐστι. Aſſerebant enim (nec injuria) nihil eſſe obſcoenum, nihil turpe dictu. Inſaniunt igitur, atque ineptiunt iſti Crepitomaſtyges, qui tectis verbis quam apertis eloqui malunt. Stipites iſtos & blennos, quam Stoicos ſequi malimus? ne Di ſirint. Quid etiam de iis dicam, qui cum Ventris Crepitum aequo animo ferant; Viſium tamen, germanum ejus fratrem, immo & uterinum, convitiorum plauſtris onerant, diris devovent, ac maledictorum jaculis confodiunt? ea ſcilicet de cauſa, quod nares potius quam aures percutiat, atque invadat; & tacitus, ſicariorum more, proſerpat; quin adſit contra illum ſe muniendi facultas. βδόλον Graeci illum vocant, ſeu βδεολὸν, ut a ſonoro illo & crepitante diſcernant, cui πορδὴν nomen indidere. Qui haec in Viſio accuſant P. C. haud aliter ſe gerunt, quam qui modeſtiam, ſilentium, taciturnitatem criminantur: quam veteres Philoſophi adeo coluerunt atque amplexi ſunt. O mores! o tempora! in quibus vel ipſa virtus vitio vertitur. Digniſſimum laude facinus, atque reverentiam, urbanitatemque laceſſunt. Quid enim immodeſtius,

(*a*) *Crepitus ſervat.* (*b*) *Crepitus ſerva!*

destius, impudentius, ingenuo Crepitu esset indignius, quam colloquia & sermonem inter adstantes collatum atque fluentem repentino aliquo strepitu irreverenter obsidere, scurriliter invadere, atque interrumpere? Huncce (pro facinus!) inurbanum appellatis ac rusticum? immo lepidum atque facetum! Quid tandem si illorummet sententia atque suffragio Rei nostri calumniam vindicavero? Nonne ipsi ejus mores, naturam, vitam, velut impudicam, inhonestam, sordidam, atque invisam diris omnibus insectantur? Prudentissime igitur eorum opinioni obsecundare Visum mihi videtur, si verum est illud Biantis effatum: *Apprime decorum illis esse silentium, quibus indecora impuraque esset vita.* Dicebat quidem Pythagoras: *Aut sile, aut esser meliora silentio.* Quid ergo loquatur ille silentio commendatius? Quod si graveolentiam, ac molestum, tetrumque illum flatum nobis objiciant; dicam, e Parthorum esse genere, quibus oris graveolentia peculiaris. Vel respondere sane ipse posset quod Euripides olim Decamnicho objicienti sibi oris graveolentiam ὅτι πολλὰ ἐν αὐτῷ ἀπόῤῥητα ἐγκατεσάπη.

Audaciae ac temeritatis notam incurram profecto P. C. si omnes tanti herois laudes prosequi tentavero. Ea quippe fuit apud veteres de eo existimatio, ut nullum ad amicitiam adumbrandam commodius aptiusque symbolum vel repererint, vel excogitarint. Unde Martialis:

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere Crispe soles.

Haud inepte divitiarum quoque symbolum veteres constituerunt. Unde apud Graecos βδεῖν & πέρδειν pro *opulentiam ostentare* vel *simulare* accipiuntur. Quod confirmatur etiam paroemia illa: νεκρὸς κεῖται βδέων. Intellexit optime Chremylas in *Pluto*, dum de Argyrio Atheniensi viro praedivite ob eximias opes podicis solutissimi, dixit:

Ἀργύριος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται; (a)

Cum Nicarchus vetus Epigrammatistes elogium aliquod Crepitu dignum posteritati mandare instituisset, nihil ejus dignitate, magnificentia, auctoritate dignius invenire potuit, quam ut Regi, Regiaeque majestati comparasset. Sic enim cecinit:

Πορδὴ ἀποκτείνει πολλοὺς ἀδιέξοδος οὖσα.
Πορδὴ καὶ σώζει, τραυλὸν ἰοῦσα μέλος.

Οὐκοῦν

(a) *Nonne Argyrius harum caussa* (nempe, divitiarum) *crepitus emittit?*

Οὐχ οὖν εἰ σώζει καὶ ἀποκτείνει πάλι πορδὴ,
Τοῖς βασιλεῦσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν; (a)

Et Cario ille Ariſtophanaeus, cum Deum ſuum ſalutare vellet, dignius numine exiſtimavit quam verbis, Crepitu ſalutare. Ait enim ille:

—— προσιόντος γὰρ αὐτοῦ μέγα πάνυ
Ἀπέπαρδον. (b)

Non judicarunt mortales ſe Ventris Crepitum meritis honoribus proſequutos, niſi ad ſummum dignitatis faſtigium eveherent. Quare Aegyptii omnium ſapientiſſimi ac religioſiſſimi, in Deorum album retulerunt; ipſique aras, templa, ſacrificia, ac pulvinaria ſtatuerunt. Quorum ſi quis vel inteſtinos dolores declinaſſet, vel flatu illo qui in ſalutem conjurabat, opportune emiſſo, imminentem jacturam evaſiſſet, voto in grati animi ſignum emiſſo, tabellam in vernaculi Numinis ſacello, hiſce verbis exaratam appendebat:

CREPITUI. VENTRIS. CONSERVATORI.
DEO. PROPITIO.

QUOD. AUXILIO. EIUS. PERICULO. LIBERATUS.

N. N. M. F. BENEFICII. MEMOR.
VOTUM. SOLVIT. ET. DE. SUO. P.

Quid referam P. C. viros illuſtres, ac poſteritatis memoria inſignes, qui ab eo, quaſi a nobiliſſima ſtirpe, nomen traxerunt? Inter quos antiquiſſima nobiliſſimaque Pedonum familia, ex qua fuit Pedo Albinovanus, item Pedanius Coſta, Pedanius Secundus, Aſconius Pedianus, Pedius Conſularis, Pedius Blaeſus, Pedius cognomento *Quintus*. L. Peduceus, Sex. Peduceus, M. Juventius Pedo. M. Creperejus. Et alii tum populi tum civitates quae ab eo nomina mutuati ſunt. Herbae item ac frutices, ut

γα-

(a) *Et Crepitus multos nequiens erumpere perdit,*
Et ſervat, balbum quando dat ore ſonum.
Ergo ſi jugulat Crepitus, ſervatque ſonando,
Regibus hunc magnis quis neget eſſe parem?

(b) —— *Nam propius cum acceſſiſſet* (Deus),
Mirum in modum pepedi.

γαλεόβδολον, quoniam folia ejus manu trita γαλῆς βδόλον odore suo referunt. Atque ὀνόπερδον herba quam si comederint asini, crepitus reddere dicuntur. Item proverbia ab eo deducta, ut illud: *Non pedo Thus*: *Suus cuique Crepitus bene olet*: *Tussis in Crepitu*: *Mortuus pedens*: *Surdo oppedere*: & alia si quae sunt, quae a Crepitu nostro exordium, atque originem acceperunt.

Quamvis haec omnia magna sint, Crepitumque nostrum satis posteritati commendatum relinquant: nihilo minus vel mutila fortuna vel manca alicui forsan videretur, nisi privatae felicitatis aemulos, atque hostes sortita quodammodo fuisset. Ea siquidem est P. C. rerum humanarum conditio, ut egregia merita, res eximie gestae, ac gloria denique, odio ac livore vacua difficile comparentur. Quapropter, nescio quo fato, P. C. cum Reum nostrum summa devotione ac reverentia prosequi debuissent, ea sunt animi nequitia ac pravitate affecti, ut hostili potius ac infesto animo, omni pudore deposito, petulantissime persequantur. Illam praecipue calumniam Reo nostro infligunt, quod adstantium nares invadat; & quamvis compressus, hospite (ut dicitur) insalutato, subfugiat ac dilabatur, cum maximo custodis rubore. Unde erronis etiam & vagabundi notam impingunt, quod servitutis impatiens, & profuga, clam saepe dilabatur quin dominus persentiscat. Quae quidem criminatio quam inepta sit ac futilis, nemo non videt, qui consilii rectique judicii sit compos. Quis enim ille, aut ubinam gentium, qui cum in custodiam rejectus, vinculis compedibusque detineatur, libertatem sibi tantopere adamatam, si oblatam viderit, vel respuat, vel abjiciat? Nemini etiam de proprii Crepitus graveolentia conqueri licet, si verum est quod circumfertur, *Suus cuique Crepitus bene olet*. Illud sane immanissimum est, quod insontem, deque nullo crimine appellatum, veluti scelestissimum ac capitis reum, in custodia ipsa confodiunt, strangulantque. Ecquodnam tantum facinus, tam immane flagitium admisit, ut eum in aëra prosilire minime permittant,

atque aura liberiore frui.

Nec prohibeant modo, sed in ipso carcere jugulent? Plura dicenda mihi forent, P.C., nisi jam oratio longius, quam par esset, protracta receptui canere videretur, ne cum vos & judices & patronos appello, taedio ac molestia affectos, singulari benignitate destitutos inveniam. Defendite P. C. Reum inanibus calumniis, obtusisque jaculis impetitum. Reipublicae delicias, populi salutem, firmissimum humanae vitae praesidium, praesertim difficillimis hisce temporibus Quadragesimalibus, in queis tot tantaque mala nobis insidiantur, nisi acerrimus ipse humanae salutis vindex eriperet; libertati civium restituite. Quid exterae dicent nationes, quid barbarae, quid denique vel rustici ipsi, muliones, bubulci, quibus ea

ea Crepitus reverentia? Pudeat vos P. C. tot injurias, tot vulnera, inulta posteris transmisisse. At si scrupulis istis ac superstitiosis nostri aevi Crepito-mastygis, Reum nostrum exsilio perpetuum detinere, immotum infixumque animo haeserit; exsulare jubeant Nubes: eas pariter ab orbe exsibilent, quas itidem Strepsiades Aristophanaeus pedere annuit. Insontis, atque de vobis omnibus optime meriti causam tuemini. Vos hactenus ejus dignitatem sustinuistis: clientem amplectimini, quem nisi vindicare pergitis P. C. tanti Ordinis dignitati pessime consuletur. Publica sententia atque suffragio revocate. Si domestica exempla taedio habetis; extera, & quidem Graecorum sapientissimorum, ante oculos ponite; Cratetem profero, Zenonem appello, acerrimum utrumque, gravissimumque Crepitus vindicem, assertoremque. Qui ambo lege lata decreverunt, Crepitum Ventris libertate donandum: Crates quidem in Cynicorum Republica; Zeno vero in Stoica; quae sola tunica differebant. Quod nisi honestum aequumque fuisset, tamque egregiorum Philosophorum, humanaeque vitae moderatorum dignissimum judicassent, neutiquam sane fecissent. Habetis veterum vestigia quae prematis P. C. Contubernales vestros eo rubore liberate. Reum nostrum maximo devincietis beneficio. Reipublicae salutem firmioribus fulcietis praesidiis. Hominum consuetudo arctissimis vinculis stabilietur. Virginum verecundia frequentissimis periculis liberabitur. Conjugum, liberorum, familiae, incolumitas tutissimis aggeribus munietur, vestrumque omnium dignitati, famae, auctoritati, magnopere consuletur.

DIXI.



IN-

INDEX I.
AUCTORUM EPISTOLARUM.

IN-



INDEX II.

RERUM ET VERBORUM.

Numerus prior Tomum, paginam posterior, Nota *Vit.* §. paragraphum *Vitae Em. Martini* indicat.

A.

I N D E X

B.

C.

D.

E.

Equi

F.

G.

H.

literae

L.

M.

Malo-

O.

P.

Pro-

Saty-

INDEX

T.

Templa

V.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

F I N I S.